
1 copy!

Put in Duplicates

(1903?)


EX
LIBRIS
F. SMID

PONTIFICIA UNIVERSITAS GREGORIANA

H. LENNERZ S. I.

DE

GRATIA REDEMPTORIS

EDITIO SECUNDA


(AD USUM AUDITORUM)



ROMAE

APUD AEDES UNIVERSITATIS GREGORIANAE

1940



Haec editio est nova impressio editionis anni 1931.

ROMAE - TYPIS PONTIFICIAE UNIVERSITATIS GREGORIANAE

INTRODUCTIO

Deus genus humanum in prima eius creatione in ordinem supernaturalem elevavit, finem illi dedit visionem Dei intuitivam cum correspondente amore Dei et gaudio, qui finis vires et exigentias naturae humanae omnino excedit. Speciali dono hominem participem fecit naturae divinae eumque filium Dei adoptivum constituit; viribus quoque eum exstruxit et auxilia concessit, ut actibus statui suo supernaturali correspondentibus ad assecutionem huius finis sese praepararet. Primo autem homine peccante genus humanum dona illa abiecit; tota familia humana, omnes homines ab Adamo naturali generatione descendentes, peccatores constituti sunt, totum genus humanum erat massa damnata, neque propriis viribus surgere et in pristinam amicitiam cum Deo reverti potuit. Deus autem misertus est generis humani; secunda persona divina naturam humanam assumpsit et pro genere humano perfectam Deo satisfactionem pro peccato praestitit et dona amissa iterum promeruit. Ita homines in amorem et amicitiam cum Deo redire possunt. Homo liberari potest a peccato, naturae divinae particeps et filius Dei adoptivus fieri; accipere quoque vires et auxilia, quibus ad visionem Dei intuitivam venire potest. Haec omnia autem in praesenti ordine conferuntur ex meritis Christi redemptoris, unde omnia illa dona gratia Christi Redemptoris vocantur, cum dona Adae ante peccatum collata gratia Dei dici solent. De hac gratia Christi Redemptoris, qua homo lapsus ad iustificationem perducitur, et homo iustificatus ad assecutionem vitae aeternae praeparatur, in praesenti tractatu sermo est.

Saepe in initio tractatus divisio gratiae exhibetur; sed cum huiusmodi divisiones magna ex parte iam cognitionem doctrinae de gratia supponant, melius videtur has divisiones in decursu tractatus proponere.

Ordo tractatus ille erit, ut primo consideretur, quid sit iustificatio peccatoris; deinde utrum, qua ratione, quibus auxiliis homo peccator ad iustificationem praeparare se possit; tertio quid homo iustificatus possit ac debeat. Quarto de natura gratiae actualis, quinto de eiusdem efficacia et sexto de distributione gratiae agendum est.

Praemittitur conspectus historicus de erroribus principalibus in materia gratiae, quorum occasione Ecclesia doctrinam veram et tenendam proposuit.

ERRORES PRINCIPALES IN MATERIA GRATIAE

Pelagianismus et Semipelagianismus

Pelagianismus a Pelagio dicitur, qui monachus sive hibernus[1] sive brito[2] circa initium saeculi 5 Romam venit[3]. Manichaei docebant corpoream substantiam a principio malo factam esse ex eaque necessario procedere mala, quae proinde homo vitare non potest, ideoque homo peccans excusatur. Contra tales et similes tendentias peccata hominum per infirmitatem naturae excusandi Pelagius valde urgebat partes liberae voluntatis tum in vitando malo, tum in operando bono, adeo ut infirmitatem naturae lapsae et necessitatem auxilii divini negligeret. Per solas vires naturales homo omnia praecepta servare potest. Gratiam quidem divinam verbis affirmabat, eam autem intelligebat vel ipsam natu-

---

1 Hieronymus in praefatione libri 3 in Ieremiam, ML 45, 1696.

2 Gennadius in libro Scriptorum ecclesiasticorum, ML 45, 1679.

3 Pelagius inter alia scripsit Commentarios in 13 epistulas paulinas, quos edidit A. Souter, Pelagius' Expositions of thirteen Epistles of St. Paul. I. Introduction, 1922; II. Text, 1926; III. Pseudo-Ierome Interpolations, 1931. (Texts and Studies, vol. 9) Cambridge. De libero arbitrio, ex quo opere solum citationes habentur apud s. Hieronymum, s. Augustinum, Marium Mercatorem, ML 48, 611-615. Epistula ad Demetriadem, ML 30, 15-45; 33, 1099-1120; Libellus fidei ad Innocentium papam, ML 45, 1716-1718; 48, 488-491.

ram et liberum arbitrium, vel legem Dei atque doctrinam; gratia autem quae non est natura nostra vel liberum arbitrium non ad simpliciter posse sed ad facilius posse necessaria est. Utrum decursu temporis gratiam internam illustrationis admiserint Pelagiani disputatur; gratiam tamen voluntatis semper negabant.

S. Augustinus de Pelagio: « Gratiam Dei et adiutorium, quo adiuvamur ad non peccandum, aut in natura et libero ponit arbitrio, aut in lege atque doctrina: ut videlicet, cum adiuvat Deus hominem, ut declinet a malo et faciat bonum, revelando et ostendendo quid fieri debeat, adiuvare credatur; non etiam cooperando et dilectionem inspirando, ut id quod faciendum esse cognoverit faciat » [4].

In eodem libro haec ex libro tertio Pelagii pro Libero Arbitrio citat: « Nos sic ista tria distinguimus, et certum velut in ordinem digesta partimur. Primo loco posse statuimus, secundo velle, tertio esse. Posse in natura, velle in arbitrio, esse in effectu locamus. Primum illud, id est posse, ad Deum proprie pertinet, qui illud creaturae suae contulit: duo vero reliqua, hoc est, velle et esse, ad hominem referenda sunt, quia de arbitrii fonte descendunt. Ergo in voluntate et opere bono laus hominis est: imo et hominis, et Dei, qui ipsius voluntatis et operis possibilitatem dedit, quique ipsam possibilitatem gratiae suae adiuvat semper auxilio. Quod vero potest homo velle bonum atque perficere, solius Dei est. Potest itaque illud unum esse, etiamsi duo ista non fuerint: ista vero sine illo esse non possunt. Itaque liberum mihi est nec voluntatem bonam habere, nec actionem: nullo autem modo possum non habere possibilitatem boni: inest mihi etiamsi noluero, nec otium sui aliquando in hoc natura recipit. Quem nobis sensum aliqua exempla facient clariorem. Quod possumus videre oculis, nostrum non est: quod vero bene aut male videmus, hoc nostrum est... Et ut generaliter universa complectar, quod possumus omne bonum facere, dicere, cogitare, illius est qui hoc posse donavit, qui hoc posse adiuvat: quod vero bene vel agimus, vel loquimur, vel cogitamus, nostrum est; quia haec omnia vertere in malum

---

[4] De gratia Christi et de peccato originali, l. 1, cap. 3. ML 44, 361.

etiam possumus. Unde, quod propter calumniam vestram saepe repetendum est, cum dicimus hominem posse esse sine peccato, et confessione possibilitatis acceptae laudamus Deum, qui nobis hoc posse largitus est, nec est ibi ulla laudandi hominis occasio, ubi solius Dei causa tractatur: non enim de velle, nec de esse, sed tantummodo de eo quod potest esse, disseritur »[5].

Quae Pelagius tecte interdum proponebat, clare et aperte docuit eius discipulus Caelestius[6], qui explicite quoque peccatum originale negavit, hinc infantes non baptizantur proprie in remissionem peccatorum[7].

Pelagius et Caelestius anno 410 in Africam septentrionalem profecti sunt, et brevi post Pelagius in Palaestinam tendit, cum Caelestius in Africa remansit et doctrinam suam propagavit. A Paulino diacono in Synodo Carthaginensi (411) accusatus est Caelestius ob sequentes propositiones: « Adam mortalem factum, qui sive peccaret, sive non peccaret, fuisset moriturus. Quoniam peccatum Adae ipsum solum laesit, et non genus humanum. Quoniam infantes qui nascuntur, in eo statu sunt, in quo Adam fuit ante praevaricationem. Quoniam neque per mortem Adae omne genus hominum moriatur, quia nec per resurrectionem Christi omne genus hominum resurgit. Quoniam infantes, etsi non baptizentur, habeant vitam aeternam... Posse esse hominem sine peccato, et facile Dei mandata servare: quia et ante Christi adventum fuerunt homines sine peccato: et quoniam lex sic mittit ad regnum caelorum sicut evangelium »[8].

Anno 415 Pelagius ab Horosio, qui Augustino movente Ierosolymam venerat ibique de rebus circa Caelestium in Africa gestis retulerat, haeresis accusatur. Episcopus vero Ioannes rem defe-

---

5 ML 44, 362 s.

6 Quae ex eius scriptis in citationibus apud alios conservata sunt, Garnerius composuit; ML 48, 497.

7 Haec negatio peccati originalis in doctrina Pelagii necessario supponitur, immo in Comm. in ep. ad Romanos 5, iam satis indicatur, et in 5, 15 enuntiatur, sed non apertis verbis tamquam sententia propria. Cf. Merk, Scholastik 2 (1927) 265 s.

8 Marius Mercator, Commonitorium, cap. 1; ML 45, 1681; cf. 48, 69.

rendam ad Romanum Pontificem censuit. Eodem fere tempore duo episcopi galli exsules, Heros Arelatensis et Lazarus Aquensis, Pelagium et Caelestium apud Eulogium metropolitam caesareensem accusaverunt. Eulogius synodum Diospolim (Lydda) convocavit, in qua « Pelagius ab episcopis 14 provinciae Palaestinae catholicus est pronuntiatus » [9]. Heros et Lazarus episcopi, qui synodo Diospolitanae ipsi non interfuerant, per Orosium episcopis africanis ea quae in synodo acta erant communicaverunt. Hi Carthagine (416) iudicium antea in Caelestium latum confirmarunt et de tota quaestione ad summum Pontificem epistolam miserunt [10]; brevi post idem fecit synodus Mileve habita [11], et praeterea quinque episcopi, inter quos Augustinus [12]. Innocentius mense Ianuario 417 tribus litteris respondit [13], quibus sententiam episcoporum omnino approbat. « De hac causa (scl. Pelagianorum) duo concilia missa sunt ad sedem apostolicam: inde etiam rescripta venerunt. Causa finita est: utinam aliquando finiatur error! » [14].

Pelagius anno 417 Innocentio I « Libellum fidei » exhibuit [15], quem tamen successor eius Zosimus accepit, eodemque anno Caelestius Romam venit et Zosimo subiectionem sub eius iudicio promittit. Hinc Zosimus rem de novo tractandam censuit idque episcopis africanis communicavit [16]. Mense Maio 418 Carthagine synodus plus quam 200 episcoporum habita est, in qua 8 (9) canones statuti sunt, quibus Pelagianismus damnatur [17]. Huius concilii acta Romam missa sunt. Zosimus Caelestium in iudicium vocavit, Caelestius autem Roma profugit, et deinde ipse et Pelagius a Summo Pontifice excommunicati sunt. Eodem anno Zosimus mi-

---

9 Augustinus, De gestis Pelagii, nr. 1; ML 44, 319. Quomodo episcopi ad talem sententiam pervenire potuerint, ibidem nr. 45 explicat.

10 Ep. 175 inter ep. s. Aug. ML 33, 758.

11 Ep. 176, ML 33, 762.

12 Ep. 177, ML 33, 764.

13 Ep. 181-183, ML 33, 779.

14 Aug. serm. 131, ML 38, 734.

15 ML 45, 1716.

16 ML 45, 1719. 1721.

17 Denz 101-108.

sit epistulam « quae tractoria dicitur, qua Caelestius Pelagiusque damnati sunt, quae et Constantinopolim et per totum orbem missa, subscriptionibus sanctorum patrum est roborata »[18].

Sed 18 episcopi Italiae subscriptionem negaverunt, inter quos Iulianus Eclanensis, qui abhinc caput est Pelagianorum[19]. Augustinus cum comperisset se apud Valerium comitem propter doctrinam de matrimonio diffamatum esse, primum librum eidem « De nuptiis et concupiscentia » misit, anno 419. Contra hunc librum Iulianus scripsit Libros quattuor ad Turbantium (episcopum suae factionis)[20].

Bonifatius I papa duas epistulas quas Iulianus alteram, ut dicebatur, Romam ad asseclas suos, alteram ad Rufum Thessalonicensem episcopum miserat, Augustino refutandos per Alypium communicavit, qui Alypius simul excerpta operis Iuliani ad Turbantium attulit. Hinc Augustinus quattuor libros scripsit « Contra duas epistulas Pelagianorum »[21] et contra opus Iuliani ad Turbantium secundum suum librum « De nuptiis et concupiscentia ». Postquam vero opus Iuliani integrum accepit, sex libros « Contra Julianum » composuit[22]. Ad secundum librum Augustini « De nuptiis et concupiscentia » Iulianus octo libris ad Florum respondit (421-422). In refutandis his libris Augustinus ultimis vitae suae annis occupatus erat, attamen opus suum perficere non potuit, quod proinde vocatur « Opus imperfectum contra Iulianum » sex libris constans[23].

---

18 Marius Mercator, Commonitorium, cap. 3; ML 48, 90 s.

19 De Pelagio nuntius non habetur post 418; Caelestius Constantinopolim reversus est ibique videtur mortuus esse; post annum 429 notitia de ipso non iam habetur.

20 Fragmenta huius operis inveniuntur apud s. Augustinum « Contra Iulianum ». Omnia complectitur Bruckner, Die vier Bücher Iulians von Aeclanum an Turbantius, ein Beitrag zur Charakteristik Iulians und Augustins. Neue Studien zur Geschichte der Theologie und der Kirche 8, Berlin 1910.

21 ML 44, 550.

22 ML 44, 641.

23 ML 45, 1049. In hoc opere textus quoque sex priorum librorum Iuliani invenitur.

Anno 428 Augustinus haeresim Pelagianorum ita describit: « Pelagianorum est haeresis, hoc tempore omnium recentissima a Pelagio monacho exorta. Quem magistrum Caelestius sic secutus est, ut sectatores eorum Caelestiani etiam nuncupentur. Hi Dei gratiae, qua praedestinati sumus in adoptionem filiorum per Iesum Christum in ipsum [24] et qua eruimur de potestate tenebrarum, ut in eum credamus atque in regnum ipsius transferamur [25], propter quod ait: Nemo venit ad me, nisi fuerit ei datum a Patre meo [26], et qua diffunditur charitas in cordibus nostris [27], ut fides per dilectionem operetur [28], in tantum inimici sunt, ut sine hac posse hominem credant facere omnia divina mandata: cum si hoc verum esset, frustra Dominus dixisse videretur: Sine me nihil potestis facere [29]. Denique Pelagius a fratribus increpatus, quod nihil tribueret adiutorio gratiae Dei ad eius mandata facienda, correptioni eorum hactenus cessit, ut non eam libero arbitrio praeponeret, sed infideli calliditate supponeret, dicens, ad hoc eam dari hominibus, ut quae facere per liberum iubentur arbitrium, facilius possint implere per gratiam. Dicendo utique « ut facilius possint » voluit credi, etiam si difficilius, tamen posse homines sine gratia divina facere iussa divina. Illam vero gratiam Dei, sine qua nihil boni possumus facere, non esse dicunt nisi in libero arbitrio, quod nullis suis praecedentibus meritis ab illo accepit nostra natura, ad hoc tantum ipso adiuvante per suam legem atque doctrinam, ut discamus quae facere, et quae sperare debeamus, non autem ad hoc ut per donum Spiritus sui, quae didicerimus esse facienda, faciamus. Ac per hoc divinitus nobis dari scientiam confitentur, qua ignorantia pellitur, charitatem autem dari negant, qua pie vivitur: ut scilicet cum sit Dei donum scientia quae sine charitate inflat, non sit Dei donum ipsa charitas, quae ut scientia non inflet,

---

[24] Eph 1, 5.
[25] Col 1, 13.
[26] Io 6, 66.
[27] Rom 5, 5.
[28] Gal 5, 6.
[29] Io 15, 5.

aedificat [30]. Destruunt etiam orationes quas facit Ecclesia, sive pro infidelibus et doctrinae Deo resistentibus, ut convertantur ad Deum; sive pro fidelibus, ut augeatur in eis fides, et perseverent in ea. Haec quippe non ab ipso accipere, sed a se ipsis homines habere contendunt, gratiam Dei qua liberamur ab impietate, dicentes secundum merita nostra dari. Quod quidem Pelagius in episcopali iudicio Palaestino damnari metuens, damnare compulsus est; sed in posterioribus suis scriptis hoc invenitur docere. In id etiam progrediuntur, ut dicant vitam iustorum in hoc saeculo nullum omnino habere peccatum, et ex his Ecclesiam Christi in hac mortalitate perfici, ut sit omnino sine macula et ruga [31]; quasi non sit Christi Ecclesia, quae toto terrarum orbe clamat ad Deum « Dimitte nobis debita nostra » [32]. Parvulos etiam negant, secundum Adam carnaliter natos, contagium mortis antiquae prima nativitate contrahere. Sic enim eos sine ullo peccati originalis vinculo asserunt nasci, ut prorsus non sit quod eis oporteat secunda nativitate dimitti: sed eos propterea baptizari, ut regeneratione adoptati admittantur ad regnum Dei, de bono in melius translati, non ista renovatione ab aliquo malo obligationis veteris absoluti. Nam etiamsi non baptizentur, promittunt eis extra regnum quidem Dei, sed tamen aeternam et beatam quamdam vitam suam. Ipsum quoque Adam dicunt, etiamsi non peccasset, fuisse corpore moriturum, neque ita mortuum merito culpae, sed conditione naturae. Obiiciuntur eis et alia nonnulla, sed ista sunt maxime, ex quibus intelliguntur etiam illa vel cuncta, vel pene cuncta pendere » [33].

Praecipuam partem in confutandis Pelagianis s. Augustinus habuit, qui contra eos maxime in necessitate gratiae insistere debebat. Timasius et Iacobus, « religiosi et honesti adolescentes servi Dei ... qui ... ipsius Pelagii exhortatione spem quam habebant in saeculo reliquerunt et nunc continentes Deo serviunt » [34] postquam a pelagianismo recesserunt, Augustino dederunt librum Pelagii.

---

[30] 1 Cor 8, 1.
[31] Eph 5, 27.
[32] Matth 6, 12.
[33] De haeresibus, 88; ML 42, 47 s.
[34] S. August. epist. 177, 6; ML 33, 767.

Quibus respondens scripsit (415) « De natura et gratia ad Timasium et Iacobum »[35], in quo ostendit naturam quidem sanam conditam esse, peccato autem corruptam; sine gratia Christi neminem salvum fieri posse, eamque non meritis reddi sed gratis dari, « propter quod et gratia nominatur »[36]. Eodem anno ad episcopos Eutropium et Paulum epistulam sive librum « De perfectione iustitiae hominis »[37] misit, in quo « definitionibus quae dicuntur Caelestii »[38] respondet et ostendit, hominem non posse sine omni peccato esse et omnes debere orare, ne intrent in tentationem.

Anno 418 Sixto presbytero Romano Pelagianos impugnanti longiore epistula[39] respondet, qua ostendit absolutam gratuitatem gratiae, quae nullo modo ex meritis nostris est, et quae et ad fidem et ad orationem requiritur.

« Quod est ergo meritum hominis ante gratiam, quo merito percipiat gratiam, cum omne bonum meritum nostrum non in nobis faciat nisi gratia; et cum Deus coronat merita nostra, nihil aliud coronet, quam munera sua? Sicut enim ab initio fidei misericordiam consecuti sumus, non quia fideles eramus, sed ut essemus; sic in fine, quo erit vita aeterna, corronabit nos, sicut scriptum est, in miseratione et misericordia[40]. Non itaque frustra Deo cantatur: Et misericordia eius praeveniet me[41]; et: Misericordia eius subsequetur me[42]. Unde et ipsa vita aeterna, quae utique in fine sine fine habebitur, et ideo meritis praecedentibus redditur; tamen quia eadem merita quibus redditur, non a nobis parata sunt per nostram sufficientiam, sed in nobis facta per gratiam, etiam ipsa gratia nuncupatur, non ob aliud nisi quia gratis datur; nec ideo quia non meritis datur, sed quia data sunt et ipsa merita quibus

---

35 ML 44, 247.
36 ML 44, 249.
37 ML 44, 291.
38 ML 44, 292.
39 Epist. 194; ML 33, 874-981; antea iam brevem eidem in eadem materia epistulam miserat, ep. 191; ML 33, 867.
40 Ps 102, 4.
41 Ps 58, 11.
42 Ps 22, 6.

datur. Ubi autem invenimus etiam vitam aeternam gratiam nuncupari, habemus apud eundem gratiae magnificum defensorem apostolum Paulum: Stipendium, inquit, peccati mors est; gratia autem Dei vita aeterna in Christo Iesu domino nostro »[43].

Haec epistula post decem fere annos ad monachos monasterii Hadrumetani, in Africa Byzancena, pervenit, unde dissensio in monasterio orta est « eo quod quidam in vobis sic gratiam praedicent, ut negent hominis esse liberum arbitrium; et, quod est gravius, dicant quod in die iudicii non sit redditurus Deus unicuique secundum opera eius[44]. Etiam hoc tamen indicaverunt, quod plures vestrum non ita sentiant, sed liberum arbitrium adiuvari fateantur per Dei gratiam, ut recta sapiamus atque faciamus; et cum venerit Dominus reddere unicuique secundum opera eius, inveniat opera nostra bona, quae praeparavit Deus ut in illis ambulemus[45]. Hoc qui sentiunt, bene sentiunt »[46]. Propterea Augustinus Valentino abbati istius monasterii epistulam[47] misit, in qua explicat, quomodo doctrina epistulae 194 sit intelligenda; eam scl. scriptam esse « contra novos haereticos Pelagianos... qui dicunt gratiam Dei secundum merita nostra dari, ut qui gloriatur, non in Domino, sed in seipso glorietur, hoc est in homine, non in Domino »[48]. « Propter quod ego in hac epistula quae ad vos pervenit, probavi per testimonia sanctarum Scripturarum, quae ibi potestis inspicere, et bona opera nostra et pias orationes, et rectam fidem nullo modo in nobis esse potuisse, nisi haec acciperemus ab illo de quo dicit apostolus Iacobus: Omne datum optimum et omne donum perfectum desursum est, descendens a patre luminum[49]; ne quisquam dicat meritis operum suorum, vel meritis orationum suarum, vel meritis fidei suae, sibi traditam Dei gratiam, et putetur verum esse quod illi haeretici dicunt, gratiam Dei secundum merita nostra

---

43 Nr. 19; ML 33, 880 s.
44 Matth 16, 27 et Rom 2, 6.
45 Eph 2, 10.
46 ML 33, 969.
47 Epist. 214; ML 33, 968.
48 Nr. 3; ML 33, 969.
49 Iac 1, 17.

dari; quod omnino falsissimum est: non quia nullum est meritum, vel bonum piorum, vel malum impiorum; alioquin quomodo iudicabit Deus mundum? sed misericordia et gratia Dei convertit hominem, de qua Psalmus dicit: Deus meus, misericordia eius praeveniet me [50]; ut iustificetur impius, hoc est ex impio fiat iustus, et incipiat habere meritum bonum, quod Dominus coronabit, quando iudicabitur mundus » [51]. Et postquam citavit verba s. Petri [52], qui dicit in epistolis s. Pauli esse « quaedam difficilia intellectu » pergit: « Cavete ergo quod tantus apostolus tam terribiliter dicit; et ubi sentitis vos non intelligere, interim credite divinis eloquiis, quia et liberum est hominis arbitrium, et gratia Dei, sine cuius adiutorio liberum arbitrium nec converti potest ad Deum, nec proficere in Deo » [53].

Brevi post eidem abbati misit librum « De gratia et libero arbitrio » [54], in quo agit de quaestione, quae ab ipso dicitur « difficillima... hoc est de voluntate et gratia » [55].

Cum vero adhuc subsisterent difficultates, ad quid scl. praecepta et correptiones eorum qui Dei praecepta non faciunt, cum omnia a gratia divina dependeant, alterum scripsit librum « De correptione et gratia » [56], in quo iterum ostendit totam oeconomiam salutis esse plane gratuitam neque initium salutis neque perseverantiam voluntatis meritis esse tribuendam; praecepta tamen et correptiones bonas et utiles esse, « tamen ut correptio prosit, non nisi per Deum fit » [57].

Circa idem tempus epistulam misit ad Vitalem Carthaginensem [58] qui negavit fidem esse donum Dei. Si hoc verum esset, ita

---

50 Ps 18, 11.
51 Nr. 4, ML 33, 970.
52 2 Petr 3, 14-16.
53 Nr. 7; ML 33, 970.
54 ML 44, 881.
55 Epist. 215; ML 33, 972.
56 ML 44, 911; cf. editionem P. Boyer, Opuscula et Textus, Ser. Theol. nr. 2.
57 Nr. 9; ML 44, 921.
58 Epist. 217; ML 33, 978.

Augustinus, sufficeret praedicare evangelium neque iam opus esset orare, ut Deus homines ad fidem converteret; hoc autem Ecclesia non solum facit, sed etiam omnino necessarium esse iudicat.

In hac epistula duodecim statuit sententias contra Pelagianos [59]. « Quoniam ergo propitio Christo Christiani catholici sumus: 1° Scimus nondum natos nihil egisse in vita propria boni seu mali, nec secundum merita prioris alicuius vitae, quam nullam propriam singuli habere potuerunt, in huius vitae venire miserias: sed tamen secundum Adam carnaliter natos contagium mortis antiquae prima nativitate contrahere, nec liberari a supplicio mortis aeternae, quod trahit ex uno in omnes transiens iusta damnatio, nisi per gratiam renascantur in Christo. — 2° Scimus gratiam Dei nec parvulis nec maioribus secundum merita nostra dari. — 3° Scimus maioribus ad singulos actus dari. — 4° Scimus non omnibus hominibus dari, et quibus datur, non solum secundum merita operum non dari, sed nec secundum merita voluntatis eorum quibus datur: quod maxime apparet in parvulis. — 5° Scimus eis quibus datur, misericordia Dei gratuita dari. — 6° Scimus eis quibus non datur, iusto iudicio Dei non dari. — 7° Scimus quod omnes astabimus ante tribunal Christi, ut ferat unusquisque secundum ea quae per corpus gessit, non secundum ea quae, si diutius viveret, gesturus fuit, sive bonum sive malum. — 8° Scimus etiam parvulos secundum ea quae per corpus gesserunt, recepturos vel bonum vel malum. Gesserunt autem non per seipsos, sed per eos quibus pro illis respondentibus et renuntiare diabolo dicuntur et credere in Deum; unde et in numero fidelium computantur, pertinentes ad sententiam Domini dicentis: Qui crediderit et baptizatus fuerit, salvus erit. Propter quod et illis qui hoc Sacramentum non accipiunt, contingit quod sequitur: Qui autem non crediderit, condemnabitur [60]. Unde et ipsi, sicut dixi, si in illa parva aetate moriuntur, utique secundum ea quae per corpus gesserunt, id est tempore quo in corpore fuerunt, quando per corda et ora gestantium crediderunt

[59] Has sententias censet ad catholicam fidem pertinere; cf. nr. 17 et 25 huius epistulae.

[60] Marc 16, 16.

vel non crediderunt, quando baptizati vel non baptizati sunt, quando carnem Christi manducaverunt vel non manducaverunt, quando et sanguinem biberunt vel non biberunt; secundum haec ergo quae per corpus gesserunt, non secundum ea quae, si diu hic viverent, gesturi fuerant, iudicantur. — 9° Scimus felices esse mortuos qui in Domino moriuntur, nec ad eos pertinere quidquid acturi fuerant, si tempore diuturniore vixissent. — 10° Scimus eos qui corde proprio credunt in Dominum, sua id facere voluntate ac libero arbitrio. — 11° Scimus pro eis qui nolunt credere, nos qui iam credimus, recta fide agere, cum Deum oramus ut velint. — 12° Scimus pro eis qui ex illis crediderunt, tanquam de beneficiis, recte atque veraciter et debere nos Deo agere gratias, et solere » [61].

Maiores tamen et diuturniores discussiones quaestio de praedestinatione, de gratia et de libero arbitrio, in Gallia provocabat. Ioannes Cassianus [62] abbas S. Victoris, Massiliae, doctrinam proponit, qua necessitas et gratuitas gratiae vix sufficienter servantur.

Quaenam fuerit eius sententia imprimis ex Collatione 13 « De protectione Dei » cognosci potest [63]. Cap. 3 docet « non solum actuum, verum etiam cogitationum bonarum ex Deo esse principium, qui nobis et initia sanctae voluntatis inspirat, et virtutem atque opportunitatem eorum quae recte cupimus, tribuit peragendi » [64]. Cap. 6: « Et idcirco licet in multis, immo in omnibus, possit ostendi semper auxilio Dei homines indigere nec aliquid humanam fragilitatem, quod ad salutem pertinet, per se solam, id est, sine adiutorio Dei posse perficere, in nullo modo tamen evidentius quam in acquisitione atque custodia castitatis ostenditur » [65]. Cap. 8: « Adest igitur inseparabiliter nobis semper divina prote-

---

61 ML 33, 984 s.

62 Hoch, Die Lehre des Johannes Cassianus von Natur und Gnade, Freiburg 1895; Wörter, Beiträge zur Dogmengeschichte des Semipelagianismus, Paderborn 1898 pag. 31-79; Laugier, St. Jean Cassien et sa doctrine sur la grâce, Lyon 1908.

63 ML 49, 897.

64 ML 49, 902.

65 ML 49, 906 s.

ctio, tantaque est erga creaturam suam pietas Creatoris, ut non solum comitetur eam, sed etiam praecedat iugi providentia. Quam expertus Propheta Domino apertissime confitetur dicens: Deus meus, misericordia eius praeveniet me [66]. Qui cum in nobis ortum quemdam bonae voluntatis inspexerit, illuminat eam confestim atque confortat, et incitat ad salutem, incrementum tribuens ei quam vel ipse plantavit, vel nostro conatu viderit emersisse. Nam: Antequam clament, inquit, ego exaudiam; adhuc loquentibus eis ego audiam [67]. Et iterum: Ad vocem clamoris tui statim ut audierit, respondebit tibi [68]. Et non solum sancta desideria benignus inspirat, sed etiam occasiones praestruit vitae, et opportunitatem boni effectus ac salutaris viae directionem demonstrat errantibus » [69]. Et cap. 9, post multos textus ex s. Scriptura allatos, quaerit quid haec sibi velint, « nisi quod in his omnibus et gratia Dei et libertas nostri declaratur arbitrii, et quia etiam suis interdum motibus homo ad virtutum appetitus possit extendi, semper vero indigeat adiuvari. Nec enim cum voluerit quis sanitate perfruitur, aut de aegritudinis morbo pro arbitrii sui desiderio liberatur. Quid autem prodest sanitatis gratiam concupisse, nisi Dominus qui vitae ipsius usum tribuit, etiam vigorem incolumitatis impartiat? Ut autem evidentius clareat, etiam per naturae bonum quod beneficio Creatoris indultum est, nonnumquam bonarum voluntatum prodire principia, quae tamen, nisi a Domino dirigantur, ad consummationem virtutum pervenire non possunt, Apostolus testis est dicens: Velle adiacet mihi, perficere autem non invenio » [70]. Cap. 11: « Et ita sunt haec quodammodo indiscrete permixta atque confusa, ut quid ex quo pendeat inter multos magna quaestione volvatur, id est, utrum quia initium bonae voluntatis praebuerimus, misereatur nostri Deus; an quia Deus miseretur, consequamur bonae voluntatis initium? Multi enim singula haec quaerentes ac iusto amplius

---

[66] Ps 58, 11.
[67] Is 65, 24.
[68] Is 30, 19.
[69] ML 49, 912 ss.
[70] Rom 7. - ML 40, 918 ss.

asserentes, variis sibique contrariis sunt erroribus involuti. Si enim dixerimus nostrum esse bonae principium voluntatis, quid fuit in persecutore Paulo, quid in publicano Matthaeo, quorum unus cruori ac suppliciis innocentum, alius violentiis ac rapinis publicis incubans attrahitur ad salutem? Sin vero gratia Dei semper inspirari bonae voluntatis principia dixerimus, quid de Zachaei fide, quid de illius in cruce latronis pietate dicimus, qui desiderio suo vim quamdam regnis caelestibus inferentes, specialia vocationis monita praevenerunt? Consummationem vero virtutum et executionem mandatorum Dei, si nostro deputaverimus arbitrio, quomodo oramus: Confirma, Deus, hoc quod operatus es in nobis [71]... Haec duo, id est, vel gratia Dei, vel liberum arbitrium, sibi quidem invicem videntur adversa, sed utraque concordant, et utraque nos pariter debere suscipere, pietatis ratione colligimus, ne unum horum homini substrahentes, ecclesiasticae fidei regulam excessisse videamur. Nam cum viderit nos Deus ad bonum velle deflectere, occurrit, dirigit atque confortat... Et rursus si nos nolle vel intepuisse perspexerit, adhortationes salutiferas admovet cordibus nostris, quibus voluntas bona vel reparetur vel formetur in nobis » [72]. Attamen semper gratia est gratuita, « dum exiguis quibusdam parvisque conatibus tantam immortalitatis gloriam, tanta perennis beatitudinis dona, inaestimabili tribuit largitate » [73].

Affines doctrinae ab aliis quoque proponebantur. De quibus Prosper Augustino scribit: « Multi ergo servorum Christi qui in Massiliensi urbe consistunt, in Sanctitatis tuae scriptis quae adversus Pelagianos haereticos condidisti, contrarium putant patrum opinioni et ecclesiastico sensui, quidquid in eis de vocatione electorum secundum Dei propositum disputasti » [74]. Difficultates creverunt postquam s. Augustinus edidit suum librum « De correptione et gratia ». Propterea duo laici, Tiro Prosper Aquitanus et Hila-

---

[71] Ps 67, 29.
[72] ML 49, 922 ss.; cf. col. 928; 930.
[73] ML 49, 933.
[74] ML 33, 1002.

rius [75], Augustinum rogant, ut ulteriores de his quaestionibus dare velit instructiones. Magna ex parte agitur directe de praedestinatione; quae gratuitatem gratiae immediate spectant, ita Prosper exponit:

« Quidam vero horum in tantum a pelagianis semitis non declinant, ut cum ad confitendam eam Christi gratiam, quae omnia praeveniat merita humana, cogantur, ne si meritis redditur, frustra gratia nominetur; ad conditionem hanc velint uniuscuiusque hominis pertinere, in qua eum nihil prius merentem, quia nec exsistentem, liberi arbitrii et rationalem gratia Creatoris instituat, ut per discretionem boni et mali, et ad cognitionem Dei et ad obedientiam mandatorum eius possit suam dirigere voluntatem, atque ad hanc gratiam qua in Christo renascimur, pervenire, per naturalem scilicet facultatem, petendo, quaerendo, pulsando: ut ideo accipiat, ideo inveniat, ideo introeat, quia bono naturae bene usus, ad istam salvantem gratiam, initialis gratiae ope meruerit pervenire. Propositum autem vocantis gratiae in hoc omnino definiunt, quod Deus constituerit nullum in regnum suum, nisi per Sacramentum regenerationis assumere, et ad hoc salutis donum omnes homines universaliter, sive per naturalem, sive per scriptam legem, sive per evangelicam praedicationem vocari: ut et qui voluerint, fiant filii Dei, et inexcusabiles sint, qui fideles esse noluerint; quia iustitia Dei in eo sit, ut qui non crediderint, pereant; bonitas in eo appareat, si neminem repellat a vita, sed indifferenter universos velit salvos fieri et in agnitionem veritatis venire » [76].

Rogat ergo Prosper Augustinum: « Unde, quia in istis pelagianae pravitatis reliquiis non mediocris virulentiae fibra nutritur, si principium salutis male in homine collocatur; si divinae voluntati impie voluntas humana praefertur, ut ideo quis adiuvetur, quia voluit, non ideo quia adiuvatur, velit; si originaliter malus receptionem boni non a summo bono, sed a semetipso inchoare male creditur ; si aliunde Deo placetur, nisi ex eo quod ipse donaverit:

---

[75] Prosper, inter August. epist. 225; Hilarius, 226. ML 33, 1002; 1007; 44, 947; 951.

[76] ML 33, 1004.

vel non crediderunt, quando baptizati vel non baptizati sunt, quando carnem Christi manducaverunt vel non manducaverunt, quando et sanguinem biberunt vel non biberunt; secundum haec ergo quae per corpus gesserunt, non secundum ea quae, si diu hic viverent, gesturi fuerant, iudicantur. — 9° Scimus felices esse mortuos qui in Domino moriuntur, nec ad eos pertinere quidquid acturi fuerant, si tempore diuturniore vixissent. — 10° Scimus eos qui corde proprio credunt in Dominum, sua id facere voluntate ac libero arbitrio. — 11° Scimus pro eis qui nolunt credere, nos qui iam credimus, recta fide agere, cum Deum oramus ut velint. — 12° Scimus pro eis qui ex illis crediderunt, tanquam de beneficiis, recte atque veraciter et debere nos Deo agere gratias, et solere » [61].

Maiores tamen et diuturniores discussiones quaestio de praedestinatione, de gratia et de libero arbitrio, in Gallia provocabat. Ioannes Cassianus [62] abbas S. Victoris, Massiliae, doctrinam proponit, qua necessitas et gratuitas gratiae vix sufficienter servantur.

Quaenam fuerit eius sententia imprimis ex Collatione 13 « De protectione Dei » cognosci potest [63]. Cap. 3 docet « non solum actuum, verum etiam cogitationum bonarum ex Deo esse principium, qui nobis et initia sanctae voluntatis inspirat, et virtutem atque opportunitatem eorum quae recte cupimus, tribuit peragendi » [64]. Cap. 6: « Et idcirco licet in multis, immo in omnibus, possit ostendi semper auxilio Dei homines indigere nec aliquid humanam fragilitatem, quod ad salutem pertinet, per se solam, id est, sine adiutorio Dei posse perficere, in nullo modo tamen evidentius quam in acquisitione atque custodia castitatis ostenditur » [65]. Cap. 8: « Adest igitur inseparabiliter nobis semper divina prote-

---

61 ML 33, 984 s.

62 Hoch, Die Lehre des Johannes Cassianus von Natur und Gnade, Freiburg 1895; Wörter, Beiträge zur Dogmengeschichte des Semipelagianismus, Paderborn 1898 pag. 31-79; Laugier, St. Jean Cassien et sa doctrine sur la grâce, Lyon 1908.

63 ML 49, 897.

64 ML 49, 902.

65 ML 49, 906 s.

ctio, tantaque est erga creaturam suam pietas Creatoris, ut non solum comitetur eam, sed etiam praecedat iugi providentia. Quam expertus Propheta Domino apertissime confitetur dicens: Deus meus, misericordia eius praeveniet me [66]. Qui cum in nobis ortum quemdam bonae voluntatis inspexerit, illuminat eam confestim atque confortat, et incitat ad salutem, incrementum tribuens ei quam vel ipse plantavit, vel nostro conatu viderit emersisse. Nam: Antequam clament, inquit, ego exaudiam; adhuc loquentibus eis ego audiam [67]. Et iterum: Ad vocem clamoris tui statim ut audierit, respondebit tibi [68]. Et non solum sancta desideria benignus inspirat, sed etiam occasiones praestruit vitae, et opportunitatem boni effectus ac salutaris viae directionem demonstrat errantibus » [69]. Et cap. 9, post multos textus ex s. Scriptura allatos, quaerit quid haec sibi velint, « nisi quod in his omnibus et gratia Dei et libertas nostri declaratur arbitrii, et quia etiam suis interdum motibus homo ad virtutum appetitus possit extendi, semper vero indigeat adiuvari. Nec enim cum voluerit quis sanitate perfruitur, aut de aegritudinis morbo pro arbitrii sui desiderio liberatur. Quid autem prodest sanitatis gratiam concupisse, nisi Dominus qui vitae ipsius usum tribuit, etiam vigorem incolumitatis impartiat? Ut autem evidentius clareat, etiam per naturae bonum quod beneficio Creatoris indultum est, nonnumquam bonarum voluntatum prodire principia, quae tamen, nisi a Domino dirigantur, ad consummationem virtutum pervenire non possunt, Apostolus testis est dicens: Velle adiacet mihi, perficere autem non invenio » [70]. Cap. 11: « Et ita sunt haec quodammodo indiscrete permixta atque confusa, ut quid ex quo pendeat inter multos magna quaestione volvatur, id est, utrum quia initium bonae voluntatis praebuerimus, misereatur nostri Deus; an quia Deus miseretur, consequamur bonae voluntatis initium? Multi enim singula haec quaerentes ac iusto amplius

---

66 Ps 58, 11.
67 Is 65, 24.
68 Is 30, 19.
69 ML 49, 912 ss.
70 Rom 7. - ML 40, 918 ss.

asserentes, variis sibique contrariis sunt erroribus involuti. Si enim dixerimus nostrum esse bonae principium voluntatis, quid fuit in persecutore Paulo, quid in publicano Matthaeo, quorum unus cruori ac suppliciis innocentum, alius violentiis ac rapinis publicis incubans attrahitur ad salutem? Sin vero gratia Dei semper inspirari bonae voluntatis principia dixerimus, quid de Zachaei fide, quid de illius in cruce latronis pietate dicimus, qui desiderio suo vim quamdam regnis caelestibus inferentes, specialia vocationis monita praevenerunt? Consummationem vero virtutum et executionem mandatorum Dei, si nostro deputaverimus arbitrio, quomodo oramus: Confirma, Deus, hoc quod operatus es in nobis [71]... Haec duo, id est, vel gratia Dei, vel liberum arbitrium, sibi quidem invicem videntur adversa, sed utraque concordant, et utraque nos pariter debere suscipere, pietatis ratione colligimus, ne unum horum homini substrahentes, ecclesiasticae fidei regulam excessisse videamur. Nam cum viderit nos Deus ad bonum velle deflectere, occurrit, dirigit atque confortat... Et rursus si nos nolle vel intepuisse perspexerit, adhortationes salutiferas admovet cordibus nostris, quibus voluntas bona vel reparetur vel formetur in nobis » [72]. Attamen semper gratia est gratuita, « dum exiguis quibusdam parvisque conatibus tantam immortalitatis gloriam, tanta perennis beatitudinis dona, inaestimabili tribuit largitate » [73].

Affines doctrinae ab aliis quoque proponebantur. De quibus Prosper Augustino scribit: « Multi ergo servorum Christi qui in Massiliensi urbe consistunt, in Sanctitatis tuae scriptis quae adversus Pelagianos haereticos condidisti, contrarium putant patrum opinioni et ecclesiastico sensui, quidquid in eis de vocatione electorum secundum Dei propositum disputasti » [74]. Difficultates creverunt postquam s. Augustinus edidit suum librum « De correptione et gratia ». Propterea duo laici, Tiro Prosper Aquitanus et Hila-

---

[71] Ps 67, 29.
[72] ML 49, 922 ss.; cf. col. 928; 930.
[73] ML 49, 933.
[74] ML 33, 1002.

rius [75], Augustinum rogant, ut ulteriores de his quaestionibus dare velit instructiones. Magna ex parte agitur directe de praedestinatione; quae gratuitatem gratiae immediate spectant, ita Prosper exponit:

« Quidam vero horum in tantum a pelagianis semitis non declinant, ut cum ad confitendam eam Christi gratiam, quae omnia praeveniat merita humana, cogantur, ne si meritis redditur, frustra gratia nominetur; ad conditionem hanc velint uniuscuiusque hominis pertinere, in qua eum nihil prius merentem, quia nec exsistentem, liberi arbitrii et rationalem gratia Creatoris instituat, ut per discretionem boni et mali, et ad cognitionem Dei et ad obedientiam mandatorum eius possit suam dirigere voluntatem, atque ad hanc gratiam qua in Christo renascimur, pervenire, per naturalem scilicet facultatem, petendo, quaerendo, pulsando: ut ideo accipiat, ideo inveniat, ideo introeat, quia bono naturae bene usus, ad istam salvantem gratiam, initialis gratiae ope meruerit pervenire. Propositum autem vocantis gratiae in hoc omnino definiunt, quod Deus constituerit nullum in regnum suum, nisi per Sacramentum regenerationis assumere, et ad hoc salutis donum omnes homines universaliter, sive per naturalem, sive per scriptam legem, sive per evangelicam praedicationem vocari: ut et qui voluerint, fiant filii Dei, et inexcusabiles sint, qui fideles esse noluerint; quia iustitia Dei in eo sit, ut qui non crediderint, pereant; bonitas in eo appareat, si neminem repellat a vita, sed indifferenter universos velit salvos fieri et in agnitionem veritatis venire » [76].

Rogat ergo Prosper Augustinum: « Unde, quia in istis pelagianae pravitatis reliquiis non mediocris virulentiae fibra nutritur, si principium salutis male in homine collocatur; si divinae voluntati impie voluntas humana praefertur, ut ideo quis adiuvetur, quia voluit, non ideo quia adiuvatur, velit; si originaliter malus receptionem boni non a summo bono, sed a semetipso inchoare male creditur ; si aliunde Deo placetur, nisi ex eo quod ipse donaverit:

---

[75] Prosper, inter August. epist. 225; Hilarius, 226. ML 33, 1002; 1007; 44, 947; 951.

[76] ML 33, 1004.

tribue nobis in hac causa, papa beatissime, pater optime, quantum iuvante Domino potes, diligentiam pietatis tuae, ut quae in istis quaestionibus obscuriora, et ad percipiendum difficiliora sunt, quam lucidissimis expositionibus digneris aperire. Ac primum, quia plerique non putant christianam fidem hac dissensione violari, quantum periculi sit in eorum persuasione patefacias. Deinde, quomodo per istam praeoperantem et cooperantem gratiam liberum non impediatur arbitrium. Tum, utrum praescientia Dei ita secundum propositum maneat, ut ea ipsa quae sunt proposita, sint accipienda praescita: an per genera causarum et species personarum ista varientur; ut quia diversae sunt vocationes in his qui nihil operaturi salvantur, quasi solum Dei propositum videatur exsistere; in his autem qui aliquid boni acturi sunt, per praescientiam possit stare propositum: an vero uniformiter, licet dividi praescientia a proposito temporali distinctione non possit, praescientia tamen quodam ordine sit subnixa proposito; et sicut nihil sit quorumcumque negotiorum, quod non scientia divina praevenerit, ita nihil sit boni, quod in nostram participationem non Deo auctore defluxerit. Postremo, quemadmodum per hanc praedicationem propositi Dei, quo fideles fiunt qui praeordinati sunt ad vitam aeternam, nemo eorum qui cohortandi sunt impediatur, nec occasionem negligentiae habeant, si se praedestinatos esse desperent. Illud etiam qualiter diluatur, quaesumus, patienter insipientiam nostram ferendo demonstres, quod retractatis priorum de hac re opinionibus, pene omnium par invenitur et una sententia, qua propositum et praedestinationem Dei secundum praescientiam receperunt; ut ob hoc Deus alios vasa honoris, alios contumeliae fecerit, quia finem uniuscuiusque praeviderit, et sub ipso gratiae adiutorio in qua futurus esset voluntate et actione praescierit » [77].

Augustinus duobus libris respondit, altero « De praedestinatione sanctorum » [78], altero « De dono perseverantiae » [79]. In priore ostendit ipsum quoque initium fidei donum Dei esse, non solum in-

---

[77] ML 33, 1006.
[78] ML 44, 959.
[79] ML 45, 993.

crementum fidei. « Unde in omni opere bono et incipiendo et perficiendo sufficientia nostra ex Deo est: ita nemo sibi sufficit vel ad incipiendam vel ad perficiendam fidem, sed sufficientia nostra ex Deo est: quoniam fides si non cogitetur, nulla est; et non sumus idonei cogitare aliquid quasi ex nobismetipsis, sed sufficientia nostra ex Deo est » [80]. Antea seipsum aliter cogitasse fatetur, sed verbis s. Pauli 1 Cor 4, 7 se convictum esse. « Quo praecipue testimonio etiam ipse convictus sum, cum similiter errarem, putans fidem qua in Deum credimus, non esse donum Dei, sed a nobis esse in nobis, et per illam nos impetrari Dei dona quibus temperanter et iuste et pie vivamus in hoc saeculo. Neque enim fidem putabam Dei gratia praeveniri, ut per illam nobis daretur quod posceremus utiliter; nisi quia credere non possemus, si non praecederet praeconium veritatis: ut autem praedicato nobis Evangelio consentiremus, nostrum esse proprium, et nobis ex nobis esse arbitrabar » [81]. In altero libro vult ostendere « donum Dei esse perseverantiam qua usque in finem perseveratur in Christo » [82].

Post mortem s. Augustini (430) s. Prosper in defendenda eius doctrina pergit. Caelestinus papa ab eo rogatus circa annum 431 epistulam « Apostolici verba praecepti » [83] ad episcopos Galliae misit, qua Augustini memoriam tuetur. « Augustinum sanctae recordationis virum, pro vita sua atque meritis, in nostra communione semper habuimus, nec umquam hunc sinistrae suspicionis saltem rumor aspersit: quem tantae scientiae olim fuisse meminimus, ut inter magistros optimos etiam a meis semper decessoribus haberetur. Bene ergo de eo omnes in commune senserunt, utpote qui ubique cunctis et amori fuerit, et honori » [84].

Ipse Prosper, qui iam antea carmen composuerat Περὶ ἀχαρίστων, De ingratis, id est de iis, qui de gratia non recte sentiunt, contra massilienses adversarios Augustini scripsit « Pro Augustino

---

80 De praedestinatione sanctorum, nr. 5; ML 44, 963.
81 Nr. 7; ML 44, 964.
82 ML 45, 993.
83 Caelest. ep. 21; ML 50, 528; 45, 1755.
84 ML 45, 1756.

responsiones ad capitula obiectionum Gallorum calumniantium »[85]; contra Vincentium lirinensem « Pro Augustino responsiones ad capitula obiectionum vincentianarum »[86]; in opusculo « Pro Augustino responsiones ad excerpta Genuensium »[87] dedit duobus presbyteris genuensibus explicationem aliquorum locorum ex s. Augustini « De praedestinatione sanctorum » et « De dono perseverantiae ». Tandem circa annum 433/434 scripsit « De gratia Dei et libero arbitrio contra collatorem » id est contra Ioannem Cassianum[88]. Romae circa annum 450 ortus est « Sententiarum ex operibus s. Augustini delibatarum liber »[89] quo Prosper 392 breves citationes ex operibus s. Augustini collegit; ex hac collectione postea plures propositiones concilii Arausicani desumptae sunt.

Praeterea Prosper videtur auctor fuisse[90] collectionis, quae 435-442 orta et sub nomine « De gratia Dei indiculus » seu « Praeteritorum sedis Apostolicae episcoporum auctoritates » nota est, et quae postea, circa 500, universim agnita est ut genuina doctrina Sedis Apostolicae[91]. Fortasse ipse quoque est auctor operis « De vocatione omnium gentium », in quo doctrina de gratia et libero arbitrio exponitur[92].

Secunda parte saeculi quinti Lucidus presbyter praedestinationem duplicem docuit, alteram ad vitam, alteram ad mortem. Post Adae peccatum liberum arbitrium deletum est; hinc in illis, qui bonum faciunt, non liberum arbitrium, sed sola gratia operatur, eamque illi soli accipiunt, qui ad vitam sunt praedestinati, pro quibus solis Christus mortuus est; reliqui destinati sunt ad mortem.

---

85 ML 51, 155.

86 ML 51, 177.

87 ML 51, 187.

88 ML 51, 213.

89 ML 51, 427.

90 M. Cappuyns, L'origine des Capitula pseudo-célestiniens contre le semi-pélagianisme. Revue Bénédictine 41, 1929, 156-170.

91 Denz 129-142.

92 ML 51, 647. Cappuyns, L'auteur du « De vocatione omnium gentium ». Revue Bénédictine 39, 1927, 198-226. De doctrina huius libri vide Wörter, Zur Dogmengeschichte des Semipelagianismus, Münster 1899, 3-43.

Faustus, episcopus Reiensis, Lucido epistulam misit cum sex anathematismis ab ipso subscribendis. « Breviter ergo dicam, quantum cum absente loqui possum, quid sentire cum catholica Ecclesia debeas. Id est, ut cum gratia Domini operationem baptizati famuli semper adiungas, et eum qui praedestinationem excluso labore hominis asserit, cum Pelagii dogmate detesteris. Anathema ergo illi qui inter reliquas Pelagii impietates hominem sine peccato nasci, et per solum laborem posse salvari damnanda praesumptione contenderit, et qui eum sine gratia Dei liberari posse crediderit. Item anathema illi qui hominem cum fideli confessione solemniter baptizatum, et asserentem catholicam fidem, et postmodum per diversa mundi huius oblectamenta et tentamenta prolapsum, in Adam et originali peccato periisse asseruerit. Item anathema illi qui per Dei praescientiam in mortem deprimi hominem dixerit. Item anathema illi qui dixerit illum qui periit non accepisse ut salvus esse posset, id est, de baptizato, vel de illius aetatis pagano, qui credere potuit et noluit. Item anathema illi qui dixerit quod vas contumeliae non possit assurgere ut sit vas in honorem. Item anathema illi qui dixerit quod Christus non pro omnibus mortuus sit, nec omnes homines salvos esse velit »[93]. Lucidus subscripsit et insuper epistulam ad episcopos in concilio arelatensi congregatos misit, in quo iterum errores suos damnavit et doctrinam oppositam professus est[94].

Concilium voluit, ut ea quae contra praedestinatianismum acta erant, fusius explicarentur. Propterea Faustus scripsit opus « De gratia Dei et humanae mentis libero arbitrio »[95]. Doctrina ab ipso exposita non videtur libera esse a tendentiis « massiliensium »; ipse Faustus abbas lirinensis fuerat »[96].

Cum opus Fausti post eius mortem (post 485, ante 500) Constantinopolim venisset, controversia de orthodoxia doctrinae ex-

---

93 ML 53, 682.

94 ML 53, 683. Denz 160 a et b.

95 ML 58, 783.

96 De Fausto eiusque doctrina vide A. Koch, Der hl. Faustus, Bischof von Riez. 1895; Wörter, Zur Dogmengeschichte des Semipelagianismus, 47-103.

positae orta est. Propterea monachi scythae per episcopum africanum Possessorem [97], qui Constantinopoli exsul degebat, sententiam Hormisdae Papae rogabant, qui Possessori 30 Augusti 520 respondit, in cuius epistulae prima parte valde vituperat monachos scythas, qui errores suos christologicos [98] damnare non volunt; deinde de Fausto dicit: « Hi vero, quos vos de Fausti cuiusdam Galli antistitis dictis consuluisse, litteris indicastis, id sibi responsum habeant: neque illum recipi, neque quemquam, quos in auctoritate Patrum non recipit examen catholicae fidei, aut ecclesiasticae disciplinae ambiguitatem posse gignere, aut religiosis praeiudicium comparare. Fixa sunt a Patribus quae fideles sectari debeant instituta: sive interpretatio, sive praedicatio, seu verbum populi aedificatione compositum, si cum fide recta et doctrina sana concordat, admittitur, si discordat, aboletur. Unum est fundamentum extra quod quaelibet fabrica si consurgit, infirma est, super illud quisquis aedificat, sive vilia, sive pretiosa, consideret. Errat autem a via, qui ab eo quod Patrum electio monstravit exorbitat, nec tamen improbatur diligentia per multa discurrens sed animus a veritate declinans. Saepe de his necessaria providetur, de quibus ipsi aemuli convincantur, instructio. Nec vitio dari potest nosse quod fugias; atque ideo non legentes incongrua in culpam veniunt, sed sequentes. Quod si ita non esset, nunquam doctor ille gentium acquievisset nuntiare fidelibus: omnia probate, quod bonum est tenete [99]. ...Non improvide veneranda Patrum sapientia fideli potestati quae essent catholica dogmata definiit; certa librorum etiam veterum in auctoritatem recipienda, sancto Spiritu instruente, praefigens: ne opinioni suae lector indulgens, non quod aedificationi ecclesiasticae conveniret, sed quod voluptas sua concepisset, assereret. Quid ergo calumniantibus opus erat extra constitutos Ecclesiae terminos porrigere quaestiones, et de his quae habentur dicta, quasi dicta non sint, movere certamina, cum Chri-

---

[97] ML 63, 489.

[98] Occasione illius « Unus de trinitate passus est ».

[99] 1 Thess 5, 21.

stiana fides canonicis libris, et synodalibus praeceptis, et Patrum regularibus constitutis stabili et inconcusso termino (tramite) limitetur? De arbitrio tamen libero, et gratia Dei, quod Romana (hoc est catholica) sequatur et asseveret Ecclesia, licet in variis libris beati Augustini, et maxime ad Hilarium et Prosperum, possit cognosci, tamen in scriniis ecclesiasticis expressa capitula continentur, quae si tibi desunt, et necessaria creditis, destinabimus, quamquam qui diligenter apostoli dicta considerat, quid sequi debeat evidenter cognoscat » [100].

Monachi scythae iudicium quoque episcoporum africanorum, qui in Sardinia exsules morabantur, de eadem re exquisiverant; per Petrum Diaconum libellum fidei eis miserant « De Incarnatione et gratia Domini nostri Iesu Christi ad Fulgentium et alios episcopos Africae » [101]. Episcopi africani veram agnoscebant doctrinam et Fulgentius eorum nomine scripsit « Ad Petrum diaconum et alios qui ex Oriente in causa fidei Romam missi sunt, de Incarnatione et gratia Domini nostri Iesu Christi » [102]. Idem Fulgentius praeterea scripsit septem libros contra Faustum, qui tamen ad nos non pervenerunt; ad amicum suum Monimum tres libros de praedestinatione [103]; et tres libros « De veritate praedestinationis et gratiae Dei ad Ioannem et Vernerium » [104].

Anno 502 Caesarius episcopus arelatensis factus est; quamvis discipulus monasterii lirinensis, doctrinam s. Augustini defendit. Cum eius doctrina de gratia synodus valentina 529 (527) occupata fuisse videtur; ipse synodo non intererat, sed libellum miserat, in quo absolutam necessitatem gratiae praevenientis defendebat [105]. Anno 529 sub Caesario synodus arausicana habita est cui 14 episcopi intererant. In hac synodo 8 canones, 17 propositiones ex « Sententiis » Prosperi desumptae, et conclusio in forma professio-

---

[100] ML 63, 492 s.
[101] ML 65, 442.
[102] ML 65, 451; Fulgentii epistula 17.
[103] ML 65, 153.
[104] ML 65, 603. De doctrina Fulgentii vide Wörter, op. cit., 107-155.
[105] Vita Caesarii, I, 5, 46; ML 67, 1023.

nis fidei approbantur[106]. Caesarius per Bonifatium approbationem Summi Pontificis petiit, quam successor Felicis, Bonifatius II epistula « Per filium nostrum » 25 Ian. 531 dedit[107]. Docet concilium imprimis necessitatem gratiae ad omne opus salutare, maxime ad ipsum initium fidei et ad perseverantiam; praedestinatio ad malum reicitur. Hac approbatione quaestio cum « Semipelagianis » decisa est[108].

Novatores saeculi XVI

Secundum Lutherum peccatum originale est ipsa concupiscentia. « Quid ergo nunc est peccatum originale? Primo secundum subtilitates scholasticorum theologorum est privatio seu carentia iustitiae originalis. Iustitia autem secundum eos est in voluntate tantum subiective, ergo et privatio eius opposita. Quia sc. est in praedicamento qualitatis secundum logicam et metaphysicam. Secundo autem secundum Apostolum et simplicitatem sensus in Christo Iesu est non tantum privatio qualitatis in voluntate, immo nec tantum privatio lucis in intellectu, virtutis in memoria, sed prorsus privatio universae rectitudinis et potentiae omnium virium tam corporis quam animae ac totius hominis interioris et exterioris. Insuper et pronitas ipsa ad malum, nausea ad bonum,

---

106 Denz 174-200. De origine huius documenti non omnino constat. Probabilis videtur sententia quae dicit ipsum Caesarium ante concilium plura capitula (19) Romam misisse; Summum Pontificem plures ex illis expunxisse ita ut remanerent ii, qui nunc sunt octo canones; praeterea Pontificem 16 propositiones addidisse ex « Sententiis » Prosperi (nr. 9, 11-25); his acceptis Caesarium unam propositionem (10) et conclusionem addidisse. Lejay, Le rôle théologique de Césaire d'Arles. Revue d'histoire et de litt. rel. 10, 1905, 217 ss.; Fritz, Orange, Dict. de Théol. cath. 11, 1087 ss.

107 Denz 200 a.

108 De valore huius concilii cf. J. Ernst, Die dogmatische Geltung der Beschlüsse des 2. Konzils von Orange. Zeitschrift für katholische Theologie 30, 1906, 650-670.

fastidium lucis et sapientiae, dilectio autem erroris ac tenebrarum, fuga et abominatio bonorum operum, cursus autem ad malum... Igitur sicut antiqui patres sancti recte dixerunt: Peccatum illud originis est ipse fomes, lex carnis, lex membrorum, languor naturae, tyrannus, morbus originis etc. »[1].

Haec autem concupiscentia vere peccatum, culpa, est, eaque manet etiam post baptismum. « Scio autem, quid hic mihi oppositurì sint, scilicet omnia quae dicta sunt[2] probare non peccatum, sed defectum seu infirmitatem in nobis relinqui post baptismum. Sic enim fomitem et passiones carnis vocant... Verum, quod defectum sic appellant, ut peccatum esse negent et non culpam sed poenam tantum peccati esse velint, admittere non possum... Videamus autem, qua ratione moveantur, ut negent peccatum dici reliquam baptismo libidinem. Dicunt enim baptismi iniuriam esse, si non omnium peccatorum tribuere dicatur remissionem, sicut habet fides catholica Ecclesiae et sanctum Evangelium. Si ergo remissa sunt omnia peccata, quod reliquum est peccatum dici non debet. Respondeo: Quid hic dicere possum, nisi quod urgentibus eodem argumento Pelagianis Augustinus dixit? scilicet peccatum remitti quo ad reatum, sed non quo ad actum, seu ut ipsius verbis utar, Peccatum istud reatu transit, actu manet. Sicut enim, ut idem ait, aliquod peccatum transit actu et manet reatu (sicut est omne actuale), ita econtra hoc originis peccatum transit reatu et manet actu. Ecce non negat esse peccatum, nec dicit solum defectum aut poenam esse, sed peccatum actu et vere esse »[3].

Peccato originali homo omnino est vitiatus. « Iustus in bono opere peccat mortaliter »[4]. Articulum 35 a Summo Pontifice damnatum: « Nemo est certus, se non semper peccare mortaliter, propter occultissimum superbiae vitium » his verbis « revocat »: « Re-

---

[1] Luthers Vorlesung über den Römerbrief 1515/1516; ed. Ficker, 1930, Die Scholien, Pag. 143 s.; cf. Assertio omnium articulorum... art. 2 et 3. Opera omnia (Weimar) 7, 103 ss.

[2] Ex epist. ad Rom. 7.

[3] Assertio omnium articulorum... (1520) art. 2; Opera omnia 7, 108 s.

[4] Ibid. art. 36; Op. omnia 7, 142.

voco ergo hunc articulum et modero in hunc modum: Nemo non certissimus esse debet, se semper mortaliter peccare, si sua vita ad iudicium Dei iustissimum comparetur: tam iniusta enim eius vita necessario est quam iustum est iudicium Dei, coram quo stare ipsa non potest. At ipsum est iustissimum, quare vita eius est iniustissima soliusque misericordiae velamento servanda » [5].

Immo, ut dicit art. 36 damnatus: « Liberum arbitrium post peccatum res est de solo titulo, et dum facit, quod in se est, peccat mortaliter ». « Hieremias quoque x. c. sic dicit: Scio domine, quoniam non est hominis via eius, nec viri est, ut dirigat gressus suos. Quid potuit apertius dici? Si via sua et gressus sui non sunt in potestate hominis, quo modo via Dei et gressus Dei erunt in potestate eius? Via enim hominis est ea, quam ipsi vocant naturalem virtutem faciendi, quod est in se. Ecce haec non est in arbitrio hominis seu liberi arbitrii: quid ergo liberum arbitrium est nisi res de solo titulo? Quomodo potest sese ad bonum praeparare, cum nec in potestate sit suas vias malas facere? Nam et mala opera in impiis Deus operatur, ut Proverb 16 dicit: Omnia propter semetipsum operatus est dominus, etiam impium, ad diem malum; et Rom 1: Tradidit illos Deus in reprobum sensum, ut faciant quae non conveniunt; et 9: Quem vult indurat, cuius vult miseretur. Sicut et Exod 9 de Pharaone dicit: in hoc ipsum excitavi te, ut ostendam virtutem meam in te. Ideo enim est terribilis Deus in iudiciis et operibus suis » [6]. « Periit itaque hic etiam generalis illa influentia, qua garriunt, esse in potestate nostra naturales operationes operari: secus rem habere monstrat experientia omnium. Et vide nos insensatos, ipsam radicem operum, nempe vitam ipsam, quae caput est omnium operum, scimus omnes nullo momento esse in manu nostra, et audemus dicere, aliquam cogitationem esse in manu nostra? Quid absurdius dici potest? Qui ergo vitam nostram in manu sua retinuit, motus nostros et opera in manu nostra posuit? Absit. Unde non est dubium, Satana magistro in Ecclesiam venisse hoc nomen « liberum arbitrium » ad

---

5 Ibid. art. 35; Op. omnia 7, 142.
6 Ibid. pag. 144 s.

seducendos homines a via Dei in vias suas proprias »[7]. « Unde et hunc articulum necesse est revocare. Male enim dixi, quod liberum arbitrium ante gratiam sit res de solo titulo, sed simpliciter debui dicere: liberum arbitrium est figmentum in rebus seu titulus sine re. Quia nulli est in manu sua quippiam cogitare mali aut boni, sed omnia (ut Viglephi articulus Constantiae damnatus recte docet) de necessitate absoluta eveniunt »[8]. « Fallit hos miseros homines rerum humanarum inconstantia seu (ut vocant) contingentia: oculos enim suos stultos mergunt in res ipsas operaque rerum, nec aliquando elevant in conspectum Dei, ut res supra res in Deo cognoscerent. Nobis enim ad inferna spectantibus res apparent arbitrariae et fortuitae, sed ad superna spectantibus omnia sunt necessaria, quia non sicut nos, sed sicut ille vult, ita vivimus, facimus, patimur omnes et omnia. Cessat liberum arbitrium erga Deum, quod apparet erga nos et temporalia: illic enim, ut Iacobus ait, non est transmutatio nec vicissitudinis obumbratio, hic vero omnia mutantur et variantur. Et nos stulti divina aestimamus secundum haec temporalia, ut libero arbitrio praesumamus Deum praevenire et gratiam extorquere velut dormienti, quoties libitum fuerit, quasi ille mutari nobiscum possit et velit quod aliquando non voluit, idque nostro libero arbitrio operante et volente: o furor furorum omnium novissimus! Et Paulus Eph 2 dicit: Eramus et nos natura filii irae sicut et caeteri. Si omnes extra gratiam sunt filii irae ex ipsa natura, ergo et liberum arbitrium est filius irae ex natura sua: si ex natura sua, multo magis ex ominibus operibus suis. Quid autem esse potest natura filius irae, nisi quod omnia quae facit sunt mala, non ad gratiam, sed ad iram praeparantia, immo iram merentia? Ite nunc, Pelagiani, et operibus vestris praeparate vos ad gratiam, cum hic Paulus non nisi iram illis mereri omnes dicat. Mitius erat, si solum dixisset " Eramus filii irae ", sed addens " natura " certe totum, quod sumus et facimus ex natura, non nisi meritum irae, nequaquam gratiae in-

---

[7] Pag. 145.
[8] Pag. 146.

telligi voluit. Vix breviorem et apertiorem potentioremque in scripturis invenias sententiam adversus liberum arbitrium »[9].

Negatio liberi arbitrii apud Lutherum non solum in doctrina de peccato originali fundatur, sed etiam in doctrina de Deo eiusque efficaci operatione universali, ut clare apparet ex eius opere « De servo arbitrio », quo anno 1525 operi Erasmi « Diatribe de libero arbitrio » respondet[10]. « Est itaque et hoc imprimis necessarium et salutare Christiano, nosse, quod Deus nihil praescit contingenter, sed quod omnia incommutabili et aeterna infallibilique voluntate et praevidet et proponit et facit. Hoc fulmine sternitur et conteritur penitus liberum arbitrium, ideo qui liberum arbitrium volunt assertum debent hoc fulmen vel negare vel dissimulare aut alia ratione a se abigere... An tu credis, quod nolens praesciat, aut ignarus velit? Si volens praescit, aeterna est et immobilis (quia natura) voluntas, si praesciens vult, aeterna est et immobilis (quia natura) scientia »[11].

« Sudaverunt hic sophistae iam multis annis et tandem victi, coacti sunt concedere, omnia quidem necessario fieri, necessitate consequentiae (ut dicunt) sed non necessitate consequentis. Sic eluserunt violentiam istius quaestionis, verum et seipsos potius illuserunt. Quam sit enim hoc nihil, non gravabor ostendere. Necessitatem consequentiae vocant, ut crasse dicam, si Deus aliquid vult, necesse est ut ipsum fiat, sed non est necesse, ut id sit, quod fit. Solus Deus enim necessario est, omnia alia possunt non esse, si Deus velit. Ita actionem Dei necessariam dicunt, si volet, sed factum ipsum non esse necessarium. Quid autem istis ludibriis verborum efficiunt? Id scilicet, facta res non est necessaria, id est, non habet essentiam necessariam, hoc est aliud nihil dicere quam, res facta non est Deus ipse. Nihilominus manet illud, ut omnis res necessario fiat, si actio Dei necessaria vel consequentiae necessitas est, quantumlibet iam facta non sit necessario, id est, non sit

---

9 Pag. 146 s. Cf. Contra malignum Ioannis Ecci iudicium... (1519) art. 9; Opera omnia 2, 646.

10 « De servo arbitrio » (1525) invenitur in ed. Weimar tom. 18.

11 615.

Deus, vel non habeat essentiam necessariam. Si enim ego fio necessario, parum me movet, quod esse meum vel fieri sit mutabile, nihilominus ego ille contingens et mutabilis, qui non sum Deus necessarius, fio. Quare illorum ludibrium, necessitate consequentiae sed non necessitate consequentis omnia fieri, nihil aliud habet quam hoc, omnia quidem necessario fiunt, sed sic facta, non sunt ipsemet Deus. Quod vero opus erat hoc nobis dicere? quasi metuendum fuerit, ut factas res assereremus Deum esse, vel divinam et necessariam naturam habere. Adeo stat et permanet invicta sententia, omnia necessitate fieri. » [12].

« Ratio et Diatribe [13] concedit, Deum omnia in omnibus operari ac sine ipso nihil fieri nec efficax esse. Est enim omnipotens, pertinetque id ad omnipotentiam suam, ut Paulus ait ad Ephesios [14]. Iam Satan et homo lapsi et deserti a Deo non possunt velle bonum, hoc est ea quae Deo placent aut quae Deus vult. Sed sunt in sua desideria conversi perpetuo, ut non possint non quaerere quae sua sunt. Haec igitur eorum voluntas et natura sic a Deo aversa non est nihil. Neque enim Satan et impius homo nihil est aut nullam naturam aut voluntatem habent, licet corruptam et aversam naturam habeant. Illud igitur reliquum quod dicimus naturae in impio et Satana ut creatura et opus Dei non est minus subiectum omnipotentiae et actioni divinae quam omnes aliae creaturae et opera Dei. Quando ergo Deus omnia movet et agit, necessario movet etiam et agit in Satana et impio. Agit autem in illis taliter, quales illi sunt et quales invenit, hoc est, cum illi sint aversi et mali et rapiantur motu illo divinae omnipotentiae, non nisi aversa et mala faciunt, tanquam si eques agat equum tripedem vel bipedem, agit quidem taliter, qualis equus est, hoc est equus male incedit. Sed quid faciat eques? equum talem simul agit cum equis sanis, illo male, istis bene, aliter non potest, nisi equus sanetur. Hic vides Deum, cum in malis et per malos operatur, mala quidem fieri, Deum tamen non posse male facere, licet mala per malos fa-

---

[12] 616 s.
[13] Opus Erasmi.
[14] Eph 1, 19.

ciat, quia ipse bonus male facere non potest, malis tamen instrumentis utitur, quae raptum et motum potentiae suae non possunt evadere. Vitium igitur est in instrumentis, quae ociosa Deus esse non sinit, quod mala fiunt, movente ipso Deo. Non aliter quam si faber securi serrata et dentata male secaret. Hinc fit, quod impius non possit non semper errare et peccare, quod raptu divinae potentiae motus ociari non sinitur, sed velit, cupiat, faciat taliter, qualis ipse est » [15].

« At cur non simul mutat voluntates malas, quas movet? Hoc pertinet ad secreta maiestatis, ubi incomprehensibilia sunt iudicia eius. Nec nostrum hoc est quaerere, sed adorare mysteria haec » [16]. « Quando nunc Diatribe argutatur: Ploratne pius Dominus mortem populi sui, quam ipse operatur in illis? Hoc enim nimis absurdum videtur. Respondemus, ut iam diximus: Aliter de Deo vel voluntate Dei nobis praedicata, revelata, oblata, culta, et aliter de Deo non praedicato, non revelato, non oblato, non culto disputandum est. Quatenus igitur Deus sese abscondit et ignorari a nobis vult, nihil ad nos. Hic enim vere valet illud: Quae supra nos, nihil ad nos... Sic dicimus: Deus pius non deplorat mortem populi quam operatur in illo, sed deplorat mortem quam invenit in populo et amovere studet. Hoc enim agit Deus praedicatus, ut ablato peccato et morte salvi simus. Misit enim verbum suum et sanavit nos. Caeterum Deus absconditus in maiestate neque deplorat neque tollit mortem, sed operatur vitam, mortem et omnia in omnibus. Neque enim tum verbo suo definivit sese, sed liberum sese reservavit super omnia. Illudit autem sese Diatriba ignorantia sua, dum nihil distinguit inter Deum praedicatum et absconditum, hoc est, inter verbum Dei et Deum ipsum. Multa facit Deus, quae verbo suo non ostendit nobis. Multa quoque vult, quae verbo suo non ostendit sese velle. Sic non vult mortem peccatoris, verbo scilicet, vult autem illam voluntate illa imperscrutabili. Nunc autem nobis spectandum est verbum relinquendaque illa voluntas imperscrutabilis. Verbo enim nos dirigi, non voluntate illa inscrutabili oportet. At-

---

[15] 709.
[16] 712.

que adeo quis sese dirigere queat ad voluntatem prorsus imperscrutabilem et incognoscibilem? Satis est, nosse tantum, quod sit quaedam in Deo voluntas imperscrutabilis. Quid vero, cur et quatenus illa velit, hoc prorsus non licet quaerere, optare, curare aut tangere, sed tantum timere et adorare. Igitur recte dicitur: Si Deus non vult mortem, nostrae voluntati imputandum est, quod perimus. Recte, inquam, si de Deo praedicato dixeris. Nam ille vult omnes homines salvos fieri, dum verbo salutis ad omnes venit, vitiumque est voluntatis, quae non admittit eum, sicut dicit Matth 23: Quoties volui congregare filios tuos et noluisti? Verum quare maiestas illa vitium hoc voluntatis nostrae non tollit aut mutat in omnibus, cum non sit in potestate hominis, aut cur illud ei imputet, cum non possit homo eo carere, quaerere non licet, ac si multum quaeras, numquam tamen invenies, sicut Paulus Rom 11 dicit: Tu quis es, qui respondeas Deo? » [17].

« Caecutiant sane hic infinita milia doctorum probatissimorum et scripturas fingant dilucidas non esse et quaestionem difficilem paveant. Nos habemus verba clarissima, quae sic sonant: Cuius vult, miseretur, quem vult, indurat; item: Dicis itaque mihi: quid queritur? Voluntati eius quis resistet? Nec est quaestio difficilis, imo nihil facilius etiam communi sensu, quam hanc sequelam esse certam, solidam, veram: Si Deus praescit, necessario fit, ubi hoc ex scripturis praesuppositum fuerit, quod Deus neque errat neque fallitur. Difficilem quidem esse quaestionem fateor imo impossibilem, si simul utrumque voles statuere et praescientiam Dei et libertatem hominis » [18].

Ergo homo sine libero arbitrio, et naturalia eius peccato originali omnino corrupta sunt. « Scholastici disputant: Quod iustitia originalis non fuerit connaturalis, sed ceu ornatus quidam additus homini tamquam donum: Ut si quis formosae puellae coronam imponat. Corona certe non est pars naturae virginis sed quid-

---

[17] 685 s.

[18] 717; idem pag. 718 ss.; 722 iterum conatur ostendere, quod distinctio necessitatis consequentiae et consequentis nihil efficiat in praesenti materia.

dam separatum a natura, quod ab extra accedit et sine violatione naturae potest iterum adimi. Quare disputant de homine et daemonibus, quod, etsi originalem iusticiam amiserint, tamen naturalia pura manserint, sicut initio condita sunt. Sed haec sententia quia peccatum originis extenuat, ceu venenum fugienda est. Quin hoc statuamus, iusticiam non fuisse quoddam donum, quod ab extra accederet separatum a natura hominis: sed fuisse vere naturalem, ita ut natura Adae esset diligere Deum, credere Deo, agnoscere Deum etc. Haec tam naturalia fuere in Adamo, quam naturale est, quod oculi lumen recipiunt. Quia autem, si oculum viciosum reddas inflicto vulnere, recte dicas naturam violatam esse, ita postquam homo ex iusticia in peccatum lapsus est, recte et vere dicitur: Naturalia non integra sed corrupta esse per peccatum. Sicut enim natura oculi est videre, ita natura rationis et voluntatis in Adamo fuit nosse Deum, fidere Deo, timere Deum. Haec cum iam amissa esse constet, quis tam amens est, qui dicat, naturalia adhuc esse integra? Et tamen hac sententia in Scholis nihil fuit usitatius nec receptius. Quanto autem absurdius est hoc de Daemonibus affirmare, quos Christus dicit in veritate non stetisse et quos novimus acerrimos hostes esse Christi et Ecclesiae? Integra naturalia igitur in homine fuerunt cognitio Dei, fides, timor etc. Haec Satan per peccatum ita corrupit, ut, sicut lepra carnem inficit, ita voluntas et ratio per peccatum sic vitiata est, ut non solum non diligat amplius Deum sed eum fugiat et oderit eum et cupiat sine eo esse et vivere » [19].

Totus homo peccato obstrictus est, et quidquid facit, est peccatum. « Concludimus ergo universaliter: Quod homo sine Spiritu sancto et sine gratia nihil potest facere quam peccare et ita progreditur in infinitum, de peccato in peccatum... Hi omnes loci maxime generales sunt et fortissime concludunt pro nobis: Quod sine Spiritu sancto, cuius largitor solus Christus est, homo aliud non possit quam errare et peccare. Ideo Christus quoque in Evangelio dicit: Ego sum vitis, vos palmites; sine me nihil potestis facere.

---

[19] In 1 lib. Mose enarrationes (1535 ss.). Op. omnia 42, 123 s.; cf. Enarr. Psalmi 51 (1532). Op. omnia 40.2, 323 s.

Sed estis sine me tamquam excisus, aridus, mortuus et ad ignem paratus palmes » [20].

Actus neuter, qui moraliter bonus sit, sed neque iustitia neque peccatum, non habetur. « Quod si is non iustificabitur in iudicio Dei, qui servus Dei est, nec omnes viventes, inter quos necesse est sanctissimos aliquot esse, si Ecclesiam sanctam sanctorum communionem in terris vivere credimus, qui tamen legem implent, qualis, putas, furor est eorum, qui citra gratiam et extra Ecclesiam insaniunt, legem posse impleri ex naturalibus viribus quo ad totam substantiam facti, licet non ad intentionem praecipientis? Ad hoc, ut iterum ad articulum Hussiticum Constantiae damnatum redeam, quantus error est, actum neutrum et non malum inveniri dicere, quando actus iustorum non est iustificabilis coram Deo! » [21] « Ubi sunt ergo nostri neutrales, qui inter peccatum et iustitiam fidei medium statum finxerunt, scilicet moraliter bonum, cum Apostolus ipsam legis iustitiam appellet mortuam? At mortuum apud Apostolum non dicitur, nisi quod peccatum prius sit, sicut dicit: stimulus autem mortis peccatum est. et Rho. V. per peccatum mors. Non ergo opus aliquod mortuum et non mortale (ut dicunt) seu non meritorium, sed mortuum simul et peccatum est » [22].

Peccata autem de se omnia sunt mortalia; ratione tamen personae sermo esse potest de venialibus. « Peccatum est vere peccatum, sive illud ante sive post Christum cognitum commiseris. Et Deus peccatum odit, imo omne peccatum, quod ad substantiam facti attinet, est mortale. Quod autem credenti non est mortale, fit propter Christum Propiciatorem, qui peccatum sua morte expiavit. Non credenti in Christum non solum omnia peccata mortalia sunt, sed etiam bona ipsius opera peccata sunt, iuxta illud: quidquid non est ex fide, peccatum est. Ideo Sophistae perniciose errant, qui peccata distinguunt penes substantiam facti, non penes personam.

---

[20] In 1 lib. Mose Enarr. Op. omnia 42, 290.

[21] Resolutiones Lutherianae super propositionibus suis Lipsiae disputatis (1519). Op. omnia 2, 415.

[22] In epist. Pauli ad Galatas comment. (1519). Op. omnia 40. 2, 503; cf. ibid. 514.

Qui credit idem et aeque magnum peccatum habet, ut incredulus. Credenti tamen illud condonatur et non imputatur, incredulo retinetur et imputatur. Huic veniale, illi mortale est, non propter differentiam peccatorum, quod credentis peccatum minus, increduli maius sit, sed personarum. Credens enim novit peccatum sibi esse remissum propter Christum, qui morte sua illud expiavit. Itaque peccatum habens et peccans tamen manet pius. Contra incredulus peccans manet impius. Atque ea est vere piorum sapientia et consolatio, quod, etiamsi peccata habeant et committant, tamen sciant ea propter fidem in Christum non imputari sibi »[23].

Opus meritorium hominis negatur. « Damnanda est igitur perniciosa et impia opinio Papistarum qui tribuunt operi operato meritum gratiae et remissionis peccatorum. Dicunt enim: Opus bonum ante gratiam valere ad impetrandam gratiam de Congruo. Impetrata vero iam gratia sequens opus mereri vitam aeternam de Condigno. Ut homo exsistens in peccato mortali sine gratia, si bona naturali intentione faciat opus bonum, id est, legat vel audiat Missam, det eleemosynam etc., is meretur gratiam de congruo. Impetrata sic gratia de congruo, iam facit opus condignum et meritorium vitae aeternae. In primo quidem Deus non est debitor, sed quia est bonus et iustus, decet eum, ut approbet tale opus etiam in peccato mortali factum et reddat pro tali officio gratiam. Post gratiam autem iam factus est debitor et iure cogitur dare vitam aeternam, quia iam non solum est opus liberi arbitrii, factum secundum substantiam sed etiam factum in gratia sanctificante, hoc est, in dilectione. Haec est Theologia Regni Antichristiani quam ideo commemoro, ut eo melius intelligi possit disputatio Pauli. Opposita enim iuxta se posita magis illustria fiunt. Deinde ut palam fiat, quam longe aberraverint a veritate caeci isti et caecorum duces[24] et quam ista sua impia et blasphema doctrina non solum obscuraverint, sed simpliciter sustulerint Evangelium et Christum

---

[23] In epist. S. Pauli ad Galatas Comment. (1536). Op. omnia 40. 2, 95 s; cf. Resolutiones Lutherianae... Op. omn. 2, 416 ss; Rationis Latomianae confutatio (1521). Op. omn. 8, 58.

[24] Matth 23, 16.

obruerint. Si enim ego exsistens in peccato mortali possum facere aliquod opusculum quod non solum secundum substantiam sit gratum Deo, sed etiam possit mereri gratiam de congruo; et ubi habuero gratiam, possum facere opera secundum gratiam, id est dilectionem et acquirere de iure vitam aeternam: Quid iam opus est mihi gratia Dei, remissione peccatorum, promissione, morte et victoria Christi? Christus plane iam mihi otiosus est. Habeo enim liberum arbitrium et vires faciendi bonum opus per quod gratiam mereor de congruo et postea vitam aeternam de condigno »[25]. « Quare cum Paulo in totum negamus meritum congrui et condigni et certa fiducia pronuntiamus istas speculationes esse mera ludibria Satanae numquam facta aut exemplis ostensa. Nemini enim unquam dedit Deus gratiam et vitam aeternam pro merito congrui et condigni »[26].

Ex dictis facile patet: si in relatione hominis peccatoris ad Deum mutatio aliqua intercedat (iustificatio), homo ipse in hoc negotio passive omnino se habet. Christus pro hominibus Deo satisfecit eosque morte sua redemit, qui et interpellat pro nobis. Huius autem redemptionis Christi homo particeps fit fide. Haec fides potius passio est quam actio, non est facere, sed recipere. «Non enim norunt (Sophistae) fidem esse mutationem et renovationem totius naturae, ut aures, oculi, cor ipsum prorsus diversum audiant, videant, sentiant ab omnibus aliis hominibus. Est enim fides res vivax et potens: non est ociosa cogitatio, nec innatat cordi, sicut anser aquae: sed sicut aqua igni calefacta, etsi aqua manet, tamen non amplius frigida, sed calida et prorsus alia aqua est: ita fides, spiritus sancti opus, aliam mentem et sensus alios fingit, ac prorsus novum facit hominem. Est igitur fides operosa, difficilis et potens res: ac si vere aestimare volumus, magis est passio quam actio, mutat enim animos et sensus »[27]. « Sublimis et magna res est Deum habere placatum. Igitur longe alio Mediatore ibi opus est, quam Moses, vel Lex, quam nostra voluntas, quam etiam gratia sit

---

25 In Epist. S. Pauli ad Gal. Comment. (1535). Op. omn. 40. 1, 220.
26 Ibid. 223; cf. 291; 302.
27 In 1 lib. Mose ennarr. Op. omn. 42. 452.

quam vocant charitatem Dei. Hic prorsus nos nihil facere oportet, sed tantum recipere thesaurum qui Christus est in corde per fidem apprehensus, ut maxime sentiamus nos esse plenos peccatis »[28]. « Haec est enim vera via salutis, subdi Deo, in fide ei cedere et silere, ponere tumultum praesumptionis operum, quibus quaerunt impii eum invenire, et sese ductilem praebere, ut ipse in nobis operetur, non nos operemur »[29].

Fides est fiducia quaedam. « De verbo[30] non valde repugno, sive id pro reputare, sive cogitare accipias, nam res eodem redit. Cum enim divina maiestas de me cogitet, me esse iustum, mihi esse remissa peccata, me liberum esse a morte aeterna, et ego cum gratiarum actione in fide hanc cogitationem Dei de me apprehendo, vere sum iustus, non meis operibus, sed fide, qua apprehendo cogitationem divinam. Nam Dei cogitatio est infallibilis veritas. Igitur cum eam apprehendo firma cogitatione, non vaga opinione et dubia, iustus sum. Fides enim est firma et certa seu cogitatio, seu fiducia de Deo, quod per Christum sit propitius, quod per Christum cogitet de nobis cogitationes pacis, non afflictionis aut irae. Relativa enim haec sunt, cogitatio Dei, seu promissio et fides, qua promissionem Dei apprehendo. Recte igitur Paulus verbum (Haschab) reddidit per verbum λογίζεσθαι, quod etiam ad cogitationem alludit, sicut reputandi verbum. Si enim tu Deo promittenti credis, Deus te reputat iustum. Neque hic vel Legis, vel circumcisionis, vel sacrificiorum fit mentio, quod ea Deus dignari velit iusticia: Sola sua reputatio, sola illa gratiae de nobis cogitatio haec facit. Datur enim iustitia Abrahae non operanti, sed credenti: neque autem fidei, ut nostro operi, datur, sed propter cogitationem Dei, quam fides apprehendit[31].

---

[28] In epist. S. Pauli ad Galatas (1535). Op. omn. 40. 1, 242 s.; cf. De abroganda missa privata Martini Lutheri sententia (1521). Op. omn. 8, 442.

[29] De votis monasticis Martini Lutheri iudicium (1521). Op. omn. 8, 589.

[30] Scl. Haschab. Gen 15, 6: Credidit Abraham Deo et reputatum est illi ad iustitiam.

[31] In 1. lib. Mose Enarr. Op. omn. 42, 563 s.

Haec fides est omnino certa. « Agamus igitur Deo gratias, quod liberati sumus ab hoc monstro incertitudinis ac iam certo statuere possumus Spiritum sanctum clamare et illum inenarrabilem gemitum aedere in cordibus nostris. Hocque fundamentum est nostrum: Evangelium iubet intueri nos non benefacta et perfectionem nostram, sed ipsum Deum promittentem, ipsum Christum Mediatorem. Contra Papa iubet respicere non Deum promittentem, non Christum Pontificem, sed nostra opera et merita. Ibi necessario sequitur dubitatio et desperatio, illic vero certitudo et gaudium Spiritus, quia in Deo haereo, qui mentiri non potest; dicit enim: Ecce trado filium meum in mortem, ut te sanguine suo redimat a peccatis et morte. Ibi non possum dubitare, nisi velim prorsus Deum negare. Atque haec est ratio, cur nostra Theologia certa sit: Quia rapit nos a nobis et ponit nos extra nos, ut non nitamur viribus, conscientia, sensu, persona, operibus nostris, sed eo nitamur, quod est extra nos, hoc est, promissione et veritate Dei quae fallere non potest. Hoc Papa nescit, ideo sic impie nugatur cum suis furiis, neminem scire, ne iustos quidem et sapientes, utrum digni sint amore etc. Imo si iusti et sapientes sunt, certo sciunt se diligi a Deo, vel iusti et sapientes non sunt » [32].

Fide iustitia Christi fit iustitia nostra. « Igitur per fidem in Christum fit iustitia Christi nostra iusticia et omnia quae sunt ipsius, immo ipsemet noster fit. Ideo appellat eam Apostolus iustitiam Dei ad Ro I. Iustitia Dei revelatur in Evangelio, sicut scriptum est: Iustus ex fide vivit. Denique et fides talis vocatur iusticia Dei, ut eiusdem 3. arbitramur hominem iustificari per fidem. Haec est iusticia infinita et omnia peccata in momento absorbens, quia impossibile est, quod peccatum in Christo haereat: at qui credit in Christo, haeret in Christo, estque unum cum Christo, habens eandem iustitiam cum ipso. Ideo impossibile est, quod in eo maneat peccatum. Et haec iusticia est prima, fundamentum, causa, origo omnis iustitiae propriae seu actualis, quia vere ipsa datur pro originali iustitia in Adam perdita et operatur id, immo maius quam illa iustitia originalis fuisset operata. Sic intelligitur illud ps. XXX.

---

[32] In epist. S. Pauli ad Galatas Comm. (1535). Op. omn. 40. 1, 589.

In te, domine, speravi, non confundar in aeternum: in iustitia tua libera me, non in mea, sed in tua, inquit, id est in iustitia Christi Dei mei, quae est per fidem, per gratiam, per misericordiam Dei nostra facta, et haec vocatur in psalterio per multa loca opus domini, confessio, virtus Dei, misericordia, veritas, iustitia. Omnia haec sunt nomina fidei in Christum, immo iustitiae quae est in Christo. Unde Apostolus ad Gal 2 audet dicere: Vivo iam non ego, vivit vero in me Christus, et ad Eph. 3. Ut det vobis Christum habitare per fidem in cordibus vestris. Haec igitur iustitia aliena et sine actibus nostris per solam gratiam infusa nobis, trahente intus scilicet patre nos ad Christum, opponitur peccato originali, quod alienum similiter est sine nostris actibus per solam generationem nobis cognatum et contractum. Et ita Christus expellit Adam de die in diem magis et magis, secundum quod crescit illa fides et cognitio Christi. Non enim tota simul infunditur, sed incipit, proficit et perficitur tandem in fine per mortem. Secunda iustitia est nostra et propria, non quod nos soli operemur eam, sed quod cooperemur illi primae et alienae. Haec nunc est illa conversatio bona in operibus bonis... Haec iustitia est opus prioris iustitiae et fructus atque sequela eiusdem... Haec iustitia opponitur peccato actuali et proprio nostro, ut ad Ro 6. Sicut exhibuistis membra vestra servire iniquitati ad iniquitatem, ita nunc exhibete membra vestra servire iustitiae in sanctificationem »[33].

« Est enim peccatum remissum per gratiam, et est peccatum reliquum in carne. Peccatum per gratiam remissum est, quod Deus propter Christum non velit nos deserere, quantumcumque simus peccatores, sed quod velit misericorditer indulgere nobis, qui peccato perditi et corrupti sumus. Hoc peccatum per gratiam remissum non satis est, nam per infirmitatem subinde in peccata relabimur. Vellemus igitur non solum peccatum remitti, sed totum aboleri. Nam peccatum, sicut Augustinus loquitur, actu manet, reatu autem transit, hoc est, res ipsa, quae vere peccatum est et remissa est ac a Deo toleratur, ea manet in carne reliqua nec dum plane mortua est, nisi quod per Christum, sicut in Genesi dicitur,

[33] Sermo de duplici iustitia (1519). Op. omn. 2, 146 s.

caput serpentis contritum est, lingua tamen adhuc micat et cauda minatur ictum. Nam peccatum, quia gratia et misericordia Dei super nos regnat, non potest nos damnare, non potest Deum nobis iratum reddere, et tamen in iustificatis reliquiae peccati manent, ut concupiscentia et alia vitia, quae ceu feces reliquas sive seminaria Propheta in se intuetur et, sicut supra pro remissione universaliter rogavit, ita hic orat pro istarum reliquiarum expurgatione seu exstirpatione. Haec igitur secunda pars petitionis est, quae, ut dixi, nobis secundam distinctionem peccati ostendit, quod Deus vult peccata delere, quo ad remissionem culpae et ad ipsam vim peccati, non quo ad rem seu naturam peccati. Nam vis peccati est accusare, damnare, mordere, laedere, non relinquere pacem cordi, obiicere iratum Deum, infernum etc. Haec vis peccati per misericordiam gratuitam tollitur, et tamen manent verae huius veneni reliquiae. Ergo utrumque verum est, quod nullus Christianus habet peccatum et quod omnis Christianus habet peccatum. Hinc nascitur illa distinctio, quod apud Christianos duplex est peccatum: peccatum remissum et peccatum reliquum, quod exstirpandum et abluendum est. Peccatum remissum est, quod fiducia misericordiae contributum est, ne damnet, ne accuset, et tamen propter hanc carnem adhuc pullulat et militat in carne nostra [34], ut efficiat similes fructus prioribus, ut simus securi, ingrati, ignorantes Dei, sicut prius fuimus. Hi sunt conatus reliquiarum peccati in nobis, quos etiam sentiunt sancti, sed per Spiritum sanctum non eis indulgent. Ergo Christianus, postquam fide iustus est seu remissionem peccatorum accepit, non debet sic securus esse, quasi plane ab omnibus peccatis purus sit, sed tum demum ei perpetua haec incumbit lucta cum reliquiis peccati, a quibus Propheta hic cupit ablui. Est quidem iustus et sanctus aliena seu extrinseca sanctitate, ut sic docendi causa appellem, hoc est, est iustus misericordia et gratia Dei. Haec misericordia et gratia non est aliquid humanum, non est habitus quidam aut qualitas in corde, sed est divinum beneficium, quod nobis donatur per illam cognitionem Evangelii propriam, quod scimus seu credimus peccatum nostrum no-

---

[34] Rom 7, 23.

bis per Christi gratiam et meritum remissum esse et quod speramus propter Christum in misericordiam et miserationes multas et magnas, sicut Propheta hic dicit. Haec autem iustitia an non aliena iustitia est, quae tota consistit in alterius indulgentia et merum donum est Dei miserentis et propter Christum faventis? »[35].

Est autem iustitia in spe nondum in re. « Sic et hoc loco[36] spes accipi potest dupliciter, et secundum hoc gignit etiam duplicem sententiam. Prior est: Nos spiritu ex fide spem iustitiae nostrae exspectamus, id est, iustitiam speratam, quae certo revelanda est suo tempore. Altera: Nos spiritu ex fide exspectamus spe et desiderio iustitiam, hoc est, sumus iustificati, et tamen nondum sumus iustificati, quia iustitia nostra pendet adhuc in spe, Ro. 8.: Spe salvi facti sumus. Donec enim vivimus, haeret adhuc peccatum in carne nostra, manet lex in carne et membris, repugnans legi mentis nostrae et captivans nos in obsequium peccati. Illis affectibus carnis furentibus ac nobis Spiritu reluctantibus manet ibi locus speratae iustitiae. Incepimus quidem iustificari fide, qua et primitias Spiritus accepimus, et mortificatio carnis coepta est, sed nondum perfecte iusti sumus. Reliquum est, ut perfecte iustificemur, hocque speramus. Sic iustitia nostra nondum est in re, sed adhuc in spe »[37].

Quomodo in iis qui sunt in Christo Iesu nihil sit damnationis, ita explicat: « Nec dignantur meminisse, quam crebro ego quoque illud induxerim, quod Paulus ait, nihil esse damnationis, licet nonnihil sit peccati, quia tot de peccato praemiserat, sed ideo nihil est damnationis, non quia non sit ibi peccatum, ut Latomus mentitur, sed quia sunt in Christo Iesu, dicit Paulus, id est pullastri sub gallina et sub umbra iustitiae illius pausant, seu ut Ro V. clarius dicit, gratiam et donum in gratia illius habent. Deinde non ambulant secundum peccatum seu carnem peccati, id est, non consentiunt peccato, quod revera habent. Deus enim providit duo robustissima munitissimaque firmamenta, ne hoc peccatum

---

35 Enarratio Psalmi 51 (1538). Op. omn. 40. 2, 351 ss.
36 Gal 5, 5.
37 In epist. S. Pauli ad Gal. Com. Op. omn. 40. 2, 23 s.

eis sit in damnationem. Primum, ipsum Christum propitiatorium (ut Ro III.), ut sub huius gratia tuti sint, non quia credunt et fidem aut donum habent, sed quia in gratia Christi habent. Nullius enim fides subsisteret, nisi in Christi propria iustitia niteretur et illius protectione servaretur. Haec est enim fides (ut dixi) vera, non absoluta immo obsoleta illa qualitas in anima, ut illi fingunt, sed quae se a gratia Christi non patitur avelli, nec alio nititur, quam quod scit, illum esse in gratia Dei nec posse damnari, nec aliquem, qui sic in eum se proiecerit. Scilicet tam magna res est hoc peccatum reliquum, sic intolerabile iudicium Dei, ut nisi eum pro te opponas, quem sine omni peccato esse nosti, subsistere nequeas, id quod facit fides vera. Alterum est, quod dono accepto non ambulant secundum carnem, nec obediunt peccato, sed prius illud principale et robustissimum est, licet et alterum sit aliquid, sed in virtute prioris. Quia pepigit Deus pactum iis, qui sunt hoc modo in Christo, ut si pugnent contra seipsos et peccatum suum, nihil sit damnationis. Non ergo nihil est damnationis, ut Latomus delyrat, quia non peccant, aut non sit peccatum in opere bono. Hoc fingit extra et contra apertum textum Pauli e proprio capite. Sed quia sunt (inquit) in Christo Iesu et non ambulant secundum carnem, manifeste de mortali peccato loquens » [38].

Eadem doctrina in libris symbolicis Lutheranorum invenitur.

Confessio Augustana (1530). Art. 2. « Item docent, quod post lapsum Adae omnes homines, secundum naturam propagati, nascantur cum peccato, hoc est, sine metu Dei, sine fiducia erga Deum et cum concupiscentia, quodque hic morbus seu vitium originis vere sit peccatum, damnans et afferens nunc quoque aeternam mortem his, qui non renascuntur per baptismum et Spiritum sanctum » [39].

Art. 4. « Item docent, quod homines non possint iustificari coram Deo propriis viribus, meritis aut operibus, sed gratis ius-

---

[38] Rationis Latomianae confutatio (1521). Op. omn. 8, 114.

[39] J. T. Müller, Die symbolischen Bücher der evangelisch-lutherischen Kirche. Gütersloh 1912; pag. 38.

tificentur propter Christum per fidem, quum credunt se in gratiam recipi et peccata remitti propter Christum, qui sua morte pro nostris peccatis satisfecit. Hanc fidem imputat Deus pro iustitia coram ipso, Rom. 3 et 4 » [40].

Art. 6. « Item docent, quod fides illa debeat bonos fructus parere, et quod oporteat bona opera mandata a Deo facere propter voluntatem Dei, non ut confidamus per ea opera iustificationem coram Deo mereri. Nam remissio peccatorum et iustificatio fide apprehenditur... » [41].

Art. 18. « De libero arbitrio docent, quod humana voluntas habeat aliquam libertatem ad efficiendam civilem iustitiam et deligendas res rationi subiectas. Sed non habet vim sine Spiritu Sancto efficiendae iustitiae Dei seu iustitiae spiritualis, quia animalis homo non percipit ea, quae sunt Spiritus Dei; sed haec fit in cordibus, quum per verbum Spiritus Sanctus concipitur... Damnant Pelagianos et alios, qui docent, quod sine Spiritu Sancto solis naturae viribus possimus Deum super omnia diligere, item praecepta Dei facere quoad substantiam actuum. Quamquam enim externa opera aliquo modo efficere natura possit (potest enim continere manus a furto, a caede), tamen interiores motus non potest efficere, ut timorem Dei, fiduciam erga Deum, castitatem, patientiam cet. » [42].

Art. 20. « Quum igitur doctrina de fide, quam oportet in ecclesia praecipuam esse, tam diu iacuerit ignota, quemadmodum fateri omnes necesse est, de fidei iustitia altissimum silentium fuisse in concionibus, tantum doctrinam operum versatam esse in ecclesiis, nostri de fide sic admonuerunt ecclesias: Principio, quod opera nostra non possint reconciliare Deum, aut mereri remissionem peccatorum et gratiam et iustificationem, sed hanc tantum fide consequimur, credentes, quod propter Christum recipiamur in gratiam, qui solus positus est mediator et propitiatorium, per quem reconcilietur Pater. Itaque qui confidit operibus se mereri gratiam, is aspernatur Christi meritum et gratiam, et quaerit sine Christo humanis viribus viam ad Deum, quum Christus de se dixerit Joh. 14, 6:

---

40 Ibid. 39.
41 Ibid. 40.
42 Ibid. 43 s.

Ego sum via, veritas et vita... Praeterea docent nostri, quod necesse sit bona opera facere, non ut confidamus per ea gratiam mereri, sed propter voluntatem Dei. Tantum fide apprehenditur remissio peccatorum ac gratia. Et quia per fidem accipitur Spiritus Sanctus, iam corda renovantur et induunt novos affectus, ut parere bona opera possint... »[43].

Formula concordiae (1577). I. Pars, Epitome. « De hoc negotio[44] haec est fides, doctrina et confessio nostra, quod videlicet hominis intellectus et ratio in rebus spiritualibus prorsus sint caeca, nihilque propriis viribus intelligere possint... Credimus, docemus et confitemur etiam, voluntatem hominis nondum renatam non tantum a Deo esse aversam, verum etiam inimicam Deo factam, ita ut tantummodo ea velit et cupiat iisque delectetur, quae mala sunt et voluntati divinae repugnant... Itaque credimus, quantum abest, ut corpus mortuum se ipsum vivificare atque sibi ipsi corporalem vitam restituere possit, tantum abesse, ut homo, qui ratione peccati spiritualiter mortuus est, se ipsum in vitam spiritualem revocandi ullam facultatem habeat... »[45].

« Credimus praeterea, docemus et confitemur, fidem illam iustificantem non esse nudam notitiam historiae de Christo, sed ingens atque tale Dei donum, quo Christum redemptorem nostrum in verbo evangelii recte agnoscimus ipsique confidimus, quod videlicet propter solam ipsius obedientiam ex gratia remissionem peccatorum habeamus, sancti et iusti coram Deo Patre reputemur et aeternam salutem consequamur. Credimus, docemus et confitemur, vocabulum (iustificare) phrasi scripturae sacrae in hoc articulo idem significare, quod absolvere a peccatis, ut ex dicto Salomonis (Prov. 17, 15) intelligi potest: Qui iustificat impium, et qui condemnat iustum, abominabilis est uterque apud Deum. Item (Rom. 8, 33): Quis accusabat electos Dei? Deus est, qui iustificat. Et, si quando pro vocabulo iustificationis vocabula regenerationis et vivificationis usurpantur, (quod in Apologia Augustanae Confessionis fa-

---

[43] Ibid. 44 ss.
[44] Scl. de libero arbitrio.
[45] Ibid. 523 s.

ctum est) sunt ea in illa superiore significatione accipienda. Nam alias eae voces de hominis renovatione intelligendae sunt, quae a fidei iustificatione recte discernitur. Credimus, docemus et confitemur etiam, etsi vere in Christum credentes et renati multis infirmitatibus et naevis usque ad mortem sunt obnoxii, non tamen illis vel de iustitia, quae per fidem ipsis imputatur, vel de aeterna salute esse dubitandum, quin potius firmiter illis statuendum esse, quod propter Christum iuxta promissionem et immotum verbum evangelii Deum sibi placatum habeant »[46].

« Ut hae controversiae[47] solide et dextre explicentur atque decidantur, haec nostra fides, doctrina et confessio est: I. Quod bona opera veram fidem, (si modo ea non sit mortua sed viva fides) certissime atque indubitato sequantur tamquam fructus bonae arboris. II. Credimus etiam, docemus et confitemur, quod bona opera penitus excludenda sint, non tantum cum de iustificatione fidei agitur, sed etiam cum de salute nostra aeterna disputatur... VIII. Hanc vero libertatem spiritus in electis Dei filiis non perfectam, sed multiplici infirmitate adhuc gravatam agnoscimus, quemadmodum divus Paulus super ea re de sua ipsius persona conqueritur (Rom. 7, 14-25. Gal. 5, 17). IX. Illam tamen infirmitatem Dominus electis suis non imputat, idque propter mediatorem Christum. Sic enim scriptum est (Rom. 8, 1): Nihil iam damnationis est his, qui in Christo Iesu sunt. X. Credimus praeterea, docemus et confitemur, fidem et salutem in nobis conservari aut retineri non per opera, sed tantum per Spiritum Dei et per fidem, (qua scilicet salus custoditur), bona autem opera testimonia esse, quod Spiritus Sanctus praesens sit atque in nobis habitet »[48]. Similem doctrinam Calvini vide in eius Catechismo ecclesiae Genevensis (1545)[49], et Zwinglianorum in Confessione helvetica posteriore (1562)[50].

---

46 Ibid. 528 s.

47 Scl. De bonis operibus.

48 Ibid. 531 s. De differentia inter iustificationem et renovationem seu sanctificationem vide Form. Conc.; P. II. Sol. Decl. III; pag. 613 ss.

49 Apud E. F. Karl Müller, Die Bekenntnisschriften der reformierten Kirche. Leipzig, 1903, pag. 127 s.

50 Ibid. 191 ss.

In bulla «Exsurge Domine» (15 Iunii 1520) Leo X errores Lutheri damnavit [51], inter quos plures etiam, qui ad materiam de gratia spectant. Ita doctrinam, quae dicit concupiscentiam, quae post Baptismum manet, esse peccatum (art. 2); doctrinam de fide requisita et sufficiente ad remissionem peccatorum (art. 10-12. 15); quod iustus in omni opere peccet (art. 31); quod opus bonum optime factum sit veniale peccatum (art. 32); neminem certum esse se non semper mortaliter peccare (art. 35); quod liberum arbitrium post peccatum sit res de solo titulo (art. 36).

Imprimis autem concilium Tridentinum novae haeresi veram catholicam doctrinam opposuit. Sessione 5. (17. Iunii 1546) decreto de peccato originali damnaverat sententiam quae negat, per Christi gratiam, quae in Baptismo confertur, reatum originalis peccati remitti, aut asserit, non tolli totum id, quod veram et propriam peccati rationem habet, sed illud tantum dicit radi aut non imputari. Manet quidem concupiscentia post Baptismum, sed non propterea peccatum vocatur, quod vere et proprie in renatis peccatum sit, sed quia ex peccato est et in peccatum inclinat [52].

Deinde, sessione sexta (13 Ian. 1547) decreto de iustificatione «exponere intendit omnibus Christi fidelibus veram sanamque doctrinam ipsius iustificationis, quam sol iustitiae Christus Iesus, fidei nostrae auctor et consummator, docuit, apostoli tradiderunt et catholica Ecclesia, Spiritu Sancto suggerente, perpetuo retinuit, districtius inhibendo ne deinceps audeat quisquam aliter credere, praedicare aut docere quam praesenti decreto statuitur ac declaratur». Decretum continet 16 capita, quibus doctrina catholica exponitur, et 33 canones, quibus falsae doctrinae reiciuntur [53].

---

[51] Denz. 741 ss.

[52] Denz. 792.

[53] Acta huius sessionis edita sunt ab Ehses, in Concilium Tridentinum. Ed. Societas Goerresiana, tom. 5. Friburgi 1911. — Hefner, Die Entstehungsgeschichte des Trienter Rechtfertigungsdekretes. Paderborn 1909. — Rivière, in art. Justification, Dict. de Théol. Cath., 8, 2164-2191. — Hünermann, Wesen und Notwendigkeit der aktuellen Gnade nach dem Konzil von Trient. Paderborn 1926 (ad cap. 5). — Premm, Das tridentinische diligere incipiunt (sess. 6 c. 6). Graz 1925. — A. Prumbs, Die

Cap. 1-3 ostendunt, iustificationem esse merum opus gratiae ex meritis Christi Redemptoris. Cap. 1: Post Adae peccatum neque gentes per vim naturae, neque Iudaei per litteram Legis Moysi liberari aut surgere potuerunt, quamvis liberum arbitrium minime exstinctum esset. Cap. 2: Sed Deus misertus est generis humani et misit Filium suum ad redimendos Iudaeos et gentes. Cap. 3: Merita autem passionis Christi hominibus communicari debent: Homines debent in Christo renasci; hac renascentia in Christo gratia iis tribuitur, qua iusti fiunt.

Cap. 4-9 agunt de prima iustificatione, id est de iustificatione hominis qui adhuc est in peccato originali. Cap. 4: Breviter haec iustificatio describitur ut translatio ab eo statu, in quo homo nascitur filius primi Adae, in statum gratiae et adoptionis filiorum. Haec translatio post Evangelium promulgatum sine lavacro regenerationis aut eius voto fieri non potest. Cap. 5: Adultus ad hanc iustificationem praeparare se debet. Exordium sumit a praeveniente Dei gratia qua nullis eorum exsistentibus meritis vocantur; sed homo libere huic gratiae assentiri et cooperari debet. Cap. 6 hic modus praeparationis accuratius describitur. Cap. 7 docetur quid sit ipsa iustificatio, scl. non sola peccatorum remissio, sed et sanctificatio et renovatio interioris hominis per voluntarium susceptionem gratiae et donorum; non solum iusti reputantur, sed vere iusti nominantur et sunt. Praeterea causae huius iustificationis enumerantur. Cap. 8. explicatur quomodo intelligenda sint verba s. Pauli, per fidem nos iustificari et gratis; per fidem, quia fides est humanae salutis initium, fundamentum et radix omnis iustificationis; gratis quia nihil eorum, quae iustificationem praecedunt, ipsam iustificationis gratiam meretur. Cap. 9. reicitur inanis fiducia haereticorum. Ei qui in sola hac fiducia quiescit, peccata non remittuntur; neque oportet eos, qui vere iustificati sunt, sine omni dubitatione apud semet-

---

Stellung des Trienter Konzils zu der Frage nach dem Wesen der heiligmachenden Gnade. 1909 (ad cap. 7). — Rivière, La doctrine du mérite au Concile de Trente. Revue des Sciences religieuses 7 (1927) 262-298. — Idem, Dict. de Théol. 10, 735-761. — Straub, Ueber den Sinn des 22. Kanons der 6. Sitzung des Konzils von Trient. Zeitschrift für kath. Theologie 1897, 107 ss.; 209 ss.

ipsos statuere, se esse iustificatos; multo minus sola hac fide iustificatio perficitur.

Cap. 10-13 agunt de secunda iustificatione, sive de conservatione et evolutione primae iustificationis. Cap. 10: Iusti in ipsa iustitia accepta cooperante fide bonis operibus crescunt et magis iustificantur. Cap. 11: Observatio mandatorum iustificatis non est impossibilis; eaque omnino necessaria est ad consequendam hereditatem. Unde iustus nullo modo in omni opere bono peccat, ne tunc quidem, cum intuitu etiam mercedis aeternae operatur. Cap. 12: Sed licet iustus possit observare mandata, potest tamen etiam peccare, neque, si peccavit, certam sibi resipiscentiam promittere debet. Hinc praedestinationis temeraria praesumptio cavenda est. Cap. 13: Idem valet de munere perseverantiae. Non enim in gloriam, sed in spem gloriae renati sunt et remanet illis pugna cum carne, cum mundo, cum diabolo.

Cap. 14-15 agunt de tertia iustificatione, sive de iustificatione eorum, qui gratiam perdiderunt. Cap. 14: Qui per peccatum a iustificationis gratia exciderunt, rursus iustificari possunt. Breviter modus huius iustificationis describitur et quomodo a prima iustificatione differat, indicatur. Cap. 15: Non sola infidelitate gratia iustificationis amittitur, sed omni peccato mortali; non autem semper cum gratia fides amittitur.

Cap. 16: agit de fructu iustificationis, hoc est de merito bonorum operum, deque meriti ipsius ratione.

Sequuntur 33 canones, quibus errores huic doctrinae oppositi reiciuntur.

Baius

Sed iam paucis annis post concilium Tridentinum, Apostolica Sedes iterum errores in materia gratiae damnare debuit Bulla « Ex omnibus afflictionibus », 1 Oct. 1567, qua damnantur errores Michaelis de Bay (1513-1589), professoris Lovaniensis [1].

Secundum Jansen error principalis Baii in eo est, quod non recte distinguit inter naturale et supernaturale; quoad statum primitivum est optimismus, consequenter quoad statum naturae lapsae pessimismus [2].

« Immortalitas primi hominis non erat gratiae beneficium, sed naturalis conditio » (prop. 78); « Humanae naturae sublimatio et exaltatio in consortium divinae naturae debita fuit integritati primae conditionis, et proinde naturalis dicenda est, et non supernaturalis » (prop. 21). Attamen non ea est Baianorum sententia, quod

---

[1] Prop. damnatae inveniuntur apud Denz 1001 ss. De Baio eiusque doctrina cf. imprimis X.-M. Le Bachelet, art. « Baius » in Dict. de Théol. Cath. tom. 2, 38-111; F.-X. Jansen, Baius et le Baianisme, Louvain, 1927, ubi alia opera indicantur et iudicantur.

[2] « Si on nous demandait de définir le Baianisme et d'en condenser l'essentiel dans quelque formule prégnante, nous dirions volontiers qu'il consiste dans une confusion, dont l'occasion historique préexistait et dont il ne fit en somme que tirer, avec une logique impeccable, les consequences extrêmes. L'erreur capitale du Baianisme, son πρῶτον ψεῦδος consiste à dégrader, jusqu'à l'oblitérer totalment, la ligne de démarcation précise entre le naturel et le surnaturel en nous, la différence qui les distingue et les maintient en les opposant. Avec les théologiens Baianistes, ce qui est constamment en jeu, ce qui décide des positions et finit toujours par trancher le débat, c'est la notion même qu'il s'agit de se faire de l'homme, pour reconnaître sa véritable nature, surtout dans son rapport normal à Dieu, son auteur. Parmi tous les signalements doctrinaux qui ont été proposés du Baianisme, celui du P. X. Le Bachelet est certainement un des plus heureux: il est, concernant l'état primitif de l'homme un optimisme radical, qui entraîne par voie de conséquence un pessimisme outré concernant la nature de l'homme déchu ». Jansen, op. cit. 27.

illa dona primae creationis fuerint proprietates naturales hominis, quae ex principiis internis constitutivis ipsius naturae emanarint; sed natura humana dona illa exigebat: naturalis destinatio ad vitam moralem et religiosam, ad perfectam unionem cum Deo, postulabat illa dona. Negabat ergo Baianismus possibilitatem status naturae purae; bonum honestum mere naturale, religio mere naturalis in doctrina Baii locum non habent[3].

Post peccatum Adae homo plane incapax est boni moralis (prop. 27, 28, 30, 35, 37, 40). Amor naturalis non habetur (prop. 36). Aut opus est salutare aut peccatum[4]. Hinc: « Omnia opera infidelium sunt peccata » (prop. 25; cf. prop. 62). « Omnis amor creaturae rationalis aut vitiosa est cupiditas, qua mundus diligitur, quae a Ioanne prohibetur, aut laudabilis illa caritas, qua per Spiritum Sanctum in corde diffusa Deus amatur » (prop. 38); hinc « Cum Pelagio sentiunt, qui textum Apostoli ad Romanos II: Gentes, quae legem non habent, naturaliter ea, quae legis sunt, faciunt, intelligunt de gentibus fidei gratiam non habentibus » (prop. 22).

Ita de facto moralis libertas voluntatis naturalis negatur; sine gratia homo necessario peccat. Ut actus sit peccatum, non requiritur libertas a necessitate; sola violentia repugnat naturali libertati hominis (prop. 66-68). « Omne quod agit peccator vel servus peccati, peccatum est » (prop. 35). Ad peccatum non solum libertas indifferentiae non requiritur, sed ne voluntarium quidem esse debet (prop. 46. 47). Etiam indeliberati motus concupiscentiae sunt vera inobedientia (prop. 51, 75); non servatur praeceptum dilectionis Dei (prop. 76).[5].

Ad iustificationem intelligendam necessaria est secundum Baium cognitio caritatis. « De iustificatione disserenti, si bene et utiliter disserere velit, magno studio quaerenda est vera caritatis cognitio, qua Deum diligimus et proximum, quia caritas aut iustitia est, quam adipisci studet is qui iustificatur... aut certe usque adeo ius-

---

[3] Jansen, op. cit. 31.

[4] Jansen, op. cit. 52; cf. similem doctrinam Lutheri.

[5] Jansen, op. cit. 76 ss. ostendit in doctrina Baii non haberi gratiam vere sufficientem.

titiae coniuncta, ut quamvis sine ea possit simulari, non tamen haberi aut acquiri » [6]. Quemadmodum igitur concupiscentia vel libido, quando in Scripturis sacris animi motum significant, nihil aliud est quam amor mundi seu amor creaturae, qui ad Deum non refertur... sic etiam caritas hoc posteriori modo, nihil aliud est quam amor vel dilectio Dei, quae eadem etiam arbor bona et voluntas bona dicitur... An vero praeter hunc animi motum qui caritas dicitur, alia quaedam habitualis atque accidentalis qualitas in voluntate ponenda sit quae etiam caritas nuncupetur, non magnopere contendendum existimo; quia facile intelligi potest, non tantum animi motum, sed etiam conformem aliquem habitum diffundi posse in cordibus nostris, per Spiritum Sanctum qui datus est nobis: sed an in Scripturis sacris reperiri queat distincta et aperta huius habitus mentio sub nomine caritatis, alia quaestio est, quam nihil opus esse duxi hoc loco discutere, quia actu cognito, facile est in habitus cognitionem venire » [7].

Hic caritatis motus non est ex nobis, sed ex Deo idque valet non solum de dilectione Dei ut beatificatoris, sed etiam ut creatoris [8]. Omnis amor creaturae rationalis est caritas aut vitiosa cupiditas [9].

Animi motus qui dicitur caritas, potest praecedere remissionem peccatorum. « Cum quaeritur: utrum caritas etiam in iis reperiatur qui nondum consecuti sunt remissionem peccatorum propter longum alterius partis praeiudicium; et quia plerique per caritatem, non nisi habitum quemdam intelligunt, quo homini insensibiliter infuso fiat peccatorum omnium remissio, et qui sine remissione peccatorum infundi non possit, res quaedam absurdissima quaeri putatur; quia apud eiusmodi homines tamquam certum habetur quod primum in quaestionem venire debuit, nempe an in Scripturis sacris, nomine caritatis talis quisquam habitus sit intelli-

---

[6] Baius, De caritate, iustitia et iustificatione, libri tres. L. 1, cap. 1; in edit. Coloniae Agrippinae 1696, pag. 89.

[7] Ibid. cap. 2; pag. 91.

[8] Ibid. cap. 3 et 4, pag. 92 s.; cf. prop. 34.

[9] Cap. 6; pag. 95 s.

gendus, an potius animi motus. Sed qui suprapositam divi Augustini definitionem diligenter attendunt, qua ait: Caritatem voco animi motum ad fruendum Deo propter seipsum et proximo propter Deum; cum aliis testimoniis quibus manifeste testatur, caritatem nihil aliud esse quam bonam voluntatem, qua ad Deum convertimur, de qua ait Apostolus: quod Deus operetur in nobis velle; facile intelligunt, nomine caritatis non tam habitum quam motum quemdam debere intelligi a quo boni esse dicimur, ac proinde non immerito dubitari, utrum caritas in iis tantum reperiatur qui iam consecuti sunt remissionem peccatorum, an etiam in cathecumenis et aliis poenitentibus, qui ante remissionem peccatorum praeveniuntur a Deo multis bonis motibus; nam quod caritas etiam ante remissionem peccatorum in multis inveniatur, sic videtur ostendi »[10].

Caritas non semper tota datur, sed in proficientibus particulatim accrescit. « Patet igitur caritatis initium tunc homini conferri, quando ab infidelitate aut mala voluntate conversus incipit velle bonum, id est, velle facere Dei mandatum, qui prius volebat malum, id est, non Dei sed suum facere placitum, quod nihil aliud quam concupiscere est; atque caritatem tunc recte nuncupari, quando Deo cooperante tantum accipit incrementum, ut et mandata Dei faciat, et cupiditates, quae prius eum in sceleribus detinebant, vincat, sive haec per baptismum aut reconciliationem remissa fuerint, sive non. Quia si quis diligit me, inquit, sermones meos servabit, et qui non diligit me, sermones meos non servat »[11].

Libro 2. agit de iustitia. « Rectissime dixit quidam: Iustitia in sese virtutes continet omnes; siquidem ut ait D. Chrysostomus: Nihil aliud est iustitia, quam omnium mandatorum plena custodia, quae sine virtutum omnium praesidio constare non potest. Haec eadem in Scripturis sacris alio nomine etiam caritas seu dilectio nuncupatur, quia qui diligit proximum legem implevit, et plenitudo legis est dilectio. Unde August. de natura et gratia, Caritas inchoata, inquit, inchoata iustitia est: caritas magna, magna iustitia est: caritas provecta, provecta iustitia est: caritas perfecta, perfecta ius-

---

[10] Cap. 7; pag. 96 ss.; cf. prop. 31-33, 70.
[11] Cap. 9; pag. 102.

titia est; a qua beatum seu iustum illum dicit Psalmista, qui non abiit in consilio impiorum... »[12]. Iustitia huius vitae duabus constat partibus, « remissione videlicet peccatorum » et « vitae novitate »[13]. Sed remissio peccatorum non est proprii nominis iustitia, sed reputatur, quia iustitiae proprie dictae ex parte aequivalet apud Deum[14]. Unde incrementum et perfectio iustitiae non tam secundum remissionem peccatorum aestimanda est, quam secundum renovationem hominis, qua lex Dei continuo plenius ac plenius observatur[15]. « Licet igitur cathecumenus aut poenitens ante remissionem peccatorum aliquid iustitiae habeat... quia tamen non habet remissionem peccatorum, sine qua non consistit huius vitae iustitia, etiamsi proposito et vitae conversatione multos Dei filios superet, nondum potest iustus vocari »[16].

Libro tertio agit de iustificatione. « Cum de iustificatione disseritur, si dialecticorum more illud tantum inquiratur, quid sit iustificatio, et quibus partibus constare debeat plena et integra eius definitio, habita cognitione iustitiae, de qua iam diximus, res brevis ac facilis inquiritur. Quia nihil aliud est iustificatio, quam continua quaedam et indesinens ad iustitiam progressio. Iustitia vero est mandatorum omnium vera custodia, aut in operatione virtutum, sicut in Christo fuit, aut remissione peccatorum, sicuti in omnibus nobis quamdiu in hac vita sumus magna ex parte reperitur. Nam, ut ait Augustinus: Christus hinc etiam legem adimplevit, quod per carnis suae sacrificium sacerdos effectus, impetrat nobis indulgentiam peccatorum. Igitur nihil aliud est iustificatio, quam continua quaedam progressio tam in operatione virtutum, quam in remissione peccatorum »[17].

De merito dicit: « Quicquid ad humani generis reparationem pertinet, id non nostris meritis proprie, neque iusto Dei iudicio tribuendum est, quia alioqui saltem ex parte essemus nostri redemp-

---

12 Cap. 1; pag. 103.
13 Cap. 3; pag. 104.
14 Cap. 5; pag. 106.
15 Cap. 6; pag. 107
16 Cap. 7; pag. 107 s.; cf. prop. 42, 43.
17 Cap. 1; pag. 147; cf. prop. 44, 69.

tores, sed tantum proposito gratiae Dei, per redemptionem quae facta est in sanguine Christi. Et ideo fides, oratio, poenitentia, remissio peccatorum, abolitio poenae temporalis quae peccatis per sacramentum poenitentiae remissis quandoque relinquitur, conversatio sancta et perseverantia usque in finem vitae huius temporalis, imo et ipsa corporis resurrectio, proprie non nisi Christi meritis ascribenda sunt. Quia licet ad remissionem peccatorum, abolitionem poenae post sacramentum poenitentiae restantis, mortificationem concupiscentiae, et perseverantiam in obedientia mandatorum Dei, iuxta promissiones Christi ex parte nostra requirantur fides, poenitentia, oratio, satisfactio, et similia; attamen haec per se nullo modo sufficiunt, ut iusto Dei iudicio iam dicta Dei dona consequamur, nisi illis suffragetur pretium sanguinis Christi, sine cuius merito nulla omnino fit hominis reparatio. Si enim per se sufficerent, tunc his acceptis ad cetera consequenda non esset passio Christi necessaria. Caeterum quod pie et iuste in hac vita mortali usque in finem conversati vitam consequuntur aeternam, id non proposito gratiae Dei, sed ordinationi naturali statim initio creationis humani generis constitutae, et iusto Dei iudicio deputandum est, sicut supra satis diximus. Nec in hac retributione bonorum ad Christi meritum aspicitur, sed tantum ad primaevam institutionem generis humani, in qua lege naturali constitutum est, ut iusto Dei iudicio obedientiae mandatorum vita, sicut inobedientiae mors aeterna redderetur. Licet igitur universa generis humani reparatio solis Christi meritis tribuenda sit, ne si qua eius pars alterius cuiuspiam meritis proprie tribuatur, is saltem ex parte redemptor esse statuatur; attamen quod operibus bonis, quae praeparavit Deus ut in illis ambulemus, vita reddatur aeterna, id non Christi meritis, sed naturali institutioni hominis ascribendum est, ut diximus. Quod vero ad Timot. scribit Apostolus: Liberavit me Dominus ab omni opere malo, et salvum faciet in regnum suum caeleste: non sic accipiendum est, quasi utrumque Christi meritis ascribi debeat, nempe quod Apostolus ab omni opere malo liberatus sit, et quod pro fide servata coronam gloriae sit consecutus: sed tantum quod haec duo ex Christi meritis adeptus sit, videlicet quod in praeteritis tentationibus sit ab omni opere malo custoditus, et quod usque in finem

vitae temporalis in obedientia mandatorum Dei perseveraverit ut salvus esse possit; qui enim perseveraverit usque in finem, hic salvus erit. Unde Apostolus volens ostendere quomodo in hac mortali vita ex Christi meritis salvi facti sumus: Spe, inquit, salvi facti sumus; quando videlicet peccatorum remissionem accepimus, et Dei mandatis obedimus. Quod igitur in hac vita iusti, pii, et apti regno coelorum, seu spe salvi efficimur, non nisi proposito gratiae Dei deputandum est, qua restauratur quod per peccatum in nobis perierat: sed quod iustitiae et pietatis merito regnum coeleste consequimur, iusto iudicio Dei [18].

Deinde discutit et reicit sententiam eorum, « qui meritum non ex operis integritate, sed ex operantis dignitate metiendum existiment; adeo ut si quis imaginetur angelum aut hominem sic naturaliter conditum, ut sine inhabitatione ac directione Spiritus sancti totam Dei legem illibate servaret, iuxta horum sententiam nullum omnino vitae aeternae meritum haberet, donec per inhabitantem Spiritum Sanctum supra naturae suae conditionem sublimatus, et in Dei filium adoptatus, divinae naturae consortium accepisset » [19]. Et in fine huius capitis dicit: « Quapropter eorum sententia, qui in bonis operibus totam meriti rationem ex eo metiuntur, quod sint obedientia mandatorum Dei, his rationibus ostendi posse videtur ». Et sic ostendit cap. 2, quod sicut opus malum ex natura sua est mortis aeternae meritum: sic bonum opus ex natura sua est vitae aeternae meritum; cap. 3, quod natura humana, etiam Spiritu Sancto destituta, si Dei mandata illibate servaret, esset de praemio secura; cap. 4, quod Pelagii sententia sit, opera bona citra gratiam adoptionis facta non esse regni coelestis merita [20].

---

18 Cap. 9, pag. 33 s.; cf. prop. 11.
19 Lib. 2, cap. 1; pag. 35.
20 Ad haec cf. prop. 2-5, 12-15, 17, 18, 62.

Iansenius

Ideae et tendentiae baianae post damnationem non cessabant. Cum harum idearum fautoribus intimam relationem habuit Cornelius Jansen, yprensis episcopus[1]. Secundum eius sententiam plurimi non iam veram s. Augustini doctrinam de gratia proposuerunt, vel ab eius doctrina recedendo, vel falso explicando, propterea genuinam et veram doctrinam doctoris gratiae proponere voluit; ad hunc finem per multos annos eius operibus studuit, cuius studii fructus est opus « Augustinus, seu doctrina S. Augustini de humanae naturae sanitate, aegritudine, medicina adversus Pelagianos et Massilienses », in quo componendo usque ad finem vitae suae laboravit, et cuius editionem amicis suis relinquere debuit. Sententias autem in eo expositas iudicio S. Sedis subiecit[2]. Opus tribus tomis constat, in quorum primo « haereses et mores Pelagii contra naturae humanae sanitatem, aegritudinem et medicinam ex S. Augustino recensentur ac refutantur ».

In secundo tomo « Genuina sententia S. Augustini de humanae naturae stantis, lapsae, purae statu et viribus eruitur et explicatur ». Libro unico agit de gratia primi hominis et angelorum. Creatus est Adam in gratia et sanctitate (cap. 1), sine concupiscentiae motu (cap. 2); nulli omnino neque parvi neque magni excellentiae aut laudis aut superbiae motus atque tentationes ante peccatum esse potuerunt (cap. 3); eratque primus homo immortalis (cap. 4).

Adamus liberum habuit arbitrium (cap. 6). « Itaque mobiliter Adam per illum amorem creatoris liber fuit, ut excidere posset; et in eo permanere, si vellet: atque ita in quodam confinio vitae et mortis constitutus, ut utramlibet, vitam aut mortem elegisset, utralibet ipsi aeterna, et per hoc, aeterna quoque libertas, vel servitus

---

[1] Natus 1585, professor lovaniensis, 1636 episcopus yprensis, 1638 mortuus; alius ab eo est Cornelius Jansen exegeta, episcopus gandavensis.

[2] Editum est opus primo Lovanii 1640; haec editio in sequentibus citatur.

redderetur: cum nihil iustius esse queat, quam ut id quisque inammissibiliter ad fruendum teneat, quod sibi ad amandum libera voluntate delegit. In hoc enim iustissima meriti praemiique ratio constituta est. Ad utrumlibet igitur, hoc est, ad bonum et malum, ad vitam et mortem, ad amorem Creatoris et creaturae, ut saepissime Augustinus docet, illa prima libertas indifferens fuit » [3].

Per vires liberi arbitrii potuit iuste vivere (cap. 7), potuit in iustitia perseverare (cap. 8); sed ad hoc indigebat adiutorio gratiae (cap. 10). « Quapropter quemadmodum in praecedentibus Augustinum fidentissime confirmantem audivimus, Sanctos Angelos per liberum arbitrium in veritate stetisse, et primum hominem per idem liberum arbitrium in ea stare potuisse, quod post lapsum hominibus non nisi per gratiam conferendum est: ita nunc vice versa, iuxta doctrinam ab eo traditam, et iuxta fidem Catholicam ab eo explicatam dicimus, neque Angelos, neque primum hominem ullo modo sine gratiae iuvantis adiutorio in veritate stare, hoc est, in accepta iustitia perseverare potuisse » [4].

Haec gratia non solum ad perseverandum, sed ad singulos actus bonos necessaria erat (cap. 11). Ratio autem huius necessitatis non venit ex peculiari quadam difficultate perseverantiae vel actus boni, sed ex impotentia liberi arbitrii, « quia (liberum arbitrium) nihil ad bonum potest sine adiutorio omnipotentis boni » [5], id quod explicat similitudine s. Augustini: « Sicuti enim corporis oculus non adiuvatur a luce, ut ab eadem luce clausus aversusque discedat; ut autem videat, adiuvatur ab ea, neque hoc omnino nisi ille adiuverit, potest; ita Deus, qui lux est hominis interioris, adiuvat nostrae mentis obtutum, ut non secundum nostram, sed secundum eius iustitiam boni aliquid operemur » [6].

Hoc vero auxilium non erat gratia habitualis, neque concursus Dei operantis, concomitans Dei operatio, sed aliquid actuale, actioni praevium (cap. 12; 13). Cap. 14 quaerit: « Quale fuerit istud adiu-

---

[3] Col. 100.
[4] Col. 125.
[5] Col. 131.
[6] Col. 133.

torium quantum ad operandi modum». Respondet: «Duplex est enim adiutorii genus, et consequenter duplex adiuvandi modus, unum est *adiutorium quo;* alterum *sine quo non.* Hoc est, unum est, quo aliquid fit; alterum, sine quo non fit. Exemplis res illustranda est. Visio est adiutorium, ut videas; sed ita adiuvat, ut ea posita, statim videas, quod in omnibus causis formalibus locum habet. In efficientibus autem tale adiutorium est illa simultanea cooperatio Dei: illa quippe data, confestim sine mora fit operatio; quae nisi detur, nunquam fiet. Pedes vero sunt adiutorium ad ambulandum, navis ad navigandum, non tamen quo; sed sine quo non. Non enim si adsunt pedes, aut navis, continuo fit ambulatio aut navigatio; sine illis tamen fieri nequit»[7]. «Quaedam enim ita adiuvant potestatem, ut eam hoc ipso quo dantur, ex potentia in actum extrahant, ipsumque effectum reipsa ponant: alia vero sic adiuvant, ut potentiam quidem praeparent, roborent, iuvent; aliunde tamen quam ex ipsis extractio potentiae in actum secundum, seu ipsius potestatis applicatio atque determinatio ad agendum exspectari debeat: huiusmodi est adiutorium lucis ad videndum, specierum atque scientiae ad intelligendum, habitus ad operandum, pedum ad ambulandum, navis ad navigandum, suasionis externae ad operandum, et infinita similia.Omnia quippe huiusmodi, potentiam quidem operandi praeparant, adiuvant, roborant; nisi tamen aliunde impulsus ad operandum veniat, nihil fiet. Cuius ratio manifesta est, quia ista adiutoria sunt eiusdem ordinis cum potentia, in cuius imbecillitatis subsidium dantur. Nam ex ipsis adiutoriis, et ex potentia una perfecta et completa operandi facultas constituitur, quae voluntatis imperio, cuius est officium et seipsa et omnibus potentiis uti, ita penitus subiecta manet, ac si potentia esset sola omnibus adiutoriis destituta. Ex quo efficitur, ut quamvis huiusmodi adiutoria in infinitum augerentur, nunquam tamen propterea fieret effectus; sed tantum completius posset fieri; fit autem tunc, quando potestas ista ad agendum actu impellitur, non fit quando non impellitur»[8].

---

[7] Col. 145 s.
[8] Col. 147.

« Quibus ita constitutis, perspicue docet Augustinus et iterum iterumque diligenter inculcat, adiutorium Adami, cuius necessitatem tantopere multis locis commendaverat, non fuisse adiutorium quo, sed adiutorium sine quo non: hoc est, non fuisse tale adiutorium, quo fieret ut Adam perseveraret aut vellet, sed quo posset perseverare, si vellet, et sine quo perseverare non posset: ita videlicet, ut illud adiutorium plenam permanendi potentiam seu sufficientiam largiretur, sine qua permanere non poterat; non tamen tribueret usum illius adiutorii, seu ipsam permanendi voluntatem; utpote quae in ipsius libero relinqueretur arbitrio, a cuius liberrimo flexu et nutu Deus pendere voluit, ut illo adiutorio uti vellet aut nollet, atque ita actu permaneret aut caderet » [9]. « Non aliud fuisse istud gratiae adiutorium, quod Adamo et Angelis datum fuit, quam id quod schola passim sufficiens vocat. Nam hoc ipso, quod per illud iuste vivere, et in iustitia perseverare poterat, et sine illo non poterat, nec actum potestatis, sed potestatem actus afferebat, apertissime sequitur, non aliud, quam sufficiens dicendum esse » [10].

Sequuntur 4 libri de statu naturae lapsae, in quorum primo agit de peccato originali, quod est ipsa concupiscentia; causa traductionis huius peccati est carnalis concupiscentia. Liber 2 est de poenis peccati originalis, ubi cap. 7 ss. de concupiscentia.

« Concupiscentia ista, seu libido, seu cupiditas, seu voluptas, seu delectatio, quocunque ex istis nominibus appellare malis, non est aliud, quam pondus quoddam habituale, quo anima inclinatur ad fruendum creaturis, seu ut Augustinus loquitur, rebus inferioribus » [11]. Motus concupiscentiae « non sunt aliud, nisi quaedam inclinationes, impetus, concupiscentiae, appetentiae, appetitus, cupiditates, amores, ac desideria; quibus omnibus nominibus, et aliis pluribus eos Augustinus vocare solet; nonnumquam etiam delectationes, prout delectatio Platonico more pro actibus concupiscendi delectationem sumitur » [12]. Obiectum eorum est quidquid non est Deus;

---

9 Col. 148.
10 Col. 149 s.
11 Col. 317.
12 Col. 320.

tendunt ad fruendum rebus; sed solum uti creaturis est licitum; hinc motibus concupiscentiae non est consentiendum, sed ordinandi sunt ratione (cap. 23).

Liberum arbitrium post peccatum manet (Lib. 3, cap. 1). Libertas autem « alicuius actionis non excludit adiutorium; quamvis etiam ex se non postulet. Cernere quippe libere possumus praesente luce et sanis oculis, et non cernere; quamvis illud lucis adiumentum postulet, hoc non item... Liber est igitur respectu alicuius actus boni, qui illum habet in sua potestate, ut adsit si voluerit, non adsit si noluerit, ita videlicet ut hoc ab ipsius voluntatis nutu pendeat; quemadmodum homo ad videndum praesente luce, oculis sanis, non velatis liber est: fit enim videns simul atque illos aperire voluerit: qui si graviter laesi fuerint, libertas videndi periit, quantumvis lux circumfluat, et nihil consueti adiutorii desideretur ... Quapropter libertas ad bonum non adiutorio vel divinae gratiae opponitur, sed servituti et captivitati ad malum. Nam inter illa duo est directa repugnantia. Impossibile est enim, arbitrium liberum ut velit et operetur bonum esse simul servum et captivum sub malo; sicut hoc omnium hominum sensus renuntiat. Non enim ille captivus est, aut compedibus servitutis astrictus, qui cum libuerit pro solo nutu suo liber exilire potest: sed ille tantum, qui sub pondere deprimente detinetur, ita ut ad ipsam voluntatem bonam, multoque minus ad operandum bonum suo nutu non possit surgere. Dari enim possunt in ipso voluntatis arbitrio quaedam impedimenta, seu vincula voluntatis, quibus fiat, ut apex eius, cuius est consentire vel dissentire, quasi glutino quodam delectabili alligetur creaturis, quod nullo modo possit suis viribus disrumpere; sed caelitus gratia potentissima contrarium effectum inspirante dissolvi debet. Quod quamdiu non fecerit Deus, facit autem cum voluerit, arbitrium non est liberum ut operetur aut velit bonum; sed sub mali seu peccati affectu depressum, captivum, servumque possidetur... Hoc est ergo quod Catholica fides praedicat, tale arbitrium non solum esse adiuvandum gratia, ut velit et faciat bonum, sed etiam esse liberandum, ut velle possit et facere. Multum enim ista differunt iuvari, et liberari... Sententia igitur Augustini, quam tantopere Pelagiani detestati sunt, non alia quam ista est; quod arbitrium voluntatis post lapsum primi hominis, antequam

divina gratia visitetur, hoc est, antequam Christianam suscipiat fidem unde incipit gratia, sub cupiditatibus terrenis ita arcte captivum possideatur, ut libertas illa voluntatis velut ferreis vinculis astricta nullo modo possit surgere, ut bonum velit aut faciat; sed tantummodo captivo motu versetur in malo. Qua de causa liberum arbitrium toto illo tempore non tam esse liberum, quam servum, hoc est, liberum esse iustitiae, peccati autem servum, sublata funditus indifferentia proxima ad bonum et malum »[13].

Sed non solum libertas faciendi bonum periit, sed etiam abstinendi a peccato: « Itaque sanctissimus et profundissimus Doctor Augustinus non contentus declarasse, hominem post lapsum omni boni operis faciendi libertate privatum, eadem fiducia partem utramque docet, non esse etiam ei iam liberum a peccatis abstinere; sed in peccandi necessitatem peccando cecidisse, a qua sola gratia salvatoris Christi eum liberare potest »[14].

Cap. 11 vult ostendere loco libertatis abstinendi a peccato inductam esse peccandi necessitatem. Haec autem doctrina non discrepat a fide Catholica, iuxta quam homo habet liberum arbitrium ad malum et bonum (cap. 13). « Ex quibus omnibus recte colligas, non alio sensu nobis post lapsum ante reparationem superesse libertatem arbitrii ad bonum, nisi quia arbitrium est tantummodo capax boni, hoc est, quia Deo quod amissum est reparante, actualem libertatem boni faciendi recipere potest »[15].

Haec doctrina de amissa boni faciendi et a peccato abstinendi libertate intelligenda est non solum de operibus verae pietatis et aeternae vitae meritoriis, sed de omni actu moraliter bono, qui non sit peccatum, sive conferat ad aeternam vitam sive non conferat (cap. 14). « Itaque in hac quaestione indubitatum exsistimamus, esse illam sententiam sancti Augustini atque discipulorum eius, quam iam iam diximus, nullum videlicet opus bonum, ne quidem moraliter, ab humano arbitrio posse fieri nisi per gratiam, non quamlibet, sed fidei liberetur: ut proinde ante fidem non sit ei liberum a pec-

---

[13] Cap. 2, col. 434 ss.
[14] Cap. 9, col. 470.
[15] Col. 492.

cato, dum hic et nunc agere meditatur, abstinere, sed quocunque sese verterit, quadam humanis viribus insolubili peccandi necessitate teneatur »[16].

Non datur medium inter charitatem et culpabilem cupiditatem (cap. 19). Hinc omne quod non est ex fide, est peccatum (Lib. 4, cap. 1). Sola absentia fidei sufficit, ut omnia opera infidelium vera peccata sint (cap. 3). Sed (cap. 19) « si non est libertas abstinendi a peccato, sed peccandi necessitas in voluntate, iam peccatum non erit peccatum. Quod enim necessarium est hoc ipso non est peccatum, utpote quod voluntarium esse debeat »[17]. « Respondetur, hoc argumentum, sicut a Scholasticis intelligitur necessitas peccandi et libertas abstinendi, nullam omnino vim habet adversus Augustini sententiam. Ipsi enim peccandi necessitatem vocant, qua quis ad hoc peccatum, quod hic et nunc perpetratur, ita determinatur, ut ab eo abstinere non possit: libertatem autem dicunt, qua istud potest facere, et a faciendo abstinere. Huiusmodi autem faciendi necessitatem, neque tribuit libero arbitrio Augustinus, neque ab eo tollit huiusmodi libertatem abstinendi: sed haec est necessitas, quam Augustinus peccato advectam esse profitetur, quod liberum arbitrium ita rerum terrenarum cupiditate captivum sit, antequam fide Creatoris charitateque liberetur, ut quoquoversum sese verterit, in genere necesse sit illud male agere; sic tamen ut in singulari nullum peccatum ita necessario perpetret, quin ab eo possit abstinere: sed ab illo abstinendo in aliud incidat, quod similiter aliud faciendo cavere potuisset. Haec necessitas peccatum in genere duntaxat, non singula peccata in particulari respicit: nec illam liberae voluntatis indifferentiam tollit, quam Scholastici recentiores postulant... Erit enim liberum quoad exercitium, ut loquuntur; necessitatum quoad specificationem »[18]. Cap. 25 ss. ostendere conatur, hanc doctrinam non esse damnatam propositionibus a Pio V et Gregorio XIII proscriptis.

In 3 libris « De statu purae naturae » ostendit talem statum

---

[16] Col. 496.
[17] Col. 631.
[18] Col. 633.

esse impossibilem; dicit, « sine amore supernaturali Dei non posse creaturam rationalem innocentem condi » [19].

Postquam tomo 2. de aegritudine generis humani locutus est, iam tomo 3. agit de medicina. Cum liberum arbitrium captivatum sit, liberari debet. « Siquis scire velit, quid sit ista arbitrii seu voluntatis liberatio, eum scire necesse est, quid sit servitus eius et captivitas. Quae cum nullo pacto sit macula peccati aut reatus culpae aut poenae, sed depressio quaedam voluntatis sub concupiscentia rerum creatarum, sub qua consensio eius ita captiva detinetur, ut ab ea se extricare suis viribus nequeat, et erigere ad iustitiam diligendam; hinc consequenter liberatio voluntatis non est peccati remissio, sed relaxatio quaedam delectabilis istius vinculi concupiscentialis, seu pestiferae cuiusdam dulcedinis creaturarum, cui innexus indesinenter servit animus, quoad per gratiam infusa caelesti dulcedine ruptoque istius cupiditatis nexu, ad superna diligenda transferatur » [20].

Causa efficiens huius liberationis est gratia. Arbitrium per gratiam liberari debet, ut operetur actus non solum supernaturales, sed etiam moraliter bonos (cap. 4). Naturalibus suis viribus nihil arbitrium potest ad hoc, ut gratiam illam adipiscatur. Facienti quod est in se per naturae vires, non datur ex aliqua stabili lege gratia (cap. 5). Gratia est vel intellectus vel voluntatis; gratia intellectus iterum vel externa (praedicatio, exhortatio etc), vel interna (cognitio veritatis). Utraque vocari solet lex vel doctrina (cap. 6). Haec non potest liberare arbitrium, ut velit et operetur iustitiam (cap. 7). Gratia ergo quae arbitrium liberat, est gratia voluntatis. Alia autem est gratia voluntatis sanae, et alia voluntatis aegrotae (Lib. 2, cap. 1 et 2).

Quarum differentia apparet ex discrimine voluntatis liberae et voluntatis servae (cap. 4). « In eo quippe sita est, quod illius pri-

---

[19] Lib. 1, cap. 18; col. 761. Quomodo tamen bona voluntas in qua condi debet creatura rationalis esset gratia, exponit cap. 20. Lib. 3, cap. 22 dicit propositionem, Deum non potuisse creare hominem talem qualis nunc nascitur, non esse damnatam ut falsam, sed ut pacis inimicam. Col. 979.

[20] Col. 10.

mae integritatis adiutorium sic adiuvabat voluntatem, ut cum eo operaretur ipsa si vellet; nunc autem ipsum adiutorium facit ut velit. Hoc est, adiutorium ante ruinam erat tale, ut influxus adiutorii perinde atque voluntatis in opus, ab ipso liberae voluntatis nutu penderet, adeoque salva maneret illa libertatis in utramque partem flexibilis indifferentia: nunc vero post ruinam tale est, ut faciat annuere, et influere et velle voluntatem. Est enim observandum duplicis generis esse adiutoria voluntatis; nam aliud eiusmodi est, sine quo voluntas velle non possit, sic tamen ut velle et nolle, uti vel non uti adiutorio, in eius libero relinquatur arbitrio: aliud quo fit, determinate ut voluntas velit. Est enim illius naturae, ut hoc ipso quo voluntati datur, confestim velit... hoc ipso quo datur simul usus eius et influxus potestatis datur. Est enim hoc ipsum quod suapte efficacia facit influere facultatem, nec facultatis ipsius libero arbitratui subiacet, sed invicte facit ut hoc vel istud arbitrium arbitretur et velit » [21]. « Alterum adiutorii genus est, quo, simul ac datum fuerit, fit effectus, et si non detur nunquam fiet. Nempe quia tantae necessitatis est, ut sine illo non possit effectus fieri, tantaeque efficaciae, ut hoc ipso quo datur, continuo fiat. Dat enim simul et posse et operari » [22].

Nullum ergo datur post lapsum auxilium quin simul efficax sit; aliis verbis: non datur gratia vere et mere sufficiens (Lib. 3, cap. 1 ss.). Est quaedam voluntatis infirmitas, qua non potest certas tentationes superare, nec adest gratia qua superentur, nec Spiritus orationis, quo vires impetrentur (cap. 13). « Haec igitur omnia plenissime planissimeque demonstrant, nihil esse in sancti Augustini doctrina certius ac fundatius, quam esse praecepta quaedam, quae hominibus non tantum infidelibus, excoecatis, obduratis, sed fidelibus quoque et iustis, volentibus, conantibus secundum praesentes quas habent vires, sunt impossibilia; deesse quoque gratiam, qua fiant possibilia: hoc enim sancti Petri exemplo aliisque multis quotidie manifestum esse, qui tentantur ultra quam possint sustinere: nec illam implendi talia praecepta difficultatem inde proficisci, quod actus

[21] Col. 97.
[22] Col. 99.

implendi debeat esse supernaturalis vel meritorius, vel aliquid simile (quae Augustino nunquam in mentem venerunt) sed ex eo quod vires voluntatis infirmae sunt, propter concupiscentiam a volendo bono retrahentem; cuius renisu fit, ut vires voluntatis distrahantur, atque ita homo non plene velit, non integre velit, non tota voluntate velit. Talem autem voluntatem non esse idoneam ut superet alteram vetustate roboratam, quia per illam nondum potest homo tantum velle, quantum sufficit ut volendo faciat; poterit autem cum habuerit magnam et robustam. Hanc vero sibi tribuere, non esse potestatis humanae, sed solius gratiae Dei, quam propterea assidue ex fide invocamus » [23]. « Ex quibus conficitur non aliter verum esse, quod Deus non iubeat impossibilia, nisi quia quaecumque iubet, hominis voluntate per omnipotentem gratiam Dei adiuta fieri possunt » [24].

Cap. 20 explicat quomodo intelligenda sint verba S. Pauli: « Deus omnes homines vult salvos fieri et ad agnitionem veritatis venire », et cap. 21 quomodo Christus sit redemptor omnium, pro omnibus crucifixus et mortuus. « Ex quibus clarum est non aliter Augustini iudicio Christum se redemptionem pro omnibus dedisse, seu propitiationem esse pro peccatis totius mundi, nisi quia pro peccatis omnium fidelium, ex quibus una Catholica constituitur Ecclesia, redemptio atque propitiatio est. Nec in universis Augustini operibus, nisi fallor, locus est, ubi doceat Christum pro peccatis infidelium in infidelitate permanentium esse propitiationem, vel pro illis se dedisse redemptionem » [25]. « Nec enim iuxta doctrinam Antiquorum, pro omnibus omnino Christus passus aut mortuus est, aut pro omnibus omnino tam generaliter sanguinem fudit, cum hoc potius tamquam errorem a fide Catholica abhorrentem doceant esse respuendum: omnibus vero illis pro quibus sanguinem fudit, et quatenus pro eis fudit, etiam sufficiens auxilium donat, quo non solum possint, sed etiam reipsa velint et faciant, id quod ab eis volendum et faciendum esse decrevit. Nam per illa occultissime

---

23 Col. 334.
24 Col. 337.
25 Col. 383.

iusta et iustissime occulta consilia sua, quibusdam hominibus dare praedestinavit fidem, charitatem, et in ea perseverantiam usque in finem, quos absolute praedestinatos, electos et salvandos dicimus; aliis charitatem sine perseverantia, aliis fidem sine charitate. Pro primi generis hominibus, tanquam veris ovibus suis, vero populo suo tanquam absolute salvando, semetipsum dedit, ac tradidit; pro istorum peccatis omnibus omnino delendis, et aeterna oblivione sepeliendis propitiatio est; pro istis in aeternum vivificandis mortuus est; pro istis ab omni malo liberandis rogavit patrem suum, non pro ceteris, qui a fide et charitate deficientes in iniquitate moriuntur. Pro his enim in tantum mortuus est, et in tantum propitiatio peccatorum est, et in tantum rogavit patrem, in quantum temporalibus quibusdam divinae gratiae effectibus exornandi sunt » [26].

Quidnam est secundum substantiam illud medicinale Christi adiutorium? Respondet lib. 4, cap. 1: « gratiam istam Christi Salvatoris medicinalem, quam efficacem schola vocat, non aliud esse, quam caelestem quandam atque ineffabilem suavitatem; seu spiritualem delectationem, qua voluntas praevenitur et flectitur, ad volendum faciendumque quicquid eam Deus velle et facere constituerit » [27]. « Ex his iam perspicue intelligitur, tantopere esse necessariam istam delectationis divinae gratiam, quando cum terrenarum rerum tentationibus ac delectationibus dimicamus, ut nisi maior fuerit quam terrena, qua noster affectus detinetur, fieri non possit, quin propriae voluntatis infirmitate vincamur. Maior enim delectatio nunquam sane delectatione minore superabitur, sed eam sequetur animus, quae magis eum afficiendo suavitate detinuerit » [28].

Necessitas autem delectationis caelestis ad bene volendum et operandum non ex natura voluntatis proficiscitur, sed ex eius poena (cap. 9). « Vera itaque ratio cur caelestis delectatio ad actus bonos necessaria sit, ex natura medicinae seu medicinalis adiutorii petenda est. Voluntas enim per peccatum primi hominis in libidinum imperium praecipitata est, ex quibus fit ut in omnibus actio-

---

[26] Col. 386.
[27] Col. 394.
[28] Cap. 6, col. 410.

nibus ante gratiam, delectatione quadam libidinosa praeeunte ac titillante provocetur, cui consentiendo peccat; prout hoc plurimis Augustini testimoniis, tanquam rem ex ipso certam, et experientia suffragante suo loco demonstravimus. Est enim istud libidinum imperium, non naturalis hominis constitutio, qui antea plena libertate et pace secum sua fruebatur, sed poena damnati » [29].

Lib. 6, cap. 6: Duplex necessitas Augustino, coactionis, et simplex seu volontaria. Illa, non haec repugnat libertati. Lib. 7, cap. 2: Est aliquid praeter nudam facultatem voluntatis, quod actum etiam voluntatis ponit in arbitrii potestate et illud facit velle. Et haec est ipsa delectatio (cap. 3). « Cum igitur vera causa, cur arbitrium ad appetendum aliquid moveatur, sit delectatio qua intrinsecus in ipsa voluntate mulcetur, hinc est quod consequenter Augustinus tradit tam in appetendo, quam in ommittendo peccato voluntatem delectatione liberam fieri. Cum enim hoc sit liberum Augustino, quod est in potestate seu quod fit cum volumus, necesse est illud ipsum quod arbitrio volendi nolendique causa fuerit, etiam causam esse libertatis » [30]. « Et inde nascitur, quod sicut delectationi opponitur tristitia, et complacentiae displicentia, ita etiam secundum Augustini mentem, liberum coacto. Nam ad quod aliquis coacte trahitur, hoc fit cum displicentia, et vice versa, quod fit cum displicentia, eo coacte trahi, non libere ire dicitur; et pari passu, quo maior est displicentia, eo magis coactum est, quo minor, eo minus » [31].

Lib. 8, cap. 3: « Quae quamvis ita se habeant [32], tantaque inter physicam praedeterminationem, prout a Scholasticis defendi solet, et medicinale Christi adiutorium discrepantia sit, in hoc tamen, uti diximus, cum ea convenit, quod officium physice praedeterminandi voluntatem ei vere competat, eoque vocabulo non abstracte sed concrete sumpto merito apellari possit. Nam hoc ipso

---

[29] Col. 430.

[30] Col. 739.

[31] Col. 742 s.

[32] Cap. 1 et 2 descripserat discrimina inter adiutorium Dei medicinale et praederminationem physicam prout a defensoribus eius traditur.

quo, secundum principia sancti Augustini, gratia vera Christi, est adiutorium quo fit velle atque perficere, prout ab adiutorio sine quo non distinguitur; itemque adiutorium non potentiale, quo velle et agere possumus, si volumus, sed voluntatis et actionis, quo Deus facit ut reipsa velimus et agamus, prout ea fuse suis locis demonstrata sunt; perspicue patet, istud adiutorium esse tale, ut voluntatem cum quacumque alia gratia in potentia constitutam ad actum protrahat, non si voluerit (quemadmodum gratiae Adami et Angelorum, cum qua reipsa steterunt in veritate, proprium fuit) sed ei efficacissime praebendo ut velit. Non enim exspectat ut voluntas secum influat, quemadmodum in adiutorio Angelorum etiam sanctorum accidebat, quorum voluntas ita fortis erat, ut quemadmodum, et quando, et quantum vellet, uteretur aut non uteretur adiutorio; sed facit secum influere voluntatem, applicans eam ad volendum agendumque, quicquid per eam Deus volendum agendumque constituerit » [33].

« Verumtamen merito dubitari potest, utrum Augustinus eo modo intellexerit incolumem permanere libertatem, atque ita senserit influxum gratiae cum libero arbitrio conciliandum esse, quatenus sub eius efficacia determinante voluntatem ut velit et agat, simul potestas maneat, ut non velit et non agat: Nempe ut arbitrium voluntatis ea ratione liberum sub gratia esse censeat, quia semper per gratiam ita vult et agit, ut simul possit nec velle nec agere » [34]. Demonstrare vult « numquam Augustinum respondendo Pelagianis, de violata per gratiam libertate conquerentibus, istum conciliandi modum tetigisse, quod voluntas ita per gratiam velit ut possit non velle, sed semper illum, quod operante gratia non instar trunci, quem Deus moveat, feramur ad bonum, verum quod gratia non alium quempiam, sed nos ipsos faciat velle quod bonum est » [35]. Et in fine capitis dicit: « nec aliter Augustinum liberum arbitrium defendere, et concordiam utriusque tradere, nisi quia non sola (scl. gratia) in homine operatur, sed etiam voluntas ex nolente et repu-

---

[33] Col. 822 s.
[34] Cap. 5, col. 826.
[35] Col. 828.

gnante fit volens, et volendo cum gratia aliquid facit »[36]. Cap. 19: « Quapropter Augustinus ac discipuli eius, non ad istas quorundam recentiorum de libera voluntate conceptiones respexerunt, quando gratiam cum libero arbitrio conciliando dicunt eam idcirco non tollere liberum arbitrium, quia facit ut liberum arbitrium non instar lapidis otiosum sit et nihil agat, nec ut invitum cogatur ad bonum, sed ut etiam ipsum velit et agat. Verum intuebantur istud principium quod Augustinus explicuit, inculcantque frequentissime: liberum hoc esse, quod est in nostra potestate: hoc autem in nostra esse potestate, quod fit quando volumus, seu ut alibi dicit, quod aliquis, si vult facit, si non vult, non facit. Hac autem definitione quam Augustinus velut immobilis ac certissimae veritatis regulam tenet, et omnes discipuli eius tenuerunt, omnis omnino voluntas seu volitio rationalis, libera est, quia quemadmodum impossibile est ut non fiat quando volumus, et fiat quando nolumus, ita consequenter impossibile est, ut non sit in nostra potestate, et hoc ipso libera »[37].

Statim post editionem libri « Augustinus » controversiae de doctrina in eo contenta coeperunt, quae perduxerunt ad damnationem 5 propositionum (Innocentius X. Constitutione « Cum occasione » 31 Mai 1653; Denz 1092 ss.).

Prop. 1: « Aliqua Dei praecepta hominibus iustis volentibus et conantibus, secundum praesentes, quas habent vires, sunt impossibilia: deest quoque illis gratia, qua possibilia fiant ». Declarata et damnata uti temeraria, impia, blasphema, anathemate damnanda, et haeretica.

Sensus est: Potest iustus in talibus conditionibus inveniri, in quibus praeceptum aliquod Dei implere non potest: vires voluntatis post peccatum infirmatae sunt, neque adest delectatio caelestis victrix, qua opposita cupiditas superetur, deest gratia, deest adiutorium quo. Quod si Iansenistae opponunt hanc impotentiam esse ex defectu voluntatis, posset enim voluntas si vellet, in eorum sy-

---

[36] Col. 833.

[37] Col. 867. Lib. 9 deinde agit de praedestinatione, et lib. 10 de reprobatione.

stemate nihil est; nam voluntas non potest velle bonum, si non adest gratia, delectatio victrix, quae dat posse et agere. Haec impotentia sequitur ex peccato originali. Gratia vere et mere sufficiens in praesenti ordine negatur.

Prop. 2: « Interiori gratiae in statu naturae lapsae nunquam resistitur ». Declarata et damnata uti haeretica.

Cum interior gratia in statu naturae lapsae sit adiutorium quo, semper habet suum effectum. Si delectatio caelestis est maior quam cupiditas, habetur ipse actus bonus; facit enim ut voluntas fortiter velit. Si autem est minor, habet totum effectum, quem in conflictu cum maiore cupiditate terrestri habere potest et ad quem in tali casu datur, scl. facit ut voluntas tenuitur velit. Voluntas nunquam potest resistere et effectum gratiae impedire.

Prop. 3: « Ad merendum et demerendum in statu naturae lapsae non requiritur in homine libertas a necessitate, sed sufficit libertas a coactione ». Declarata et damnata uti haeretica.

Haec propositio sequitur ex doctrina Iansenii, quod voluntas necessario delectationem maiorem sequatur. Si delectatio caelestis est maior, necessario voluntas eam sequitur, facit actum bonum et meritorium; si cupiditas terrena est maior, necessario illam sequitur voluntas, facit actum malum, demeritorium. Manet autem actus liber, quia secundum Iansenium, si voluntas vere vult, eo ipso libere vult (hoc intelligit de actibus voluntatis, qui sequuntur cognitionem, non de actibus indeliberatis). Coactio autem destruit libertatem, et impedit meritum, quia quod coacte facimus, non volumus, ergo non libere facimus. Si Iansenius interdum voluntati hominis viatoris indifferentiam quandam concedit, haec non est indifferentia activa (cum qua haberetur libertas a necessitate), sed indifferentia passiva, id est: eadem voluntas quae nunc delectatione caelesti victrice ad actum bonum necessitatur, potest, si opposita delectatio est victrix, ad actum oppositum determinari, et necessario facit actum malum.

Prop. 4: « Semipelagiani admittebant praevenientis gratiae interioris necessitatem ad singulos actus, etiam ad initium fidei; et in hoc erant haeretici, quod vellent eam gratiam talem esse, cui

posset humana voluntas resistere et obtemperare ». Declarata et damnata uti falsa et haeretica.

In prima parte affirmatur Semipelagianos admisisse necessitatem internae gratiae ad omnes actus, etiam ad initium fidei; non ergo haeretica est eorum sententia eo quod, uti generatim dicitur, necessitatem gratiae ad initium fidei negaverint; sed eorum haeresis in eo erat, quod falso de natura interioris gratiae senserint (secunda pars). Si ergo propterea Semipelagiani haeretici fuissent, catholica doctrina esset, quod voluntas humana huic interiori gratiae non potest resistere vel obtemperare. Statuitur ergo hac parte propositionis iterum Ianseniana doctrina de gratia naturae lapsae ut adiutorio quo (cf. prop. 2). Qualificatio « haeretica » applicanda videtur praecise huic secundae parti propositionis. Ergo vera doctrina est: voluntas humana potest gratiae interiori resistere vel obtemperare.

Prop. 5: « Semipelagianum est dicere, Christum pro omnibus omnino hominibus mortuum esse aut sanguinem fudisse ». Declarata et damnata uti falsa, temeraria, scandalosa, et intellecta eo sensu, ut Christus pro salute dumtaxat praedestinatorum mortuus sit, impia, blasphema, contumeliosa, divinae pietati derogans, et haeretica.

Iansenius ponit principium: omnibus pro quibus Christus sanguinem fudit, et quatenus pro eis fudit, etiam donat adiutorium quo volunt et faciunt id quod ab eis volendum et faciendum decrevit. Hinc pro salute solum praedestinatorum mortuus est, cum eos solos absolute decreverit salvare. Pro illis reprobatis, quibus decrevit dare fidem et charitatem sine perseverantia, vel solam fidem sine charitate, eatenus mortuus est, quatenus illos effectus gratiae illis decrevit; nihil autem pro infidelibus qui permanent in infidelitate. Eo sensu ergo positive Christus dicendus est mortuus pro salute non solum praedestinatorum, quatenus aliis quoque auxilia quibus salvari possunt, morte sua promeruit.

Ut supra iam dictum erat, Iansenius sententias suas Ecclesiae iudicio subiecit; ipse ergo non est haereticus.

Inter Iansenistas principales numerandus est imprimis Iansenii amicus, I o a n n e s V e r g e r i u s, abbas S. Cyrani (monaste-

rii pictaviensis), unde Sancyranus appellatus. Ille doctrinas ianseníanas strenue propugnavit, et etiam moniales Portus Regii (Port Royal), quas regebat, his erroribus infecit adeo, ut Port Royal principalis quaedam sedes Iansenismi facta sit. Post eius mortem (1643) Antonius Arnaldus in eius locum successit (auctor libri de frequenti communione), mortuus 1694; eum secutus est Paschasius Quesnel, presbyter oratorii berulliani. Ex eius opere 101 propositiones collectae sunt, quae a Clemente XI., bulla «Unigenitus» 8. Sept. 1713 damnatae sunt. Et cum synodus Pistoriensis errores iansenianos restauraret, damnata est a Pio VI., 28 Augusti 1794, Constitutione «Auctorem fidei»; Denz. 1501.

PARS PRIMA

DE IPSA IUSTIFICATIONE

SECTIO I

De natura iustificationis

THESIS 1: ***Iustificatio est non sola peccatorum remissio, sed et sanctificatio et renovatio interioris hominis, unde homo ex iniusto fit iustus et ex inimico amicus Dei, ut sit heres secundum spem vitae aeternae.***

Iustificatio (δικαίωσις) vi vocis est actio iustificandi; potest quoque terminative sive passive intelligi pro effectu quem illa actio in eo habet qui iustificatur.

Iustus (δίκαιος) dicitur de persona, re, actu, qui cum norma morum congruit [1]. Iustitia (δικαιοσύνη) est illa qualitas seu condicio personae vel rei, qua conformis est normae morum, legi, voluntati divinae. Sensu restricto intelligitur de virtute, quae suum cuique tribuit. Iustitia Dei est vel illa qua ipse iustus est (Dei = genitivus possessivus), vel illa quae a Deo procedit, qua nos iustos facit (Dei = genet. originis). Iustificare (δικαιόω) ad analogiam aliorum verborum in — οω desinentium (τυφλόω = caecum facio) significare potest iustum facere; ita, ut ex arg. S. Scripturae patebit, in

[1] Cf. Zorell, s. hac voce.

N. T. Hoc tamen sensu apud profanos non occurrit, id quod facile intelligitur; naturaliter enim homo alterum non potest iustum facere. Profanis ergo est iustificare dignis vel poenis vel praemiis afficere, punire vel remunerari; praeterea aliquid iustum existimare vel iudicare; apud LXX frequens est usus forensis pro actu, quo iudex aliquem criminis absolvit, iustum declarat, vel declarat, cui parti ius faveat.

Verba thesis ex sess. 6. cap. 7. concilii tridentini desumpta sunt. Novatores enim saec. 16. sensum catholicum iustificationis omnino everterunt [2]. Secundum ipsos in iustificatione (per fidem) iustitia Christi fit iustitia nostra; sicuti peccatum originale alienum nobis est, ita etiam iustitia qua iustificamur: Christi iustitia nobis imputatur. Neque peccatum vere et perfecte in hac iustificatione in nobis deletur, sed transit reatu, manet actu, id est, quamvis simus vere peccatores et peccatum actu in nobis maneat, tamen Deus vult misericorditer nobis indulgere; vis peccati, quae est accusare, damnare, Deum iratum obicere, tollitur; aliis verbis: peccatum manet, sed non amplius imputatur: coram Deo Patre sancti et iusti reputamur. Ad hanc iustificationem non pertinet, sed ab ea distinguitur regeneratio, vivificatio, renovatio hominis; haec iustificationem fidei sequitur et est eius fructus, si fides est viva et non mortua.

Ex oppositione ad hos errores facile intelligitur doctrina thesi enuntiata. Homo peccator est iniustus et inimicus Dei. Iustificatio est vera et proprie dicta remissio peccatorum; vera remissio, non solum non imputatio peccati de facto remanentis, sed ipsum peccatum in homine cessat, vere deletur, amplius non adest. Peccata hoc loco intelliguntur ea, quibus homo vere iniustus constituitur, peccatum originale et peccata personalia mortalia. Haec ut patet non ita concipienda sunt ac si ipse actus peccati aliquando factus infectus efficeretur, sed culpa illo actu contracta et macula animae inducta penitus auferuntur. Iustificatio porro dicitur esse sanctificatio et renovatio interioris hominis; ergo homo non solum cessat esse peccator, sed positive in superiorem statum transfertur.

---

[2] Vide supra pag. 39 ss.

Sanctitas intelligitur interna sanctitas, qua homo non solum pro sancto et iusto habetur, sed intrinsecus sanctus constituitur, ea ut patet sanctitate, quae unice in praesenti ordine habetur; renovatio, id est transitus a priore statu ad novum meliorem, qui in eo est, quod homo sit vere iustus, amicus Dei, et heres secundum spem vitae aeternae, qui iure sperare potest et debet vitam aeternam sibi tamquam Dei amico promissam.

Utrumque et remissio peccati et renovatio interna in ipsa iustificatione habetur. Quaenam autem relatio inter illa exsistat, hoc loco nondum tractatur; de facto unum sine altero non habetur: peccatum non remittitur sine sanctificatione et renovatione, neque renovatio et sanctificatio peccatoris est sine remissione peccati. Neque hac thesi iam magis accurate determinatur, in quo illa sanctificatio et renovatio consistat.

Breviter ergo dici potest: Protestantes defendunt iustitiam imputatam, catholici iustitiam internam propriam, ipsi iustificato inhaerentem.

Proposita quoque est sententia quasi media: aliqui protestantes (Martinus Butzer) praeter iustitiam imputatam admiserunt aliquam iustitiam inhaerentem. Etiam aliqui catholici (Contarini, Pigge, Gropper, « Colonienses ») doctrinam aliquam « de duplici iustitia » proposuerunt. Invenitur haec in libro « Interim » (1541); in « Antididagmate » (Coloniae 1544, f. 13) sic enuntiatur: « Iustificamur a Deo iustitia duplici tamquam per causas formales et essentiales. Quarum una et prior est consummata Christi iustitia, non quidem quomodo extra nos in ipso est, sed sicut et quando eadem nobis (dum tamen fide apprehenditur) ad iustitiam imputatur. Haec ipsa ita nobis imputata iustitia Christi praecipua est et summa iustificationis nostrae causa, cui principaliter inniti et fidere debemus. Aliter vero iustificamur formaliter per iustitiam inhaerentem, quae remissione peccatorum simul cum renovatione Spiritus Sancti et diffusione caritatis in corda nostra secundum mensuram fidei uniuscuiusque nobis donatur, infunditur et fit propria. Cui tamen inhaerenti iustitiae (quod sit imperfecta) non innitimur principaliter ». In concilio tridentino quaestio de duplici iustitia, quam imprimis Seripando defendebat, hac forma discutienda proponitur:

« Utrum iustificatus, qui operatus est opera bona ex gratia et auxilio divino, a meritis D. N. Iesu Christi profecto, ita ut retinuerit inhaerentem iustitiam, praesentans se cum illa ante tribunal Christi, censendus sit satisfecisse divinae iustitiae ad meritum et acquisitionem vitae aeternae; an vero cum hac inhaerente iustitia opus insuper habeat misericordia et iustitia Christi, hoc est merito passionis eius, quo suppleantur defectus suae iustitiae, quae iustitia communicetur ex divina dispensatione secundum mensuram fidei et charitatis » [3]. Concilium doctrinam de duplici iustitia reprobavit; propterea postquam cap. 7 dixit: « unica formalis causa (iustificationis) est iustitia Dei, non qua ipse iustus est, sed qua nos iustos facit, qua... non modo reputamur, sed vere iusti nominamur et sumus, iustitiam in nobis recipientes unusquisque suam » [4] docet cap. 16: « nihil ipsis iustificatis amplius deesse credendum est, quominus plene illis quidem operibus, quae in Deo sunt facta, divinae legi pro huius vitae statu satisfecisse et vitam aeternam, suo etiam tempore (si tamen in gratia decesserint) consequendam vere promeruisse censeantur... Ita neque propria nostra iustitia tamquam ex nobis propria statuitur, neque ignoratur aut repudiatur iustitia Dei; quae enim iustitia nostra dicitur, quia per eam nobis inhaerentem iustificamur, illa eadem Dei est, quia a Deo nobis infunditur per Christi meritum » [5].

Doc. Ecclesiae

Leo X damnavit sententiam Lutheri: « In puero post baptismum negare remanens peccatum, est Paulum simul et Christum conculcare » [6].

Conc. Trid. sessione 6, hanc doctrinam definivit. Cap. 7: Iustificatio « non est sola peccatorum remissio, sed et sanctificatio et

---

[3] Conc. Trid., ed. Soc. Goerresianae; tom. 5, 523.

[4] Denz. 799.

[5] Denz. 809; cf. 842.

[6] Denz. 742.

renovatio interioris hominis... unde homo ex iniusto fit iustus et ex inimico amicus, ut si heres secundum spem vitae aeternae... non modo reputamur, sed vere iusti nominamur et sumus, iustitiam in nobis recipientes unusquisque suam... in ipsa iustificatione cum remissione peccatorum haec omnia simul infusa accipit homo... »[7]. Can. 11: « Si quis dixerit, homines iustificari vel sola imputatione iustitiae Christi, vel sola peccatorum remissione, exclusa gratia et caritate, quae in cordibus eorum per Spiritum Sanctum diffundatur atque illis inhaereat, aut etiam gratiam, qua iustificamur, esse tantum favorem Dei: A. S. »[8].

Sessione 5. decreto super peccato originali iam statuerat: « Si quis per Iesu Christi Domini nostri gratiam, quae in baptismate confertur, reatum originalis peccati remitti negat, aut etiam asserit, non tolli totum id, quod veram et propriam peccati rationem habet, sed illud dicit tantum radi aut non imputari: A. S. in renatis enim nihil odit Deus... »[9].

Pius V damnavit sententias Baii: 42. « Iustitia qua iustificatur per fidem impius, consistit formaliter in oboedientia mandatorum, quae est operum iustitia... » 43. « In hominibus poenitentibus ante sacramentum absolutionis et in cathechumenis ante baptismum est vera iustificatio, separata tamen a remissione peccatorum »[10].

S. Scriptura

Vera remissio peccatorum: Act 3, 19: « Poenitemini igitur, et convertimini, ut deleantur peccata vestra ». Ἐξαλείφειν significat extergere; adhibetur de scriptura delenda, Col 2, 14: delens... chirographum decreti; Apoc 3, 5: non delebo nomen eius de libro vitae. Cf. Is 43, 25; Ps 50, 3. — 1 Cor 6, 11: « Et haec (scl. peccatores) quidam fuistis; sed abluti estis (proprie: vos

---

7 Denz. 799 s.
8 Denz. 821.
9 Denz. 729.
10 Denz. 1042, 1043.

ipsos abluendos curavistis), sed sanctificati estis, sed iustificati estis ». Abluendo maculae removentur, non solum teguntur. — Rom 5, 19: « Sicut enim per inobedientiam unius hominis, peccatores constituti sunt multi: ita et per unius obeditionem, iusti constituentur multi ». Sicuti verum peccatum (id quod ipsi protestantes concedunt), ita et vera iustitia; ergo non iam peccatum. — Rom 8, 1: « Nihil ergo nunc damnationis est iis, qui sunt in Christo Iesu ». Cf. Eph 5, 25 ss.; ex VT 1 Par 21, 8; 2 Reg 12, 13; Ps 102, 12.

Renovantur: Baptismus est lavacrum regenerationis et renovationis: Tit 3, 5, De hac regeneratione Io 1, 3; 3, 6; 1 Io 2, 29; 3, 9; 4, 7; 5, 1. 4. 18; 1 Petr 1, 3. 23. (Vide thesim sequentem). Ante regenerationem est homo vetus (παλαιός, pristinus): Rom 6, 6; Eph 4, 22; Col 3, 9. Hac voce tum corruptio prioris status indicatur, tum novi aliquid ei succedere. Post regenerationem est homo novus: Rom 6, 4 novitas vitae (καινότης); induunt novum hominem Eph 4, 24 (καινός); Col 3, 9 (νέος); cf. Gal 3, 27 induere Christum; renovantur: Col 3, 10 (ἀνακαινούμενον); Eph 4, 23 (ἀνανεοῦσθαι). Et ita sermo est de nova creatura: Gal 6, 15 (καινὴ κτίσις); 2 Cor 5, 17: si quis est in Christo, nova creatura; cf. Iac 1, 18. Talis autem renovatio non potest intelligi nisi realis, vera mutatio in ipso homine. Haec autem habetur baptismo, lavacro renovationis.

Iustificantur: Rom 3, 24 « Iustificati gratis per gratiam ipsius, per redemptionem, quae est in Christo Iesu ». Rom 3, 28 iustificatio per fidem; cf. Gal 2, 16. 17; Rom 5, 1 ex fide; Rom 5, 9 in sanguine ipsius; Rom 5, 19 « iusti constituentur »; 1 Cor 6, 11: « iustificati estis in nomine Domini nostri Iesu Christi, et in Spiritu Dei nostri »; Tit 3, 7: « iustificati gratia ipsius ». Haec intelligi non possunt eo sensu, quod mere reputentur vel declarentur iusti, cum tamen de facto intrinsecus iusti non sint; nam 1) agitur de iustificatione ad quam cooperatur homo, et quae est effectus redemptionis; 2) Rom 5, 19 habetur parallelismus inter constituere peccatorem et constituere iustum; peccatores autem constituuntur realiter et non solum imputative; ergo idem dicendum de eo quod constituuntur iusti; 3) multo minus haec ita intelligi possunt, cum attenditur ad reliquam doctrinam s. Scripturae (pec-

cata vere delentur, homo interne renovatur); 4) Deus verax non potest declarare vel reputare iustum eum qui vere iustus non est.

Iustitia vero quae sic communicatur, est iustitia Dei, quae scilicet ex Deo est, quae Deum habet auctorem, Phil 3, 9 [11].

Amicus Dei: De hac amicitia inter Deum et iustum fusius agitur in tractatu de caritate.

Heres secundum spem vitae aeternae: Tit 3, 7.

Patres

Textus plures ss. Patrum inveniuntur apud Rouet de Journel, Ench. Patr., ser. 355, 356, 360, 361, ex quibus aliquos eligimus; cf. etiam quae in tractatu de Baptismo et de Poenitentia de hac re proponuntur.

Peccata delentur: S. Iustinus: « Si paenitentiam agant, omnes volentes assequi misericordiam a Deo possunt, et beatos illos scriptura praedicat dicens: Beatus cui non imputavit Dominus peccatum. Hoc est, si peccatorum eum poeniteat, peccatorum a Deo accipit remissionem, sed non, sicut vosmetipsos decipitis et alii quidam in hoc vobis similes, qui dicunt, etsi peccatores sint, modo Deum noverint, non imputare illis Dominum peccatum » [12]. S. Augustinus: « Dicimus baptisma dare omnium indulgentiam peccatorum, et auferre crimina, non radere, nec ut omnium peccatorum radices in mala carne teneantur, quasi rasorum in capite capillorum, unde crescant iterum resecanda peccata » [13]. « Dixisse me affirmas, quod gratia non perfecte hominem novum faciat. Non hoc dico, attende quod dico. Gratia perfecte hominem novum facit; quandoquidem et ad corporis immortalitatem plenamque felicitatem ipsa perducit. Nunc etiam perfecte innovat hominem, quan-

---

[11] Quomodo iustitia, iustificatio apud s. Paulum a catholicis et acatholicis intelligatur, vide apud Lange, De gratia, nr. 316 ss. et auctores ibi indicatos, unde apparet, lutheranam explicationem hodie quasi derelictam esse.

[12] Dial. cum Tryph. Iudaeo, 141; MG 6, 797; R 146.

[13] Contra duas ep. Pel., Lib. 1, c. 13, n. 26; ML 44, 562; R 1886.

tum attinet ad liberationem ab omnibus omnino peccatis, non quantum ad liberationem attinet ab omnibus malis et ab omni corruptione mortalitatis, qua nunc corpus aggravat animam » [14]. « Tu autem, qui putas quod, si malum esset concupiscentia, careret ea qui baptizatur, multum erras. Omni peccato caret, non omni malo. Quod planius ita dicitur: omni reatu omnium malorum caret, non omnibus malis » [15]. S. GREGORIUS MAGNUS: « Qui ergo dicit peccata in baptismate funditus non dimitti, dicat in Mari Rubro Aegyptios non veraciter mortuos. Si autem fatetur Aegyptios veraciter mortuos, fateatur necesse est peccata in baptismate funditus mori, quia nimirum plus valet in absolutione nostra veritas quam umbra veritatis » [16].

Homines renovantur: EPIST. BARNABAE: « Ubi igitur nos renovavit per remissionem peccatorum effecit, ut aliam formam haberemus, animam nempe puerorum instar, utpote qui nos reformavit » [17]. « Aedificabitur autem in nomine Domini: attendite, ut templum Domini magnifice aedificetur. Quomodo? Discite. Accepta remissione peccatorum et spe habita in nomen Domini facti sumus novi, iterum ab integro creati; ideo in nobis, in domicilio nostro, vere Deus habitat » [18]. S. CYRILLUS HIEROSOLYMITANUS: « Aqua exterius circumfunditur, Spiritus et interius animam abluit absque defectu. Et quid miraris? Sume exemplum corporeum, parvum quidem et humile, utile autem simplicioribus. Si ignis per crassitudinem ferri transiens intus tantam rem efficit ignem, et frigidum fit fervidum, et nigrum collucens; si ignis, qui corpus est, in corpus ferri penetrans sic absque impedimento operatur, quid miraris, si Spiritus Sanctus in intima anima ingreditur? » [19]. S. IOANNES CHRYSOSTOMUS: « Quemadmodum si quis auream statuam, tempore, fumo, pulvere, rubigine foedatam denuo conflaverit, eam nobis purissimam atque fulgentem restituit, sic et naturam no-

---

14 Contra Iulianum, 6, 13, 40; ML 44, 844; R 1910.
15 Ibid., 6, 19, 60; ML 44, 850; R 1911.
16 Epistula 45; ML 77, 1162; R 2298.
17 6, 11; R 32.
18 16, 8; R 36.
19 Catech. 17, cap. 14; MG 33, 895; R 835.

stram Deus, illa pulchritudine destitutam, quam ipsi ab initio indiderat, denuo conflavit, et in aquas ceu in conflatorium iniciens, et pro igne Spiritus gratiam immittens, hinc renovatos, cum solaribus radiis splendore decertantes educit, contrito vetere homine, novo autem splendidiore quam vetus erat condito » [20].

H e r e s r e g n i c a e l e s t i s : S. IOANNES CHRYSOSTOMUS: « Non enim tantum sunt liberi sed et sancti, non tantum sancti sed et iusti, non solum iusti sed et filii, solum filii sed et heredes, non solum heredes sed et fratres Christi, nec tantum fratres Christi sed et coheredes, non solum coheredes sed et membra, non tantum membra sed et templum, non tantum templum sed et organa Spiritus. Vides quot sunt baptismatis largitates, et nonnulli deputant caelestem gratiam in peccatorum tantum remissione consistere; nos autem honores computavimus decem » [21].

A m i c u s : S. IOANNES CHRYS.: « Si haec igitur fides te salvum fecit, hanc et nunc retine; quae enim tot tibi contulit bona, tibi procul dubio circa futura non mentietur. Ea enim quae mortuum, perditum, captivum et inimicum, amicum effecit, filium, liberum, iustum et coheredem ipsique tanta praebuit quanta numquam quis exspectavisset; quomodo, post tantam liberalitatem et benevolentiam, te in posterum non admittet? » [22].

Obiectiones

1) Ps 31, 1. 2. « Beati quorum remissae sunt iniquitates, et quorum tecta sunt peccata; beatus vir cui non imputavit Dominus peccatum, nec est in spiritu eius dolus ». Idem citatur Rom 4, 7. 8. Ergo peccata solum teguntur, non imputantur. — Resp. Ex dictis in arg. ex s. Script. apud s. Paulum hunc sensum habere nequit. Neque in ipso Psalmo: coram Deo ita solum aliquid tegi, id est oculis subtrahi potest, ut non iam adsit; et quia peccatum non iam adest, Deus illud non amplius cogitat, id est non imputat.

---

[20] Catech. 2, 4; MG 49, 227; R 1144.
[21] Homil. ad Neophytos; ML 44, 654; R 1228.
[22] In epist. ad Rom. hom. 14, 6; MG 60, 532; R 1187.

2) 1 Petr 4, 8: « Charitas operit multitudinem peccatorum ». — Resp. Sensus est: charitas erga proximum facit, ut eorum peccata dissimulemus, non attendamus; non est sermo de remissione propriorum peccatorum per caritatem; cf. Prov 10, 12; 1 Cor 13, 7.

3) Iustificare significat declarare iustum. — Resp. Potest habere hunc sensum, conc.; semper eum habet, nego.

4) Rom 4, 3. 9 sermo est de iustitia Abrahae imputata. — Resp. Non est sermo de iustitia imputata, sed fides imputatur in iustitiam, id est iustitia Abrahae non est ex eius operibus, sed ex fide.

5) Iustificamur non iustitia nostra, sed iustitia Dei vel Christi (1 Cor 1, 30; 2 Cor 5, 21; Phil 3, 9); ergo Christi iustitia nobis imputatur. Resp. Non est iustitia nostra, quia non est ex nostro merito et operibus nostris, sed ex merito Christi et gratis nobis a Deo confertur, conc.; non est iustitia nostra, quia non sit nobis interna et propria, nego. Propter merita Christi gratis interne et vere iustificamur a Deo.

6) Si propria iustitia iustificaremur, possemus in nobis ipsis fiduciam ponere. — Resp. Si esset propria, id est, ex nostris solis meritis, conc.; si est propria, id est, nobis interna, sed ex meritis Christi, nego.

Plures obiectiones vide apud Beraza, De gratia Christi, nr. 715 ss.

THESIS 2: ***In iustificatione homo naturae divinae consors efficitur et filius Dei adoptivus constituitur.***

Facto verae internae renovationis in iustificatione peccatoris stabilito, iam ulterius illa renovatio describenda est. Affirmamus in iustificatione peccatorem consortem fieri naturae divinae eumque filium Dei adoptivum constitui.

Consortium naturae divinae non illud intelligitur, quod ratione unionis hypostaticae, neque illud quod ratione sumptionis Eucharistiae habetur; quomodo autem positive concipiendum sit, hac thesi nondum explicari potest, sed sequentibus thesibus magis magisque patebit. Unum tamen hoc loco iam monendum est, non haberi transformationem in Deum, uti ex damnatis propositionibus Ekardi et Molinos patet. Ekardus, prop. 10: « Nos transformamur totaliter in Deum et convertimur in eum; simili modo sicut in sacramento panis convertitur in corpus Christi: sic ego convertor in eum, quod ipse me operatur suum esse unum, non simile; per viventem Deum verum est, quod ibi nulla est distinctio ». Prop. 11: « Quidquid Pater dedit filio suo unigenito in humana natura, hoc totum dedit mihi:

hic nihil excipio, nec unionem nec sanctitatem, sed totum dedit mihi sicut sibi». Prop. 12: «Quidquid dicit sacra Scriptura de Christo, hoc etiam totum verificatur de omni bono et divino homine». Prop. 13: «Quidquid proprium est divinae naturae, hoc totum proprium est homini iusto et divino; propter hoc iste homo operatur quidquid Deus operatur, et creavit una cum Deo caelum et terram, et est generator Verbi aeterni, et Deus sine tali homine nesciret quidquam facere»[23]. Molinos, prop. 5: «Nihil operando anima se annihilat et ad suum principium redit et ad suam originem, quae est essentia Dei, in qua transformata remanet ac divinizata, et Deus tunc in se ipso remanet; quia tunc non sunt amplius duae res unitae, sed una tantum, et hac ratione Deus vivit et regnat in nobis, et anima se ipsam annihilat in esse operativo»[24].

Adoptio[25] est personae extraneae ad iura filii naturalis (speciatim ad ius hereditatis) assumptio. Persona extranea ea est, quae non est filius naturalis. Cum per se nemini nisi filio naturali ista iura competant, assumptio adoptiva de se dicit aliquid adoptato non debitum, gratuitum. In iustificatione ergo peccatori a Deo gratuito communicatur ius ad hereditatem divinam, ita ut homo ille vere sit filius adoptivus; sed ille filius non in bona Patris defuncti succedit, sed suo tempore cum Patre in his bonis communicabit. Cum in adoptione, quae fit inter homines, adoptans et adoptatus eiusdem iam sint naturae, in adoptione divina Deus adoptans naturam suam communicat[26]. Attamen formaliter non idem dicit «communicare naturam divinam» et «adoptare». Haberi potest, immo de facto in Christo homine habetur illa communicatio naturae divinae sine adoptione. Ubi autem adoptio divina habetur, ibi quoque natura divina communicatur. Ad quaestionem, utrum possit saltem in alio ordine inveniri adoptio divina sine communicatione naturae divinae, responderi potest, non apparere repugnantiam in eo, quod

---

[23] Denz. 510 ss.

[24] Denz. 1225.

[25] Cf. S. Th. 3, q. 23 a. 1.

[26] De discrimine inter adoptionem humanam et divinam vide Beraza, De gratia Christi, nr. 808; Lange, De gratia, n. 413.

Deus homini viatori ius ad caelestem hereditatem conferre velit, quin ei iam in hac vita naturam divinam communicet; in altera tamen vita illud conferre debet, sine quo homo non posset intrare in hereditatem, id est, sine quo non posset Deum intuitive videre.

Thesis, quatenus speciale consortium divinae naturae et ipsam adoptionem affirmat, quamvis explicita de hac re definitio ratione sui non habeatur, dicenda est tam clare in s. Scriptura et Traditione doceri, ut sit simpliciter de fide.

Doc. Ecclesiae

Conc. Trid. ses. 6, cap. 4 describitur iustificatio « translatio ab eo statu, in quo homo nascitur filius primi Adae in statum gratiae et adoptionis filiorum » [27]. Cap. 7: « ut sit heres secundum spem vitae aeternae » [28]. Sess. 5, can. 5: renati « Deo dilecti filii effecti sunt, heredes quidem Dei, coheredes autem Christi » [29].

Pius V damnavit errorem Baii, 42: « Iustitia qua iustificatur per fidem impius... non (consistit) in gratia aliqua animae infusa, qua adoptatur homo in filium Dei et secundum interiorem hominem renovatur ac divinae naturae consors efficitur... » [29 bis].

S. Scriptura

F i l i a t i o a d o p t i v a : Usus solius vocis « filii » rem per se non evincit; immo ipse terminus « adoptio filiorum » Rom 9, 4 de populo israelitico adhibetur ibique explicandus est sensu theocratico. Sed de individuis adoptio non nisi sensu stricto dicitur; nam haec adoptio secundum s. Paulum includit ius hereditatis cum filio Dei naturali. Rom 8, 12-18: Christiani acceperunt « spiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus: Abba (Pater) » (v. 15). Huius filiationis ipse Spiritus testimonium reddit spiritui nostro (v. 16).

---

[27] Denz. 796.
[28] Denz. 799.
[29] Denz. 792.
[29 bis] Denz. 1042. Cf. prop. 21; Denz. 1021.

« Si autem filii, et heredes: heredes quidem Dei, coheredes autem Christi » (v. 17). Condicio autem actu acquirendi hanc hereditatem est: « si tamen compatimur (cum Christo), ut et conglorificemur (cum Christo) » (v. 17). Ad hanc conglorificationem speciali modo pertinet gloria corporis in resurrectione communicanda. Revelatio filiorum Dei adhuc exspectatur; ita et ipsi filii Dei adhuc exspectant id quod ad perfectum huius filiationis effectum pertinet, glorificationem corporis. Eo sensu apostolus dicit: « Et nos ipsi primitias spiritus habentes: et ipsi intra nos gemimus adoptionem filiorum Dei exspectantes, redemptionem corporis nostri » (v. 23). — Simili modo eandem doctrinam exponit Gal 4, 4-7: « At ubi venit plenitudo temporis, misit Deus Filium suum factum ex muliere, factum sub lege, ut eos, qui sub lege erant, redimeret, ut adoptionem filiorum reciperemus. Quoniam autem estis filii, misit Deus Spiritum filii sui in corda vestra clamantem: Abba, Pater. Itaque iam non est servus, sed filius: Quod si filius: et heres per Deum ». Cf. Eph 1, 5.

Generatio: Hi filii ex Deo generantur, nascuntur. Io 1, 12. 13: « dedit eis potestatem filios Dei fieri, his... qui ex Deo nati sunt ». Hoc s. Ioannes in prima sua epistula pluries repetit: 1 Io 2, 29; 3, 9; 4, 7; 5, 1. 18. Similiter 1 Petr 1, 3. 23; Iac 1, 18; baptismus est lavacrum regenerationis Tit 3, 5; cf. Io 3, 5. Idem continetur in usu vocis τέκνα θεοῦ, tum apud s. Ioannem (Io 1, 12; 1 Io 3, 1. 2; 5, 2), tum apud s. Paulum (Rom 8, 16. 17. 21; 9, 8; Eph 5, 1). Sic Christus est primogenitus in multis fratribus (Rom 8, 29). Ergo cum Deus homines filios suos facit, non solum iura quaedam eis confert, sed filios quos adoptat, generat, id est vitam novam iis communicat, speciali aliqua ratione naturam suam iis confert (nam hoc est generare), ita ut vitam iam divinam agant.

Consortium naturae divinae: Haec communicatio naturae divinae explicite docetur 2 Petr 1, 4: « per quem maxima, et pretiosa nobis promissa donavit: ut per haec efficiamini divinae consortes naturae ». Haec, si considerantur cum reliqua doctrina Novi Testamenti facile intelliguntur de communicatione naturae divinae iam his in terris viatoribus facta (non de aliqua adhuc futura), eaque physica et reali, non solum morali eo sensu, ut per actus bonos Deo conformes evadamus. Et ipse quoque textus in se

hanc explicationem non solum admittit, sed omnino eam innuit et suadet.

PATRES

F i l i a t i o a d o p t i v a [30] : CLEMENS ALEXANDRINUS: « Baptizati illuminamur: illuminati in filios adoptamur; adoptati perficimur; perfecti immortales reddimur: Ego, inquit, dixi, dii estis et filii Excelsi omnes » [31]. S. ATHANASIUS: « Haec est Dei benignitas, quod, quorum effector est, horum etiam pater gratia, postea fiat, quod tunc contingit cum creati homines, ut ait apostolus, Spiritum Filii eius clamantem: Abba, Pater in suis cordibus suscipiunt. Hi porro sunt qui, suscepto Verbo, potestatem ab eo accepere filios Dei fieri. Nec enim alio modo filii possunt fieri, cum ex natura sua sint creati, nisi Spiritum eius qui naturalis et verus est Filius acceperint. Quod ut fieret, Verbum caro factum est, ut hominem ad divinitatem recipiendam idoneum redderet » [32].

S. CYRILLUS HIEROSOLYMITANUS: « Si et tu habeas sinceram pietatem, descendit et in te Spiritus Sanctus, et vox paterna tibi desuper resonat: non, hic est Filius meus, sed: hic nunc factus est filius meus. Illi enim soli convenit est, quoniam in principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum; illi convenit est, quia semper est Filius Dei, tibi autem nunc factus est, quoniam non per naturam habes sed per adoptionem appellationem filii accipis » [33]. S. BASILIUS: « Per Spiritum Sanctum datur in paradisum restitutio, ad regnum caelorum ascensus, in adoptionem filiorum reditus » [34]. S. IOANNES CHRYSOSTOMUS: « Filius, et genuinus Filius Dei sine principio exsistentis se filium Davidis audire passus est, ut te faceret Dei filium; passus est se patrem habere servum, ut tibi servo patrem faceret Dominum. Viden

---

[30] R ser. 359.

[31] Paedagogus 1, 6, 26, 1; MG 8, 280; R 407.

[32] Adversus Arianos orat. 2, 59; MG 26, 273; R 766.

[33] Catech. 3, 14; MG 33, 444; R 813.

[34] De Spiritu Sancto, 15, 36; MG 32, 132; R 948.

statim a principio quaenam sint evangelia? Quodsi de tuis dubitas, ab iis, quae ad ipsum spectant, haec ut credas inducaris. Longe enim difficilius est, quantum ad humanum intellectum pertinet, Deum hominem fieri, quam hominem Dei filium esse. Cum igitur audis Filium Dei filium esse Davidis et Abrahae, dubitare iam desine te, filium Adae, filium Dei futurum esse. Neque enim frustra et incassum se ipsum ita humiliasset, nisi nos exaltaturus esset. Natus est enim secundum carnem, ut tu nascereris secundum spiritum; natus est ex muliere, ut tu desineres esse filius mulieris »[35]. S. AMBROSIUS: « Numquid sic diligi possunt a Deo homines quemadmodum Filius, in quo complacuit Pater? Ille per se complacet, nos per ipsum; in quibus enim Deus Filium suum ad imaginem suam cernit, eos per Filium adsciscit in gratiam filiorum, ut, quemadmodum per imaginem ad imaginem sumus, sic per generationem Filii in adoptionem vocemur. Alius igitur naturae amor sempiternus, alius gratiae »[36].

S. AUGUSTINUS: « Haec est gratia novi testamenti, quod in vetere latuit, nec tamen figuris obumbrantibus prophetari praenuntiarique cessavit, ut intelligat anima Deum suum, et gratia eius renascatur illi. Haec quippe nativitas spiritalis est, ideo, non ex sanguinibus, non ex voluntate viri, sed ex Deo. Haec etiam adoptio vocatur. Eramus enim aliquid antequam essemus filii Dei, et accepimus beneficium, ut fieremus, quod non eramus: sicut qui adoptatur, antequam adoptaretur, nondum erat filius eius, a quo adoptatur, iam tamen erat qui adoptaretur. Et ab hac generatione gratiae discernitur ille Filius, qui, cum esset Filius Dei, venit ut fieret filius hominis, donaretque nobis, qui eramus filii hominis, filios Dei fieri »[37]. « Unicus natura Dei Filius propter nos misericordia factus est hominis filius, ut nos, natura filii hominis, filii Dei per illum gratia fieremus... Sicut enim per unum hominem peccantem in hoc tam grave malum devenimus; ita per unum hominem eundemque Deum iustificantem ad illud bonum tam sublime veniemus »[38]. « Ma-

---

[35] In Matth. hom. 2, 2; MG 57, 25; R 1171.
[36] De fide, ad Gratianum, 5, 7, 90; ML 16, 666; R 1273.
[37] Ep. 140, 3, 9 s.; ML 33, 541; R 1433.
[38] De Civ. Dei 21, 15; ML 41, 729; R 1777.

nifestum est ergo, quia homines dixit deos, ex gratia sua deificatos, non de substantia sua natos. Ille enim iustificat, qui per semetipsum, non per alium iustus est; et ille deificat, qui per seipsum, non alterius participatione Deus est. Qui autem iustificat, ipse deificat, quia iustificando filios Dei facit. Dedit enim eis potestatem filios Dei fieri. Si filii Dei facti sumus, et dii facti sumus; sed hoc gratiae est adoptantis, non naturae generantis »[39].

S. CYRILLUS ALEXANDRINUS: « Igitur ascendimus ad supernaturalem dignitatem per Christum; non autem erimus filii Dei sicut ille, absque discrimine, sed per gratiam qua illum imitamur; est enim Filius ex patre exsistens genuinus, nos vero adoptivi ex benignitate, accipientes tamquam gratiam hoc: Ego dixi: dii estis et filii Excelsi omnes. Facta enim et serva creatura vocatur ad supernaturalia solo nutu ac voluntate Patris; Filius vero, Deus et Dominus, non decreto Dei et Patris, nec solum quia voluit, habet unde sit Deus et Filius, sed ex ipsa substantia Patris effulgens, proprium eius substantiae bonum secundum naturam accipit »[40].

Consortium naturae divinae. S. ATHANASIUS: « Omnes similiter per Spiritum Dei participes dicimur... Si porro Spiritus communicatione divinae naturae consortes efficimur, nemo certe nisi insanus dixerit Spiritum non Dei, sed creatae esse naturae »[41]. S. AMBROSIUS: « Quis audeat dicere discretum a Deo Patre et Christo esse Spiritum Sanctum; cum per ipsum ad imaginem et similitudinem Dei esse mereamur, et per ipsum fiat, quemadmodum Petrus apostolus dixit, ut divinae simus consortes naturae »[42]. S. CYRILLUS ALEXANDRINUS: « Si (Spiritus) nec Deus est natura, nec ex Deo proprius eius Spiritus et ideo substantialiter in eo exsistens, sed ab eo diversus et a natura rerum factarum non remotus, quomodo nos, qui per ipsum nati sumus, ex Deo nati dicimur? Aut enim evangelistam plane mentiri fatebimur, aut, si verax est et ita habet et non aliter, Spiritus erit Deus et ex Deo secundum

---

39 Enarr. in Ps. 49, 2; ML 36, 565; R 1468.
40 In Ioannem comm. 1, 9; MG 37, 153; R 2106.
41 Epist. ad Serapionem 1, 24; MG 26, 585; R 780.
42 De Spiritu Sancto 1, 6, 80; ML 16, 723; R 1283.

naturam; cuius participatione donati per fidem in Christum et efficimur divinae consortes naturae, et ex Deo nati esse dicimur, et propterea dii nuncupamur, non gratia tantum ad supernam gloriam evecti, sed iam habentes Deum in nobis inhabitantem atque commorantem, iuxta illud prophetae: Inhabitabo in illis et inambulabo » [43]. S. LEO MAGNUS: « Agnosce, o Christiane, dignitatem tuam: et divinae consors factus naturae, noli in veterem vilitatem degeneri conversatione redire » [44].

Addi possunt ex liturgia: In praefatione de Spiritu Sancto: « promissum Spiritum Sanctum in filios adoptionis effudit ». In Missa, cum aqua vino admiscetur: « da nobis per huius aquae et vini mysterium eius divinitatis esse consortes, qui humanitatis nostrae fieri dignatus est particeps ».

THEOLOGI

Theologos in re convenire, quae adeo clare in s. Scriptura et Traditione continetur patet. In ulteriore autem explicatione consortii divinae naturae et filiationis adoptivae non omnes perfecte idem sentiunt; sed haec, uti supra iam dictum est, postea (in sectione tertia) exponenda sunt. Ex iis autem quae ex s. Scriptura et ex ss. Patribus allata sunt, iam apparet, communicationem naturae divinae reduci non posse ad meram metaphoram, vel moralem participationem, quae in eo solum consisteret, quod homo iustificatus bonis actibus conformem se reddere debet Deo, qui natura sua non nisi bene et sancte operatur; sed sine dubio asserenda est physica participatio naturae divinae, quae saltem ex parte in speciali quadam assimilatione ad Deum, vel similitudine cum Deo consistit. Haec enim est idea apud ss. Patres in hac re adeo frequens eademque apud theologos iterum atque iterum recurrens, ut in explicanda participatione naturae divinae oblivioni dari non possit. Quaenam vero sit haec similitudo, sitque in illa sola tota participatio naturae divinae contenta, postea explicandum est.

---

[43] In Ioannem comm. 1, 9; MG 73, 157; R 2107.

[44] Sermo 21, 3; ML 54, 192; R 2193.

SECTIO II.

De donis in iustificatione collatis

THESIS 3: ***In iustificatione donum creatum physice permanens confertur, quod gratia sanctificans, gratia habitualis vocatur.***

Iustificatio secundum dicta non est aliquid homini iustificato mere externum, sed vere internum: homo iustificatus intrinsecus iustus est. Iam quaeritur, quomodo in concreto haec interna peccatoris renovatio obtineatur, quaenam et qualia sint dona, quae in iustificatione peccatoris conferantur. In hac thesi affirmamus conferri donum aliquod creatum. Creatum dicitur hoc loco solum in oppositione ad increatum; ergo hac voce nihil in ipsa thesi dicimus de modo, quo illud ens oriatur, creatione proprie dicta, an eductione; sed solum: non increatum. Sed ita donum increatum in iustificatione dari nullo modo negamus, immo postea hoc explicite statuemus; hac thesi ergo solum positive affirmatur, donum creatum dari.

Opposita sententia tribuitur Petro Lombardo, qui caritatem non pro virtute creata infusa habuit, sed pro ipso Spiritu Sancto. Si idem praeterea docuit caritatem et « gratiam sanctificantem » esse identica, vel si id, quod ab aliis theologis illi enti creato, de quo in hac thesi sermo est, tribuitur, caritati, id est Spiritui Sancto, tribuit, habetur adversarius asserti nostri [45].

Hoc ens creatum dicimus esse physice permanens, id est non est donum actuale (e. g. actus caritatis), quod moraliter perseverat (simili modo quo post actum peccati homo permanet « peccator »); sed ipsum hoc ens in ordine physico permanet, sive adest operatio iustificati, sive non. Hoc ens est accidens et quidem de genere qualitatis; ita omnes nunc theologi tenent. Affirmant ergo in iustificatio-

---

[45] De eius sententia vide De virtutibus theologicis nr. 584 s.; cf. nr. 566.

ne a Deo infundi in animam peccatoris accidens physicum, qualitatem, quae cum hominem peccatorem sanctum faciat, gratia sanctificans vocatur, et cum concipiatur esse ad modum habitus, gratia quoque habitualis dicitur.

Morinus, historice inquirens in varias sententias de effectu absolutionis sacramentalis, dicit de ea sententia, « quae tribuit (absolutioni) gratiae habitualis infusionem omnium est novissima: Vix enim ante annum millesimum ducentesimum de habitibus gratiae coeptum est in Scholis disputari. Ideo antiquissimorum Scholasticorum, nullus nec cum de effectu Contritionis, nec cum de Sacramentorum virtute disputant, habituum infusorum diserte mentionem facit » [46]. « Scholastici disputando tantum assecuti sunt gratiam qua peccator iustificatur habitum esse a Deo animae infusum. Multi doctores contra hos habitus reclamarunt, diuque aequo Marte pugnatum; sed tandem circa annum 1240 deferbuit tota illa disputatio, omnesque Doctores in habituum positionem consenserunt. Interea multi magnique viri quorum aliquos capite 7 referemus, in hunc usque diem contenderunt, licet reapse iustificatio impii per habitum infusum fieret, sine illo tamen fieri posse per actus a voluntate cum auxilio Spiritus S. sine novo habitu elicitos » [47]. Deinde cap. 7 ob oculos Lectoris ponit « celeberrimorum Scholasticorum in hac causa sententiam cui tuto acquiscere poterit ». Auctores quos affert sunt: Dominicus Soto, Melchior Cano, Bartholomaeus Medina, Ruardus Tapperus, Ioannes Vincentius, Thomas Stapletonus, Albertus Pighius, Ludovicus Molina, Gabriel Vázquez, qui saltem affirmant, rem non esse ab Ecclesia definitam.

Verum est, s. Scripturam de qualitatibus vel habitibus infusis explicite non loqui, neque ss. Patres illos terminos adhibere cum de iustificatione loquuntur. Scholastici vero ad hanc quoque materiam explicandam conceptus philosophicos applicaverunt, id quod tempore Patrum in aliis doctrinis iam factum erat (cf. tract. de

---

46 Comment. Hist. de disciplina in administratione sacramenti Poenitentiae... observata, lib. 8, cap. 2, nr. 11; in edit. Bruxellis 1685 pag. 504 s.

47 Nr. 13; pag. 505.

Trinitate, de Verbo Incarnato). Ita tamen ipsa doctrina non mutatur, sed eadem doctrina alio modo exhibetur. De facto brevi tempore Scholastici in hoc convenerunt, quod in iustificatione adultis gratia et virtutes quoad habitum infunduntur. Adhuc tamen disputarunt, utrum idem dicendum sit etiam de iustificatione infantium. Postquam autem concilium viennense sententiam affirmativam tamquam probabiliorem elegit, videtur etiam haec disputatio cessasse [48].

Quousque autem a concilio tridentino in hac re aliquid definitum sit, disputatur. Ex ipsa historia concilii videretur dicendum, concilium intellexisse ens creatum physice permanens [49]; proinde dicenda esset thesis de fide definita. Tamen plures theologi vel negant definitionem vel de ea dubitant; sed saltem thesis dicenda est theologice certa. Ita autem non affirmatur eadem certitudine constare donum illud creatum physice permanens esse praecise « qualitatem » vel « habitum ».

Doc. Ecclesiae

Innocentius III., ep. « Maiores » refert, non decidendo, duas sententias de effectu baptismi infantium, alteram, quae dicit culpam quidem remitti, non autem gratiam conferri, alteram quae utrumque affirmat [50]. Supponitur in adultis et culpam remitti et gratiam infundi, cum hoc ab aliquibus praecise ob hanc rationem parvulis negabatur, quia huic infusioni non consentirent.

Conc. Viennense: « Verum quia quantum ad effectum baptismi in parvulis, reperiuntur doctores quidam theologi opiniones contrarias habuisse... Nos autem attendentes generalem efficaciam mortis Christi, quae per baptisma applicatur pariter omnibus baptizatis, opinionem secundam, quae dicit, tam parvulis quam adultis

---

48 De hac quaestione cf. De virtutibus theologicis nr. 585-587 et quae ibi citantur.

49 Cfr. De virtutibus theologicis nr. 588-599.

50 Denz. 410.

conferri in baptismo informantem gratiam et virtutes, tanquam probabiliorem, et dictis Sanctorum et doctorum modernorum theologiae magis consonam et concordem, sacro approbante Concilio duximus eligendam » [51]. Hic quoque aperte supponitur adultis gratiam infundi, cum inducatur ratio: efficacia mortis Christi pariter omnibus baptizatis (adultis et infantibus) per baptisma applicatur.

Conc. Trid. 1) *Ens creatum*: Sess. 6 cap. 7: « vere iusti nominamur et sumus, iustitiam in nobis recipientes unusquisque suam, secundum mensuram, quam Spiritus Sanctus partitur singulis prout vult, et secundum propriam cuiusque dispositionem et cooperationem » [52]. Can. 11: « Si quis dixerit, homines iustificari... exclusa gratia et caritate, quae in cordibus eorum per Spiritum Sanctum diffundatur atque illis inhaereat... A. S. » [53]. Ergo aliquid distinctum ab ipso Spiritu Sancto. 2) *Ens physice permanens*: Hoc habetur ex historia concilii et usu termini inhaerere, ut in concilio intelligebatur (cap. 7 et can. 11) [54].

Pius V damnavit prop. 42 Baii: « Iustitia ... non (consistit) in gratia aliqua animae infusa ... » [55].

S. Scriptura

1) *Ens physice permanens*. Ex iis quae hucusque ex s. Scriptura allata sunt, patet homines in iustificatione regenerari, iis communicari novam vitam, novam naturam, unde sint filii Dei, eos esse novam creaturam; atqui haec omnia non possunt significare mere novam habitudinem moralem, neque solum actum physicum transeuntem, sed principium physicum permanens in ipso homine iusto.

2) *Ens creatum*. Haec nova natura non est ipse Spiritus Sanctus. Nam s. Paulus eam ut effectum Spiritus Sancti vocat spiritum

---

[51] Denz. 483.
[52] Denz. 799.
[53] Denz. 821.
[54] Denz. 800, 821.
[55] Denz. 1042.

(πνεῦμα), eamque distinguit ab ipso Spiritu Sancto, Rom. 8, 16 [56]. Huc quoque referri potest Eph 1, 13: « in quo et credentes signati estis Spiritu promissionis sancto »; Eph 4, 30: « Et nolite contristare Spiritum sanctum Dei: in quo signati estis in diem redemptionis ».

Patres

S. Irenaeus: « Et rursus qui infructuosi sunt a iustitia et velut sentibus obvoluti homines, si diligentiam percipiant, et velut insertionem accipientes verbum Dei, in pristinam veniunt hominis naturam, eam quae secundum imaginem et similitudinem facta est Dei. Sed quemadmodum oleaster inserta substantiam quidem ligni non amittit, qualitatem autem fructus immutat et aliud percipit vocabulum, iam non oleaster, sed fructifera oliva exsistens edicitur: sic et homo per fidem insertus et assumens Spiritum Dei, substantiam quidem carnis non amittit, qualitatem autem fructus operum immutat et aliud accipit vocabulum, significans eam quae in melius est transmutationem; iam non caro et sanguis, sed homo spiritualis exsistens dicitur » [57]. Origenes: « Sed et cum de Spiritu Sancto multi sancti participant, non utique corpus aliquid intellegi potest Spiritus Sanctus, quod divisum in partes corporales percipiat unusquisque sanctorum, sed virtus profecto sanctificans est; cuius participium habere dicuntur omnes, qui per eius gratiam sanctificari meruerunt » [58]. S. Cyprianus: « Eme tibi albam vestem, ut, qui secundum Adam nudus fueras et horrebas ante deformis, indumento Christi candido vestiaris » [59]. S. Ambrosius: « Signati er-

[56] Prat, La Théologie de saint Paul 2, 84 s.: « Quand l'Esprit rend témoignage à notre esprit, nulle équivoque n'est possible: l'Esprit qui témoigne étant certainement l'Esprit de Dieu, l'esprit en faveur duquel il dépose ne peut être que ce sens nouveau produit en nous par l'Esprit, et capable de percevoir les choses divines; car l'entendement laissé à lui-même ne sait rien de notre filiation adoptive ».

[57] Adversus haer. 5, 10, 1 s.; MG 7, 1184; R 253.

[58] De principiis, 1, 1, 3; MG 11, 122; R 449.

[59] De opere et eleemosynis 14; ML 4, 612; R 564.

go Spiritu a Deo sumus. Sicut enim in Christo morimur, ut renascamur, ita etiam Spiritu signamur ut splendorem atque imaginem eius et gratiam tenere possimus; quod est utique spiritale signaculum. Nam etsi specie signemur in corpore, veritate tamen in corde signamur, ut Spiritus Sanctus exprimat in nobis imaginis caelestis effigiem »[60]. « Utrum igitur secundum corpus, an secundum animam iustificatio tibi conferri videatur, quaeso, respondeas. Sed dubitare non potes, cum iustitia, unde iustificatio derivata est, mentis utique non corporis sit. Pictus es ergo, o homo, pictus a Domino Deo tuo. Bonum habes artificem atque pictorem. Noli bonam delere picturam, non fuco sed veritate fulgentem, non cera expressa sed gratia »[61]. S. Augustinus: « Iustitia Dei manifestata est; non dixit: iustitia hominis, vel iustitia propriae voluntatis; sed: iustitia Dei, non qua Deus iustus est, sed qua induit hominem, cum iustificat impium »[62]. « Nec moveat quod naturaliter eos dixit quae legis sunt facere, non spiritu Dei, non fide, non gratia. Hoc enim agit spiritus gratiae, ut imaginem Dei, in qua naturaliter facti sumus, instauret in nobis »[63]. S. Cyrillus Alexandrinus: « Condemnatum est igitur peccatum, mortificatum primum in Christo, mortificandum et in nobis, quando illum in propriis animabus recipimus per fidem et communicationem Spiritus, qui nos ad formam Christi perficit, per sanctificationis videlicet qualitatem. Spiritus enim salvatoris nostri Christi est quasi forma eius, divinam figurationem in nobis imprimens quodammodo per seipsum »[64]. « Si Spiritu Sancto sigillati ad Deum reformamur, quomodo erit creatum id, per quod nobis divinae substantiae imago imprimitur et increatae naturae signa inhaerent? Non enim, pictoris instar, Spiritus divinam substantiam in nobis depingit, quasi ipse alienus ab ea esset; neque hoc modo ad similitudinem Dei nos ducit; sed ipse, qui Deus est et ex Deo procedit, in cordibus se recipientium, tamquam in cera, sigilli in-

---

[60] De Spiritu Sancto 1, 6, 79; ML 16, 723; R 1282.

[61] Hexaemeron 6, 8, 46; ML 14, 260; R 1319.

[62] De spiritu et littera 9, 15; ML 44, 209; R 1730.

[63] Ibid. 27, 47; ML 44, 229; R 1732; cf. De peccatorum meritis et remissione 1, 9, 10; ML 44, 114; R 1715.

[64] Hom. pasch. 10, 2; MG 77, 617; R 2063.

star, invisibiliter imprimitur, per sui communicationem et similitudinem naturam ad exemplaris pulchritudinem repingens, et Dei imaginem homini restituens » [65]. « Formatur in nobis Christus, inferente nobis Spiritu Sancto divinam aliquam formam per sanctificationem et iustitiam. Ita enim, ita in animabus nostris lucet character substantiae Dei et Patris, reformante nos, ut dixi, Spiritu Sancto per sanctificationem in ipsum » [66].

THEOLOGI

Uti iam dictum est theologi in hac re omnino conveniunt quoad factum; disputant de qualificatione thesis, vel etiam de iis quae absolute fieri possent. S. Thomas rem exponit 1, 2 q. 110 a. 1 (Utrum gratia ponat aliquid in anima), et a. 2 (Utrum gratia sit qualitas) et ad utrumque affirmative respondet.

Si quaeritur utrum hoc ens creatum physice permanens, gratia sanctificans, realiter sit distincta ab anima, respondendum est affirmative; et ita quasi omnes theologi, paucissimis exceptis [67]. Licet forte necessarium non sit affirmare, omnem realem mutationem accidentalem alicuius substantiae exigere accidens realiter a substantia distinctum [68], attamen hoc negari nequit, si realis mutatio talis est, quae secum ferat novam maiorem perfectionem. In praesenti autem res non ita est, ac si eadem perfectio antea exsistens solum alio modo se habeat, sed vere nova, maior perfectio accedit, id quod argumenta positiva evincunt. Ergo omnino dicenda est gratia sanctificans realiter distincta ab anima. Opposita sententia inde fortasse explicanda est, quod accidens concipit ad modum substantiae tenuissimae; sed recte s. Thomas: « Sicut dicit Boetius, accidentis esse est inesse; unde omne accidens non dicitur ens, quasi ipsum esse habeat, sed quia eo aliquid est; unde et magis dicitur esse en-

[65] Thes. de sancta et consubst. Trin. 34; MG 75. 609; R 2080.

[66] In Isaiam com. 4, 2; MG 70, 936; R 2099.

[67] Citari solent Ioannes Vincentius (saec. 16) et Palmieri. De hac quaestione cf. Pesch, Prael. Theol. 5, nr. 314 ss.; Beraza, nr. 745 ss., qui textum ex opere non publicato P. Palmieri, De gratia habituali affert.

[68] Cf. de hac re, quae in philosophia dicuntur.

tis, quam ens, ut dicitur in 7. Metaph ». Et in iis quae sequuntur tangit quaestionem quomodo gratia oriatur: « et quia eius est fieri vel corrumpi cuius est esse, ideo, proprie loquendo, nullum accidens neque fit neque corrumpitur; sed dicitur fieri vel corrumpi, secundum quod subiectum incipit vel desinit esse in actu secundum illud accidens: et secundum hoc etiam gratia dicitur creari ex eo, quod homines secundum ipsam creantur, id est in novo esse constituuntur ex nihilo, id est non ex meritis, secundum illud ad Ephes 2.: Creati in Christo Iesu in operibus bonis »[69]. Et alio loco: « Gratia, cum non sit forma subsistens, nec esse nec fieri ei proprie per se competit: unde non proprie creatur per modum illum quo substantiae per se subsistentes creantur. Infusio tamen gratiae accedit ad rationem creationis in quantum gratia non habet causam in subiecto, nec efficientem, nec talem materialem in qua sit hoc modo in potentia, quod per agens naturale educi possit in actum, sicut est de aliis formis naturalibus »[70].

Obiectiones contra thesim vide apud Beraza nr. 730 ss; et 743 s., quae tamen facile solvuntur attendendo 1) nos non negare etiam Spiritum Sanctum dari; 2) non quaeri, quid absolute sit possibile, vel quid Deus fortasse facere potuisset, sed quid in praesenti ordine de facto sit.

Thesis 4: ***Gratia sanctificans a virtute infusa caritatis probabilius realiter distinguitur.***

In iustificatione praeter gratiam sanctificantem virtutes fidei, spei et caritatis infunduntur. Hae virtutes sunt sicut gratia sanctificans entia physice permanentia, qualitates, « habitus infusi ». Cum autem habitus naturales acquisiti posse supponant et subiecto inclinationem ad actum et facilius posse conferant, virtutes infusae, habitus a Deo infusi, ipsum posse dant simul cum aliqua inclinatione ad actum[71]. Hi habitus immediate subiectantur in potentiis animae, fides in intellectu, spes et caritas in voluntate. Fides et spes possunt remanere in homine post peccatum, in quo non iam est

---

[69] S. Th., 1, 2 q. 110 a. 2 ad 3.

[70] De potentia q. 3 a. 8 ad 3; cf. Suárez, De Gratia lib. 8 cap. 2.

[71] De hac re fusius in tractatu de virtutibus theologicis.

gratia sanctificans, unde patet eos a gratia sanctificante esse realiter distinctos. Gratia autem sanctificans et caritas simul aut adsunt aut absunt; nunquam ita separantur, ut una sine altera adsit in anima. Hinc iure quaeritur, utrum gratia sanctificans et caritas sint realiter identica. De hac re inter theologos controvertitur. Realem distinctionem negant Scotus et Scotistae, Durandus, Catharinus, Laínez, Salmerón, Bellarmino, Lessius; eam affirmant s. Thomas, Suárez, Gregorius de Valentia, Tannèr, Ripalda, estque haec sententia nunc omnino communior. Omnes tamen concedunt, sententiam suam non excedere probabilitatem.

Si gratia et caritas identica sunt, gratia pro immediato subiecto habet voluntatem, perficit ergo immediate voluntatem, et est proinde habitus proxime operativus. Qui autem realiter distincta esse gratiam et caritatem dicunt, immediatum subiectum gratiae habent ipsam substantiam animae, et gratia non est habitus immediate operativus, sed, uti dici solet, habitus entitativus, vel habitus substantivus, immediate perficiens ipsam substantiam animae, naturam animae. Sicut in ordine naturalis generationis communicatur natura et potentiae, quibus subiectum aptum sit, elicere actus in ordine huic naturae correspondente, ita in hac sententia, in regeneratione communicatur natura, ipsa gratia sanctificans, et potentiae ad actus ordini huius novae naturae correspondentes, virtutes infusae. Ex quo apparet quaestionem hanc non ab iis solum poni posse, qui potentias animae ab eius substantia realiter distinctas esse tenent, sed etiam ab iis, qui talem distinctionem negarent. Nam si gratia et caritas sunt identica, eandem perfectionem animae tribuunt; si vero sunt realiter distincta, gratia et caritas aliam et aliam perfectionem conferunt.

Quaestio decidi nequit ex s. Scriptura neque ex Patribus neque ex conciliis [72]. Sed ratio s. Thomae [73] sententiam affirmantem realem

---

[72] Concilium tridentinum cum industria verba sua ita elegit, ut neutri parti faveret; cf. Prumbs, Die Stellung des Trienter Konzils zu der Frage nach dem Wesen der heiligmachenden Gnade. 1909. Argumenta positiva quae ex utraque parte afferri solent, cum responsionibus partis oppositae vide apud Pesch, nr. 319 ss.

[73] 1, 2 q. 110 a. 3 et 4.

distinctionem omnino magis probabilem reddit, et accedit, quod haec sententia nunc sit magis communis.

Rationem hanc Pesch[74] ita exponit: « Prius est natura quam habitus naturam perficientes; prius est principum, quo quis in esse constituitur, quam quo quis proxime disponitur ad agendum. Atqui caritas est habitus operativus disponens hominem ad Deum supernaturaliter amandum. Ergo ipsa supponit iam naturam altiorem, quae datur per gratiam sanctificantem. Non est quidem oblivioni dandum nomina habituum et naturae ad ordinem naturalem et supernaturalem non univoce sed analogice applicanda esse; nam et gratia, quae dat naturam altiorem, est accidens perficiens naturalem essentiam, et habitus supernaturales sunt alia accidentia, quae non dant facilitatem sed potentiam supernaturaliter agendi; unde etiam fieri potest, ut accidentia operativa sint in subiecto, in quo deest gratia, ut constat de fide et spe, quia non sunt in gratia sanctificante ut in subiecto sed in potentiis naturalibus. Neque igitur argumentum ita concipiendum est, quasi ex physica rerum natura non minus habitus supernaturales praerequirant gratiam, quam potentiae et habitus naturales praerequirunt naturam. Vis argumenti potius moralis est, quia non decet sapientiam divinam infundere accidentia operativa supernaturalia, priusquam homini dederit naturam supernaturalem, si ita loqui licet. Prius enim homo debet esse amicus Dei, quam agat ut amicus Dei ».

THESIS 5: ***In iustificatione peccatoris donum increatum datur, Spiritus Sanctus inhabitans.***

Donum increatum est ipse Deus, ens a se. Thesis ergo affirmat Deum se ipsum in iustificatione peccatoris donare et in eo permanere, inhabitare. Deus ergo novo et speciali modo in iustificato praesens est. Si Deus praesens fit alicubi ita, ut antea praesens non erat, mutatio quaedam facta esse debet, quae cum non possit esse in Deo, in creatura inveniri debet. Haec mutatio in nostro casu est

---

[74] Nr. 324.

infusio gratiae sanctificantis. Illa ergo est fundamentum relationis praesentiae Dei in anima. Haec praesentia modo speciali praedicatur de ipso Spiritu Sancto. In tractatu de Trinitate ostenditur secundum communiorem sententiam, contra Petavium, agi de appropriatione [75]. Ergo tres personae divinae dono se dant in iustificatione. Hoc « praesens fieri » in anima iusti ex parte omnium trium personarum est « venire »; Pater, Filius et Spiritus Sanctus « veniunt » in animam iusti; ex parte secundae et tertiae personae habet etiam rationem missionis (missio invisibilis).

Inhabitatio Dei in iusto est unio quaedam Dei cum iusto. Terminus huius unionis non est unum substantiale, et hinc ipsa unio dicenda est accidentalis; termini autem, qui ita accidentaliter uniuntur, sunt substantiae. Ergo non agitur de praesentia Dei mere dynamica, praesentia virtutis, sed ipsa substantia divina est praesens, et hoc sensu ipsa praesentia Dei in iusto est substantialis.

Si Patres, maxime in controversia cum Nestorianis speciali modo urgent, unionem naturae divinae et humanae in Christo esse physicam, non solum secundum habitudinem, uti in iustis, in qui-

---

[75] « Sicut ad intra omnia attributa et omnes formales rationes sunt quid unum commune tribus personis praeter relationes invicem oppositas, quibus personae constituuntur et distinguuntur; ita respectus omnes ad extra communes sunt tribus personis seu sunt Dei unius et trini praeter solum respectum illum, qui fundatur in functione hypostatica; is enim potest esse proprius uni personae, quia personae formaliter ut personae realiter inter se distinguuntur. Functio autem hypostatica sub formali ratione hypostaseos, secundum quam est realiter distincta, nec fide cognoscitur nec supposita fide intelligitur alia quam sustentare naturam, ut dici solet, seu habere naturam ut suam... una persona divina non potest referri ad extra functione sibi propria et non communi tribus, nisi functio illa sit hypostatica, quia sub sola formali ratione hypostaseos una persona distinguitur ab aliis in SS. Trinitate; functio autem hypostatica ad extra nulla alia nobis revelata est nec intelligi potest, nisi hypostaticae virtutis velut extensio ad sustentandam naturam creatam, quae est unio hypostatica... At sane coniunctio Spiritus Sancti cum iustis, de qua agitur, non est unio hypostatica; ergo coniunctio necessario eadem est Patris ac Filii ». Franzelin, De Deo Trino, pag. 574 s.

bus Deus ut in suo templo habitat, non volebant negare unionem Dei cum iustis esse realem, obiective exsistere in ordine ontologico, ut ex eorum dictis clare apparet [76]. Est ergo haec unio non moralis tantum eo sensu, quod iustus voluntatem suam divinae voluntati conformem reddat, vel quod Deus speciali amore eum diligat, sed est unio ontologica, realis, quae suo modo etiam dici posset physica.

Thesis de iis agit quae accidunt in iustificatione peccatoris; ergo non de illa collatione Spiritus Sancti quae est effectus proprius aliquorum sacramentorum vivorum, neque per se de secunda iustificatione, id est de augmento iustitiae.

Ipsum solum factum, Deum in iusto modo quodam praesentem esse quo non est praesens in peccatore, tam clare in fontibus revelationis continetur, ut dicendum sit de fide; neque de hac re, saltem si iusti novi testamenti considerantur, est controversia. Petavius vero [77] hanc inhabitationem restringere voluit ad solos iustos novi testamenti, ita ut in iustis veteris testamenti Spiritus Sanctus non habitaverit substantialiter, unde in sua sententia de causa formali adoptionis negare debuit, iustos veteris testamenti vere fuisse filios Dei adoptivos. Haec autem sententia ab omnibus fere theologis reicitur et quidem iure, « quia adoptio et iustificatio sunt inseparabiliter nexae, et quia, cum iusti veteris testamenti habuerint gratiam sanctificantem et amici Dei fuerint, nihil deerat, quod ad inhabitationem requiritur. Quare Leo XIII in Encycl. « Divinum illud » ait: « Certum est in ipsis etiam hominibus iustis, qui ante Christum fuerunt, insedisse per gratiam Spiritum Sanctum » (Acta S. Sedis XXIX, 1897; 651). Sub triplici tamen respectu inhabitatio pertinet ad novum testamentum magis quam ad vetus: *a*) Vetus testamentum, ut praecise intellegitur lex mosaica, erat gratiae praefigurativum, non collativum. Gratia autem omnis, quae in vetere testamento concedebatur, dabatur intuitu meritorum Christi. Quatenus igitur gra-

---

[76] Exempla de s. Cyrillo Alexandrino vide apud Weigl, Die Heilslehre des hl. Cyrill von Alexandrien, Mainz 1905, 196 ss.

[77] De Trinitate, lib. 8, cap. 7.

tia sanctificans etiam veteris testamenti erat effectus quodammodo praeoccupatus mortis Christi, eatenus omnis sanctificatio pertinet ad novum testamentum; et quia sanctificatio est inhabitatio, etiam haec est proprietas novae legis, non oeconomiae sinaiticae. *b*) In vetere testamento gratia non tanta largitate dabatur, quanta in novo testamento... *c*) Numquam ante diem Pentecostes missus est Spiritus Sanctus cum tanto apparatu signorum externorum et maximorum miraculorum... »[78]. Singularem sententiam proposuit J. H. Oswald, affirmans substantialem inhabitationem Spiritus Sancti non haberi nisi per Confirmationem, per Baptismum solum inhabitationem dynamicam »[79].

De quaestione valde difficili, quomodo inhabitatio Dei in iusto explicanda et concipienda sit, variae sunt theologorum opiniones. Optime notat Galtier, in tractanda hac re ab iis procedendum esse et illa pro fundamento habenda, quae fontes positive tradunt. Praeterea disputant theologi de relatione inter gratiam creatam et increatam, et quid in iustificatione creatae, quid increatae gratiae tribuendum sit. De hac autem quaestione in tertia sectione dicendum est.

---

78 Pesch, tom. 2, nr. 690.

79 De hac sententia scribit Umberg: « Confirmatione confertur aut prima aut secunda Spiritus Sancti infusio, prouti Baptismo debetur aut dynamica tantum aut etiam formalis (vel substantialis) Spiritus inhabitatio. Baptismo conferri dynamicam tantum Dei inhabitationem, qua baptizatus Spiritum Christi 'habere' dicatur (Rom 8, 9), si ut filius Dei adoptivus Spiritu Dei 'agatur' (Rom 8, 14), opinatur J. H. Oswald, Die dogmatische Lehre von den Sakramenten der kath. Kirche. Ed. 5 Monasterii 1894, 353 sq., eique applaudit Dr. Karl Adam, Theol. Quartalschrift (Tübingen) 101 (1920) 408: hac ducti ratione quod ita suus Confirmationi effectus proprius a Baptismi distinctus clarius assignetur. Et favere videtur huic opinioni modus loquendi tum S. Scripturae, tum SS. Patrum priorum (cf. Auctoris opus: Die Schriftlehre v. Sakr. der Firmung p. 77-124). Formalem vero (seu substantialem) Spiritus Sancti inhabitationem iam per Baptismum haberi esseque coniunctam cum omni iustificatione docent SS. Patres posteriores (quorum primus id aperte enuntians videtur esse Aphraates c. ann. 340, Demonstr. 6, 14. Rouët, Enchir. patrist. n. 683) et theologi communiter ». Confirmatione Baptismus perficitur. Ephem. theol. Lovan. 1 (1924) 508.

DOC. ECCLESIAE

Doc. eccl. non adeo multa sunt, in quibus haec veritas directe et ratione sui enuntietur; plerumque ipsa supponitur.

SYMBOLUM EPHIPHANII: « Credimus et in Spiritum Sanctum, qui locutus est in lege, et per prophetas praedicavit, et ad Iordanem descendit, in apostolis locutus est, et in sanctis habitat » [80].

CONC. TRID., sess. 6, cap. 7: « signans et ungens Spiritu promissionis Sancto, qui est pignus hereditatis nostrae » [81]. Sess. 14, cap. 4 docet contritionem imperfectam « donum Dei esse et Spiritus Sancti impulsum, non adhuc quidem inhabitantis, sed tantum moventis » [82]. Cap. 8. de satisfactionis necessitate et fructu: « Sane et divinae iustitiae ratio exigere videtur, ut aliter ab eo in gratiam recipiantur, qui ante baptismum per ignorantiam deliquerint; aliter vero, qui semel a peccati et daemonis servitute liberati, et accepto Spiritus Sancti dono, scientes templum Dei violare et Spiritum Sanctum contristare non formidaverint » [83]. S. PIUS V. damnavit prop. Baii 13: « Opera bona a filiis adoptionis facta, non accipiunt rationem meriti ex eo, quod fiunt per spiritum adoptionis inhabitantem corda filiorum Dei, sed... ». Prop. 15: « Ratio meriti non consistit in eo, quod, qui bene operatur, habeat gratiam et inhabitantem Spiritum Sanctum, sed in eo solum, quod oboedit divinae legi » [84].

LEO XIII in encyclica « Divinum illud » 9 Maii 1897 fuse hanc materiam tractat. « Huius regenerationis et renovationis initia sunt homini per baptisma: in quo sacramento, spiritu immundo ab anima depulso, illabitur primum Spiritus Sanctus, eamque similem sibi facit: Quod natum est ex Spiritu, spiritus est [85]. Uberiusque per sacram confirmationem, ad constantiam et robur christianae

---

80 Denz. 13.
81 Denz. 799.
82 Denz. 898.
83 Denz. 904..
84 Denz. 1013; 1015.
85 Io 3, 7.

vitae, sese dono dat idem Spiritus; a quo nimirum fuit victoria martyrum et virginum de illecebris corruptelarum triumphus. Sese, inquimus, dono dat Spiritus Sanctus; Caritas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum Sanctum, qui datus est nobis [86]. Ipse enimvero non modo affert nobis divina munera, sed eorumdem est auctor, atque etiam munus ipse est supremum; qui a mutuo Patris Filiique amore procedens, iure habetur et nuncupatur altissimi donum Dei. — Cuius doni natura et vis quo illustrius pateat, revocare oportet ea quae in divinis litteris tradita sacri doctores explicaverunt, Deum videlicet adesse rebus omnibus in eisque esse, per potentiam, in quantum omnia eius potestati subduntur; per praesentiam, in quantum omnia nuda sunt et aperta oculis eius; per essentiam, in quantum adest omnibus ut causa essendi [87]. At vero in homine est Deus non tantummodo ut in rebus, sed eo amplius cognoscitur ab ipso et diligitur; quum vel duce natura bonum sponte amemus, cupiamus, conquiramus. Praeterea Deus ex gratia insidet animae iustae tamquam in templo, modo penitus intimo et singulari; ex quo etiam sequitur ea necessitudo caritatis, qua Deo adhaeret anima coniunctissime, plus quam amico amicus possit benevolenti maxime et dilecto, eoque plene suaviterque fruitur. — Haec autem mira coniunctio, quae suo nomine inhabitatio dicitur, condicione tantum seu statu ab ea discrepans qua caelites Deus beando complectitur, tametsi verissime efficitur praesenti totius Trinitatis numine, ad eum veniemus et mansionem apud eum faciemus [88], attamen de Spiritu Sancto tamquam peculiaris praedicatur. Siquidem divinae et potentiae et sapientiae vel in homine improbo apparent vestigia; caritatis, quae propria Spiritus veluti nota est, alius nemo nisi iustus est particeps. Atque illud cum re cohaeret, eumdem Spiritum nominari Sanctum, ideo etiam quod ipse, primus summusque Amor, animos moveat agatque ad sanctitatem, quae demum amore in Deum continetur. Quopropter apostolus quum iustos appellat templum Dei, tales non expresse Patris aut Filii appellat, sed Spi-

---

86 Rom 5, 5.
87 S. Th. 1, q. 8, a. 3.
88 Io 14, 23.

ritus Sancti: An nescitis, quoniam membra vestra templum sunt Spiritus Sancti, qui in vobis est, quem habetis a Deo? [89]. — Inhabitantem in animis piis Spiritum Sanctum ubertas munerum caelestium multis modis consequitur » [90].

S. Scriptura

Io 14, 23: « Si quis diligit me, sermonem meum servabit, et Pater meus diliget eum, et ad eum veniemus et mansionem apud eum faciemus ». — Rom 5, 5: « Caritas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum Sanctum, qui datus est nobis ». 8, 9 ss.: « Vos autem in carne non estis, sed in spiritu: si tamen Spiritus Dei habitat in vobis. Si quis autem Spiritum Christi non habet: hic non est eius. Si autem Christus in vobis est: corpus quidem mortuum est propter peccatum, spiritus vero vivit propter iustificationem. Quod si Spiritus eius, qui suscitavit Iesum a mortuis, habitat in vobis: qui suscitavit Iesum Christum a mortuis, vivificabit et mortalia corpora vestra propter inhabitantem Spiritum eius in vobis ». — 1 Cor 3, 16 s.: « Nescitis quia templum Dei estis, et Spiritus Dei habitat in vobis? Si quis autem templum Dei violaverit, disperdet illum Deus. Templum enim Dei sanctum est, quod estis vos ». 6, 19: « An nescitis quoniam membra vestra templum sunt Spiritus Sancti, qui in vobis est, quem habetis a Deo, et non estis vestri? Empti enim estis pretio magno. Glorificate et portate Deum in corpore vestro ». — 2 Cor 1, 21 s.: « Qui autem confirmat nos vobiscum in Christo, et qui unxit nos Deus: qui et signavit nos et dedit pignus Spiritus in cordibus nostris ». 6, 16: « Qui autem consensus templo Dei cum idolis? Vos enim estis templum Dei vivi ». — Gal 4, 6: « Quoniam autem estis filii, misit Deus Spiritum filii sui in corda vestra clamantem: Abba, Pater ». — Eph 1, 13 ss.: « In quo et vos, cum audissetis verbum veritatis (Evangelium salutis vestrae), in quo et credentes signati estis Spiritu promissionis sancto, qui est pi-

[89] 1 Cor 6, 19.
[90] Acta S. Sedis, 29, 1897, 652 s.

gnus hereditatis nostrae, in redemptionem acquisitionis, in laudem gloriae ipsius ». 4, 30 « Et nolite contristare Spiritum sanctum Dei: in quo signati estis in diem redemptionis ». 5, 18: « Et nolite inebriari vino, in quo est luxuria: sed implemini Spiritu sancto ». — 1 Thess 4, 8: « qui (Deus) etiam dedit Spiritum suum sanctum in nobis ».

Patres

Multa iam inveniuntur in iis, quae prioribus thesibus allata sunt[91]. Epistula Barnabae: « Aedificabitur autem in nomine Domini: attendite, ut templum Domini magnifice aedificetur. Quomodo? Discite. Accepta remissione peccatorum et spe habita in nomen Domini facti sumus novi, iterum ab integro creati; ideo in nobis, in domicilio nostro, vere Deus habitat »[92]. S. Irenaeus: « Hunc (Spiritum Sanctum) enim promisit per prophetas effundere in novissimis temporibus super servos et ancillas, ut prophetent; unde et in Filium Dei, filium hominis factum, descendit, cum ipso assuescens habitare in genere humano, et requiscere in hominibus, et habitare in plasmate Dei, voluntatem Patris operans in ipsis, et renovans eos a vetustate in novitatem Christi »[93]. « Perfecti igitur, qui et Spiritum in se perseverantem habuerint Dei et animas et corpora sine querela servaverint; Dei, id est illam quae ad Deum est fidem servantes, et eam quae ad proximum est iustitiam custodientes. Unde et templum Dei plasma esse ait: Nescitis, dicens, quoniam templum Dei estis, et Spiritus Dei habitat in vobis? Si quis templum Dei violaverit, disperdet illum Deus. Templum enim Dei sanctum est, quod estis vos; manifeste corpus templum dicens, in quo habitat Spiritus »[94]. Novatianus: « Hic est (Spiritus Sanctus) qui operatur ex aquis secundam nativitatem, semen quoddam divini generis,

---

91 R ser. 357.
92 16, 8; R 36.
93 Adv. haer. 3, 17, 1; MG 7, 229; R 219.
94 Adv. haer. 5, 6, 1; MG 7, 1138; R 251.

et consecrator caelestis nativitatis, pignus promissae hereditatis et quasi chirographum quoddam aeternae salutis; qui nos Dei faciat templum et nos eius efficiat domum; qui interpellat divinas aures pro nobis gemitibus ineloquacibus, advocationis implens officia et defensionis exhibens munera; inhabitator corporibus nostris datus et sanctitatis effector »[95]. DIDYMUS ALEXANDRINUS: « Creatura nequit ita participari substantialiter anima rationali ut in hac inhabitet; solius enim Dei proprium est ita participari. Sanctus autem Spiritus participabilis substantialiter exsistit ut Pater et Filius, sicut in primo sermone dictum est. Nam etiam simulac Pater inhabitat in iis qui sunt digni, quid est necesse, nisi, per unitatem divinae naturae et plenitudinem in nos, congrediantur et concurrant et Filius et Sanctus Spiritus? Sane nemo unquam vellet dicere multitudinem quodammodo deorum habitare in nobis, sed unum in unitate divinitatis exsistere tres personas »[96].

S. AUGUSTINUS: « Verum illud est multo mirabilius, quod cum Deus ubique sit totus, non tamen in omnibus habitat. Non enim omnibus dici potest quod ait apostolus, vel quod iam dixi[97], vel etiam illud: Nescitis quia templum Dei estis, et Spiritus Dei habitat in vobis?[98]. Unde et e contrario de quibusdam dicit: Quisquis autem Spiritum Christi non habet, hic non est eius[99]. Quis porro audeat opinari, nisi quisquis inseparabilitatem penitus Trinitatis ignorat, quod in aliquo habitare possit Pater aut Filius, in quo non habitet Spiritus Sanctus, aut in aliquo Spiritus sanctus, in quo non et Pater et Filius? Unde fatendum est ubique esse Deum per divinitatis praesentiam, sed non ubique per habitationis gratiam. Propter hanc enim habitationem, ubi procul dubio gratia dilectionis eius agnoscitur, non dicimus, Pater noster qui es ubique, cum

---

[95] De Trinitate, 29; ML 3, 944; R 607. Cf. Athanasius, R 770, 780; Cyr. Hier., R 813; Hilarius, R 872; Basilius, R 944.

[96] De Trinitate 2, 6, 7; MG 39, 529; R 1071.

[97] Nescitis quoniam corpora vestra templum in vobis Spiritus Sancti est, quem habetis a Deo, 1 Cor 6, 19.

[98] 1 Cor 3, 16.

[99] Rom 8, 9.

et hoc verum sit, sed, Pater noster qui es in caelis [100], ut templum eius potius in oratione commemoremus, quod et nos ipsi esse debemus, et in quantum sumus, in tantum ad eius societatem et adoptionis familiam pertinemus...: Cum igitur qui ubique est, non in omnibus habitet; etiam in quibus habitat non aequaliter habitat. Nam unde est illud quod Elisaeus poposcit, ut dupliciter in eo fieret Spiritus Dei, qui erat in Elia? [101] et unde in omnibus sanctis sunt alii sanctiores, nisi abundantius habendo habitatorem Deum? [102]. « Et ideo multum mirabilis res est quemadmodum quorundam nondum cognoscentium Deum sit inhabitator Deus, et quorundam cognoscentium non sit. Nec illi enim ad templum Dei pertinent, qui cognoscentes Deum, non sicut Deum glorificaverunt, aut gratias egerunt; et ad templum Dei pertinent parvuli sanctificati sacramento Christi, regenerati Spiritu Sancto, qui certe per aetatem nondum possunt cognoscere Deum: unde quem potuerunt illi nosse nec habere, isti potuerunt habere antequam nosse. Beatissimi autem sunt, quibus hoc est Deum habere quod nosse: ipsa quippe notitia plenissima, verissima, felicissima est » [103]. « Dicimus ergo in baptizatis parvulis, quamvis id nesciant, habitare Spiritum sanctum. Sic enim eum nesciunt quamvis sit in eis, quemadmodum nesciunt et mentem suam; cuius in eis ratio, qua uti nondum possunt, velut quaedam scintilla sopita est, excitanda aetatis accessu. Neque hoc in parvulis mirum debet videri, cum Apostolus quibusdam etiam maioribus dicat, Nescitis quia templum Dei estis, et Spiritus Dei habitat in vobis? [104] de qualibus paulo ante dixerat, Animalis autem homo non percipit quae sunt Spiritus Dei; quos etiam parvulos vocat, non carnis aetate sed mentis [105]. Non itaque percipiebant cognitione Spiritum sanctum qui habitabat in eis; et habitante in se Spiritu sancto adhuc animales, nondum spirituales erant, quia nondum poterant habitatorem suum

---

[100] Matth 6, 9.
[101] 4 Reg 2, 9.
[102] De praesentia Dei liber, seu epistula 187 nr. 16 s.; ML 33, 837 s.
[103] Ibid. nr. 21; ML 33, 840.
[104] 1 Cor 3, 16.
[105] 1 Cor 2, 14; 3, 1. 2.

Spiritum cognitione percipere. Habitare autem ideo et in talibus dicitur, quia in eis occulte agit, ut sint templum eius; idque in proficientibus et proficiendo perseverantibus perficit » [106]. « Dilectio igitur quae ex Deo est et Deus est, proprie Spiritus sanctus est, per quem diffunditur in cordibus nostris Dei caritas, per quam nos tota inhabitat Trinitas. Quocirca rectissime Spiritus sanctus, cum sit Deus, vocatur etiam Donum Dei. Quod donum proprie quid nisi caritas intelligenda est, quae perducit ad Deum, et sine qua quodlibet aliud donum Dei non perducit ad Deum? » [107].

S. Cyrillus Alexandrinus: « Templa autem Dei, adeoque dii quam ob rem vocamur et sumus? Interroga adversarios, utrum simus reipsa nudae et subsistentia carentis gratiae participes. At res ita non est: nullo modo. Templa enim sumus exsistentis et subsistentis Spiritus: vocati autem sumus propter ipsum etiam dii, praesertim cum divinae eius et ineffabilis naturae simus participes. Quod si revera alienus, et a natura divina substantialiter dissitus est Spiritus, qui nos per se ipsum deificat, spe excidimus, inani gloria nescio quomodo praefulgentes. Quo pacto enim dii demum et templa Dei sumus, ut Scripturae loquuntur, propter Spiritum qui in nobis est? Quod enim Deus non est, quomodo deitatem aliis indat? Atqui templa sumus et dii; neque vero acquiescendum est in errore versantibus. Non est ergo diversae a Deo substantiae Spiritus eius » [108].

Theologi

Theologi, ut supra dictum est, in facto conveniunt, sed diverso modo conantur illud explicare.

S. Scriptura loquitur de aliquo « manere » Dei in iis, qui eum diligunt, facit mansionem apud illos; iusti sunt templum Dei, id quod speciatim dicitur etiam de corpore eiusque membris. Spiritu Dei signati sumus, ille est pignus hereditatis nostrae. Breviter ergo videtur dici posse: est inhabitatio ad nos sanctificandos. Simi-

---

106 Ibid. nr. 26 s. ML 33, 841 s.
107 De Trinitate l. 15, 18 32; ML 42, 1083.
108 De SS. Trinitate dial. 7; MG 75, 1090; cf. R 2107; 2114.

lia habentur apud sanctos Patres: Spiritus in nobis habitans operatur in nobis voluntatem Patris, renovat nos, interpellat pro nobis, est advocatus et defensor, sanctitatis effector. Eius participatione coniungimur Deo, facit nos spirituales, vivificat nos, infundit gratiam, facit nos Deo similes, deos. Augustinus distinguit praesentiam Dei per divinitatis praesentiam, qua est ubique, et praesentiam per inhabitationis gratiam; haec non est aequalis in omnibus, sed secundum varios gradus sanctitatis habet diversos gradus. Aliqui cognitionem Dei habent, in quibus non habitat, alii cognitionem non habent, in quibus tamen habitat (infantes baptizati), et hoc habitare significat: occulte in ipsis operatur, ut sint templum eius, et hoc perficit in proficientibus et perseverantibus. Quae omnia iterum ita videntur complecti posse: habitat in nobis nos sanctificans et ad vitam aeternam perducens.

In explicanda inhabitatione theologi plerique in eo conveniunt, specialem Dei praesentiam haberi non posse nisi ratione specialis effectus in creatura, et ille effectus est ipsa infusio gratiae vel caritatis. Quod solum ratione gratiae gratum facientis processio Spiritus sancti in homines attendatur *s. Thomas*[109] inde explicat, quod haec processio attendatur « in quantum est ratio redeundi in finem; et est secundum illa dona tantum, quae proxime coniungunt nos fini ultimo, scilicet Deo, quae sunt gratia gratum faciens et gloria ». Sed quia haec processio includit in se dationem Spiritus sancti, « non sufficit quod sit nova relatio qualiscumque est, creaturae ad Deum, sed oportet quod referatur in ipsum sicut ad habitum; quia quod datur alicui habetur aliquo modo ab illo. Persona autem divina non potest haberi a nobis nisi vel ad fructum perfectum, et sic habetur per donum gloriae; aut secundum fructum imperfectum, et sic habetur per donum gratiae gratum facientis; vel potius sicut id per quod fruibili coniungimur, in quantum ipsae personae divinae quadam sui sigillatione in animabus nostris relinquunt quaedam dona quibus formaliter fruimur, scilicet amore et sapientia; propter quod Spiritus sanctus dicitur esse pignus hereditatis nostrae ».

---

[109] In 1, dist. 14 q. 2 a. 2.

In Summa contra gentiles[110]: « Necesse est ut ubicumque est aliquis effectus Dei, ibi sit et ipse Deus effector. Unde cum caritas qua Deum diligimus, sit in nobis per Spiritum sanctum, oportet quod ipse etiam Spiritus sanctus in nobis sit, quamdiu caritas in nobis est ». In 1 ad Cor. cap. 3, lect. 3: « Est autem considerandum quod Deus est in omnibus creaturis, in quibus est per essentiam, potentiam et praesentiam, implens omnia bonitatibus suis, secundum illud Hier. 23: Caelum et terram ego impleo. Sed spiritualiter dicitur Deus inhabitare tamquam in familiari domo in sanctis, quorum mens capax est Dei per cognitionem et amorem, etiamsi ipsi in actu non cognoscant et diligant, dummodo habeant per gratiam habitum fidei et caritatis, sicut patet de pueris baptizatis. Et cognitio sine dilectione non sufficit ad inhabitationem Dei, secundum illud 1 Io 4: Qui manet in caritate, in Deo manet et Deus in eo. Inde est quod multi cognoscunt Deum, vel per naturalem cognitionem, vel per fidem informem, quos tamen non inhabitat Spiritus Dei ». In 2 ad Cor. cap. 6 lect. 3: « Inhabitabo in eis, scilicet in sanctis per gratiam excolens eos; licet autem Deus in omnibus rebus dicatur esse per praesentiam, potentiam et essentiam, non tamen dicitur in eis inhabitare, sed in solis sanctis per gratiam. Cuius ratio est, quia Deus est in omnibus rebus per suam actionem in quantum coniungit se eis ut dans esse et conservans in esse. In sanctis autem est per ipsorum sanctorum operationem qua attingunt ad Deum, et quodam modo comprehendunt ipsum, quae est diligere et cognoscere. Nam diligens et cognoscens dicitur in se habere cognita et dilecta ».

Summa Theol. 1 q. 43 a. 3 quaerit: « Utrum missio invisibilis divinae personae sit solum secundum donum gratiae gratum facientis » et respondet: « Divinae personae convenit mitti, secundum quod novo modo exsistit in aliquo; dari autem, secundum quod habetur ab aliquo; neutrum autem horum est nisi secundum gratiam gratum facientem. Est enim unus communis modus quo Deus est in omnibus rebus per essentiam, potentiam et praesentiam, sicut causa in effectibus participantibus bonitatem ipsius. Super istum mo-

110 L. 4, cap. 21.

dum autem communem est unus specialis, qui convenit creaturae rationali, in qua Deus dicitur esse sicut cognitum in cognoscente et amatum in amante. Et quia cognoscendo et amando creatura rationalis sua operatione attingit ad ipsum Deum, secundum istum specialem modum Deus non solum dicitur esse in creatura rationali, sed etiam habitare in ea sicut in templo suo. Sic igitur nullus alius effectus potest esse ratio, quod divina persona sit novo modo in rationali creatura, nisi gratia gratum faciens. Unde secundum solam gratiam gratum facientem mittitur et procedit temporaliter persona divina. Similiter illud solum habere dicimur, quo libere possumus uti vel frui. Habere autem potestatem fruendi divina persona est solum secundum gratiam gratum facientem. Sed tamen in ipso dono gratiae gratum facientis Spiritus sanctus habetur, et inhabitat hominem. Unde ipsemet Spiritus sanctus datur et mittitur ».

Ex his verbis s. Thomae aliqui inhabitationem Dei praecise ex eo explicare conati sunt, quod Deus sit in iusto sicut cognitum in cognoscente et amatum in amato [111].

Fatendum videtur talem explicationem vix fundari in iis quae Scriptura et Patres de inhabitatione dicunt. Secundum eos enim inhabitatio eo ipso habetur, quod homo regeneratur, quod ei natura divina communicatur, quod sanctificatur, consecratur: id est ipsa infusione gratiae sanctificantis. Neque apparet, quomodo cognitum ut tale in cognoscente, amatum ut tale in amante substantialiter praesens sit [112]. Praeterea Deus habitat etiam in iis qui non eum cognoscunt (infantes baptizati), neque provocari posse videtur ad habitualem cognitionem et amorem per habitus infusos fidei et caritatis; nam his habitibus non habetur habitualis cognitio et amor, sicut in habitu acquisito; sed habitus infusi conferunt ipsum posse. Eo autem quod alicui facultas cognoscendi communicatur, nondum obiectum huius cognitionis ei praesens dici potest.

---

111 Gardeil, La structure de l'âme et l'expérience mystique, Paris, 1927, tom. 2, 6-87; cf. Lange, De gratia, nr. 453 b.

112 Suárez, De Trinitate, l. 12, cap. 5, nr. 10.

Et ita Leo XIII verbis supra citatis distinguit praesentiam Dei in homine per cognitionem et amorem ab ea quae est per gratiam et quae proprie inhabitatio dicitur.

Suárez ita rem explicat: «Videtur igitur mihi satis probabiliter et pie sentire, qui dicunt, talia esse dona gratiae gratum facientis, ut vi sua, vel quasi conaturali iure postulent intimam, realem ac personalem praesentiam Dei in anima per talia dona sanctificata. Quod per hanc conditionalem optime declaratur. Quia si per impossibile fingamus Spiritum sanctum non esse alias realiter praesentem intra animam, eo ipso quod anima talibus donis afficeretur ipsemet Spiritus sanctus veniret ad illam per praesentiam personalem et in ea esset et maneret, quamdiu gratia in illa duraret. Atque hac ratione, licet nunc alias habeat illam praesentiam ratione suae immensitatis et potentiae, merito dicitur nunc habere illam speciali titulo ratione gratiae et caritatis, et ideo merito dicitur venire vel mitti ad animam mediantibus his donis». Et haec ulterius explicat: «Nam per gratiam et caritatem perfectissima quaedam amicitia inter Deum et hominem constituitur. Amicitia vero ex se petit unionem inter amicos, non solum per conformitatem affectuum, sed etiam per inseparabilem praesentiam et coniunctionem quoad fieri potest. Unde amicitia perfectissima et maxime spiritualis ac divina suo iure ac debito postulat intimam Dei praesentiam in homine, quem sibi hoc modo amicum constituit, per realem exsistentiam intra ipsum ex vi talis amicitiae, ita ut, quamvis alio titulo ibi non esset, hoc sufficeret. Quia vero haec unio ita est amicitiae, ut tamen non sit inter omnino aequales, sed cum debita proportione, ideo ex vi illius manet Deus in homine ut protector et rector eius, cuius Deus curam gerit, non solum titulo generalis providentiae suae, sed peculiari titulo amicitiae. Denique, quia in hac amicitia semper habenda est ratio divinae maiestatis, ideo ita ex vi illius manet Spiritus sanctus in homine ut in amico, cui intime unitur, ut simul maneat ibi tamquam amicus summa reverentia et veneratione colendus, ideoque manet etiam ibi praesens tamquam in templo vivo, quod ipse sibi ornat et praeparat per dona creata, ut in illo et ab illo adoretur. Atque hunc certe praesentiae et inhabitationis modum indicant sacrae litterae

in locis citatis »[113]. Ita statuitur aliqua praesentia Dei non solum ut obiectum cognitionis et amoris (quae ut patet non negatur), sed realis, substantialis praesentia antecedenter et independenter a cognitione et amore hominis, ex ipsa infusione gratiae sanctificantis. Deus seipsum ut amicum homini donat eo quod infundendo gratiam sanctificantem hominem suum facit amicum. Haec explicatio, quae a sat multis theologis acceptatur[114], videtur aliquomodo contineri in verbis Leonis XIII supra relatis, et de ea dici potest quod idem affirmat: « condicione tantum seu statu ab ea discrepat, qua caelites Deus beando complectitur ».

Hanc tamen sententiam Vázquez iudicat non sufficere ad explicandam specialem praesentiam Dei in homine iusto. Nam « haec dona praeter communem rationem effectus divinae potentiae hoc habent, ut Deo nos coniungant secundum affectum et tamquam regulae cui dicimur iusti, vel tamquam amico cui dicimur dilecti et ideo sancti et immaculati: hic autem effectus, qui totus est in affectu, vel per respectum ad ipsum, inter absentes secundum substantiam esse potest ut manifestum est »[115]. Posset quis respondere et dicere, ex eo quod amicitia esse possit etiam inter absentes non sequi, ut Deus in constituenda hac amicitia non se donet substantialiter; sed eo ipso iam videtur concedi infusionem gratiae, quatenus ea constituitur amicitia cum Deo, non posse dare ultimam explicationem specialis inhabitationis. De praesentia Dei ut cogniti in cognoscente Vázquez dicit: « De hoc modo exsistendi fere nulla est inter doctores controversia; talis autem naturae est, ut non sufficeret, Deum in rebus constituere per essentiam, si alias ipse immensitate sua in illis non esset: hic enim modus sola cognitione, affectu, operatione, aut habitu hominem cum Deo coniungit ». Propriam suam sententiam ita enuntiat: « Quamvis negari non possit personam Spiritus sancti ratione charismatum nobis donari et ad nos mitti et totam Trinitatem ad nos venire... id ta-

---

113 Suárez, De Trinitate, l. 12 cap. 5 nr. 12 s.

114 Recenter Froget O. P. De l'habitation du Saint-Esprit dans les âmes justes d'après la doctrine de saint Thomas d'Aquin. Paris 1900.

115 In 1, q. 8; Disp. 30 cap. 3.

men non dicitur, quia propter solam donorum largitatem secundum substantiam in nobis esset, etiamsi alioqui immensitate sua non exsisteret, sed quia cum alias in nobis sit, novo effectu gratiae in nobis apparere dignatur; cumque Spiritui sancto haec dona approprientur, ipse quoque donari et ad nos mitti dicitur, et cum eo tota Trinitas venire». Attamen si in eo solo sistitur, nondum videtur explicatio data specialis illius praesentiae, quae in inhabitatione invenitur.

Hinc Galtier[116] conatus est ostendere in sanctificatione hominis non haberi operationem divinam, sicuti in aliis effectibus Dei, sed operationem specialem plane sui generis, ratione cuius correspondens quoque praesentia Dei sui omnino generis asserenda esset. In omni quidem effectu invenitur aliqua similitudo cum sua causa, et ita etiam in rebus creatis similitudo quaedam cum Deo, licet valde imperfecta, habetur. Nunc autem productio gratiae tendit praecise in similitudinem non qualemcunque, sed specialem, ad Deum; est enim communicatio naturae divinae, est generatio, quae natura sua est in similitudinem generantis. Haec assimilatio ad Deum omnem «assimilationem», quae in creatione naturae et omnibus effectibus naturalibus habetur, tantum transcendit, quantum supernaturale transcendit naturale. Consequenter operatio, quae tendit in hanc assimilationem specialem, similiter omnino specialis dicenda est. Et ratione huius operationis plane singularis asserenda est etiam correspondens praesentia Dei in anima, et haec est ipsa inhabitatio. Haec est explicatio, quae ex una parte vere iis correspondet, quae Patres de inhabitatione dicunt, et quae ex altera parte ostendit realem et specialem praesentiam Dei in omnibus et in solis iustis, de qua iure dici potest: etiamsi Deus praesens non esset ratione immensitatis vel alterius tituli, ratione huius tamen operationis esset praesens. Nititur haec explicatio in principio generatim admisso, Deum «venire» in aliquam creaturam et in ea praesentem esse ratione operationis divinae, qua in creatura ponitur mutatio, quae est fundamentum relationis praesentiae Dei. Sic videtur haec explicatio inter eas, quae hu-

---

116 L'habitation en nous des trois Personnes, Paris 1928, pag. 227 ss.

cusque in difficili et obscura hac materia propositae sunt, praeferenda[117].

Nota: In fine huius sectionis dicendum adhuc esset de supernaturalitate donorum, quae in iustificatione conferuntur; sed cum haec fuse iam proposita sint tum in tractatu De Deo uno, tum in tractatu De Deo elevante, hoc loco omittenda videntur. Ibi ostenditur ex natura donorum (participatio naturae divinae, filiatio adoptiva, hereditas vitae aeternae) illa dona esse absolute supernaturalia, et ipsum finem, ad quem in hoc ordine homo destinatur, qui est ipsa hereditas filii Dei adoptivi, visionem Dei intuitivam, esse absolute supernaturalem.

SECTIO III.

De causis iustificationis

Cap. 7 sess. 6 concilium tridentinum enumerat causas iustificationis[118]. Causa *finalis* est « gloria Dei et Christi ac vita aeterna ». Quod gloria Dei sit causa finalis patet; hoc enim valet de omni opere Dei ad extra, ergo maxime de hoc opere praecipuo, quod est iustificatio et sanctificatio hominis; similiter patet homines iustificari praecise ut ita perducantur ad vitam aeternam. De relatione utriusque finis inter se idem dicendum, quod in tractatu de creatione dicitur de gloria Dei et bono creaturae tamquam fine creationis[119]. Quod autem gloria Christi sit causa finalis iustificationis nostrae aliqui praelati non voluerunt dici in decreto, cum Christi gloria potius sit iustificationis nostrae causa exemplaris quam finalis. Sed longe maior pars hanc additionem retinendam esse censuit; causam finalem primariam quidem esse gloriam Dei, sed etiam gloriam Christi, cum Christum Deus super omnes exaltaverit et gloria Christi ex iustificatione de facto inducatur; omnis iustificatio nostra est propter Christum, ut ipse glorificetur; hoc

---

[117] Novam explicationem doctrinae s. Thomae vide apud L. v. Rudloff O. S. B., Des heiligen Thomas Lehre von der Einwohnung Gottes in der Seele der Gerechten. Divus Thomas (Freiburg) 8 (1930) 175-191.

[118] Cf. Mazzella, De gratia Christi, nr. 1067 ss.

[119] Cf. conc. vatic sess. 3, cap. 1 et can. 5; Denz. 1783; 1805.

clare doceri a s. Paulo Rom 5. Et ita in definitiva forma decreti « gloria Christi » retenta est[120].

Causa « *efficiens* vero misericors Deus, qui gratuito abluit et sanctificat signans et ungens Spiritu promissionis Sancto, qui est pignus hereditatis nostrae ». Mentio facta non est Christi hominis, cum inter theologos disputetur, an Christus ut homo aliter fecerit iustificationem nostram quam merendo illam et satisfaciendo[121].

Causa « *meritoria* autem dilectissimus Unigenitus suus, Dominus noster Iesus Christus, qui cum essemus inimici, propter nimiam caritatem qua dilexit nos, sua sanctissima passione in ligno crucis nobis iustificationem meruit, et pro nobis Deo Patri satisfecit »[122]. De hac re proprie dicitur in tractatu de redemptione.

« *Instrumentalis* item sacramentum baptismi, quod est sacramentum fidei, sine qua nulli unquam contigit iustificatio ». Solus baptismus nominatur, quia hoc loco agitur de prima iustificatione; consequenter dicendum, in tertia iustificatione causam instrumentalem esse sacramentum paenitentiae; in secunda vero iustificatione, id est in augmento gratiae sanctificantis, in quantum intercedit causa instrumentalis, sacramenta vivorum.

« Demum *unica formalis* causa est iustitia Dei, non qua ipse iustus est, sed qua nos iustos facit, qua videlicet ab eo donati renovamur spiritu mentis nostrae, et non modo reputamur, sed vere iusti nominamur et sumus, iustitiam in nobis recipientes unusquisque suam ». Aliqui volebant hoc loco nominari etiam fidem, id quod acceptatum non est[123]. Ut antea ostensum est his verbis contra errorem novatorum de iustitia mere imputata[124] docetur iustitia interna et propria. Sola ergo iustitia nobis interna est causa formalis iustificationis, cum exclusione iustitiae imputatae. De hac causa formali quaedam remanent dicenda.

---

120 Hefner, Die Entstehungsgeschichte des Trienter Rechtfertigungsdekretes, pag. 256.

121 Hefner, pag. 259.

122 Cf. sess. 5 can. 3. Denz. 790. Conc. Flor., Decretum pro Iacobitis. Denz. 711.

123 Hefner, pag. 255; Lange, nr. 396.

124 Cf. can. 10, 11.

In prima sectione probatum est in iustificatione peccatorem regenerari, ei communicari naturam divinam, eum constitui filium Dei adoptivum; in secunda sectione expositum est in iustificatione conferri et dona creata et donum increatum, Spiritum sanctum inhabitantem. Hinc inter theologos catholicos mota est quaestio, *quomodo se habeant dona creata et donum increatum relate ad iustitiam, communicationem naturae divinae, filiationem adoptivam.*

Lessius gratiam iustificationis ex una parte et communicationem naturae divinae et adoptionem ex altera parte distinguit tamquam duplicem quodammodo gratiam. Per donum creatum homo formaliter iustificatur; participatio autem naturae divinae et adoptio formaliter habetur per donum increatum, Spiritum sanctum inhabitantem, cum quo homo coniungitur per donum creatum. Quod autem gratia iustificationis hominem cum Spiritu sancto ita coniungit, non est ex ipsa physica natura huius entis creati, sed ex libera ordinatione divina. Per se ergo hoc donum creatum, gratia sanctificans, esse posset sine ordinatione ad inhabitationem Spiritus sancti et communicationem naturae divinae. Si vero gratia sanctificans consideratur simul cum illa ordinatione divina, secundum quam nos coniungit cum Spiritu sancto, de ipsa quoque aliquo sensu dici potest, quod nos faciat filios Dei. « Tertius modus unionis (cum Deo) est per gratiam iustificationis: per hanc enim ita nobis communicatur et unitur Spiritus sanctus, seu ipsa divinitas, ut ex hac unione efficiamur filii Dei, tamquam participes effecti divinae naturae. Quod enim gratia iustificationis nos efficiat filios Dei, non habet ex nuda sua physica perfectione; haec enim etiam cum peccato mortifero absolute consistere posset, si Deus illam conservare vellet; sed ex eo, quod uniat nobis Spiritum sanctum, seu divinam naturam, cuius est veluti vinculum. Filius enim quis constituitur non ex collatione doni alicuius, sed ex communione eiusdem naturae ab altero acceptae. Unde sicut Verbum divinum est filius quia accepit divinam naturam a Patre per aeternam generationem; et humanitas Christi, vel (ut magis proprie loquar) ille homo qui dicitur Christus est Filius Dei, quia accepit naturam divinam, per unionem hypostaticam, ita homo iustus dicitur filius, quia naturam eandem accepit per unionem gratiae. In

modo tamen habendi illam naturam est maximum discrimen: nam Verbum divinum ita illam accepit, ut sit illi unita essentialiter et per identitatem; humanitas vero eam accipit ut uniatur ei substantialiter per coniunctionem in eadem hypostasi; iustis vero solum per accidens quoddam coniungitur, nempe per unionem gratiae iustificantis. Unde gratia iustificans secundum suam physicam rationem nude considerata constituit nos filios Dei non ut forma principalis a qua dicamur filii (haec enim est ipsa divinitas nobis communicata), sed ut vinculum et unio illius formae: quo modo ab unione hypostatica ille homo dicitur Filius Dei. Sicut enim ibi unio hypostatica se habet instar vinculi non formae principalis, ita hic gratia iustificationis. Habet autem gratia iustificationis hanc vim non ex nuda sua entitate physica, sed ex ordinatione divina rerum naturis consentanea. Nulla enim erat qualitas creata magis conveniens ad hunc effectum: unde Deus illam ad hoc assumpsit, eique suo decreto hanc vim stabiliter annexuit. Differunt enim hae duae rationes formales, esse iustum et esse filium Dei. Esse enim iustum est denominatio intrinseca a iustitia inhaerente, per quam quis fit conformis legi divinae; quae iustitia est donum creatum animam interius renovans, sive hoc donum distinguant a caritate sive non. Habet enim hoc donum ex natura sua praecise quod animam iustam seu legi conformem faciat. Esse autem filium est denominatio partim intrinseca ab eodem dono iustitiae, partim extrinseca a divinitate nobis communicata et inhabitante, quae per hoc donum nobis unitur. Filius enim Dei est cui Spiritus Dei communicatur, ut colligitur ex apostolo ad Rom 8., et multis aliis Scripturae locis. Communicatur autem per caritatem nobis intrinsecam. Itaque quod caritas faciat filium Dei habet partim ex natura sua, quatenus filiatio supponit iustitiam; partim ex divina ordinatione, quatenus ulterius nobis unit ipsam divinitatem, ut in nobis sit, et nos ex illa vivamus vita spirituali, et illa tamquam anima quaedam supernaturalis nos in omnibus motibus nostris regat. Itaque est unio motoris et mobilis » [125].

Paucis annis post « De Summo Bono » edidit opus « De per-

---

[125] De summo bono, l. 2, cap. 1 nr. 4.

fectionibus moribusque divinis » in quo [126] eandem quaestionem simili modo tractat. Scripserat autem hunc tractatum, exceptis libris 13 et 14, iam 13 vel 14 annis ante eius editionem, hinc ante editionem operis « De Summo Bono ». Capiti 11 addidit appendicem; nam: « Circa ea quae cap. 11. lib. 12 dicta sunt de adoptione desiderarunt nonnulli maiorem explicationem propter quosdam qui mentem meam non satis intellexerunt ». Ibi in fine sententiam suam ita complectitur:

« His positis tamquam partim certis, partim valde probabilibus, sequitur primo, donum gratiae habitualis dupliciter spectari posse; primo praecise secundum suam entitatem physicam absque ulla ratione reali vel morali interveniente; secundo quatenus est vinculum Spiritus divini. Si priori modo consideretur, etsi hoc donum sit sufficiens ad conferendum effectum positivum formalem iustitiae, non tamen est sufficiens ad delendum peccatum aut ad constituendum absolute filium Dei, ut satis supra declaratum est. Si vero consideretur secundo modo, sic hoc donum aliunde ad utrumque effectum sufficit, imo utrumque necessario per modum causae formalis ita praestat, ut nec per potentiam Dei absolutam fieri aliter possit, nempe ut vel peccatum non deleatur, vel ut ille, qui hoc donum accipit, non constituatur filius Dei adoptivus et heres regni. Unde hic modus explicandi formam iustificantem, prout se habet in hoc statu, videtur maxime conveniens et Deo dignissimus. Primo quia Scripturis maxime consentaneus, quae adoptionem filiorum passim per donationem Spiritus sancti explicant, ut supra ostensum; secundo quia sic ad rationem formae iustificantis ut effectum suum formalem integre conferat, non requiritur ullus favor interveniens aut acceptatio gratuita; nam gratia habitualis prout simul est vinculum uniens nobis singulari modo Spiritum divinum, absque ullo ulteriore gratuito favore necessario delet peccatum, renovat interius mentem et constituit filium Dei, ita ut nec per potentiam Dei absolutam aliter fieri possit. Etsi enim aliquis favor videatur requiri, ut Spiritus divinus infallibiliter et inseparabiliter sit connexus illi dono, tamen semel posita hac con-

---

[126] L. 12, cap. 11.

nexione, quam istud donum naturaliter postulat, absque ullo favore novo plane sufficiens est ad illos effectus ita ponendos ut nullo modo possint impediri. Et hoc modo favor vel acceptatio non est quasi pars formae iustificantis, sicut in altera sententia. Sequitur secundo in forma constituente filium Dei includi Spiritum divinum, non quidem in recto ut dici solet, sed in obliquo. Quia ut quis sit filius Dei, non debet esse Spiritus divinus, aut illo tamquam forma informari; sed debet illum habere inhabitantem et per gratiam habitualem quodammodo unitum, ita ut ratio formalis in recto constituens rationem filii adoptivi sit habere seu possidere tali modo, nempe per gratiam habitualem, spiritum Dei inhabitantem, seu habere gratiam habitualem tamquam formam intrinsecam unientem nobis Spiritum divinum. Ita non sunt duae formae intrinsecae et in recto, sed una tantum, quae tamen includit ordinem ad extrinsecam; sicut cum quis dicitur dives a divitiis et a possessione divitiarum, non sunt duae formae intrinsecae, sed una tantum dicens ordinem ad extrinsecam; utraque tamen est essentialiter necessaria ad rationem filii adoptivi prout nunc de facto et maxime consentanee rerum naturae constituitur ».

Clare ergo hoc loco Lessius tribuit gratiae sanctificanti, quod sit causa formalis adoptionis; sed alia ratione causa formalis iustificationis, alia ratione adoptionis. Prius per physicam suam entitatem, posterius quatenus secundum ordinationem divinam cum Spiritu sancto nos coniungit; ergo hoc quoque loco docet gratiam non per physicum suum esse causam formalem esse communicationis naturae divinae et adoptionis.

Hanc sententiam Lessii ex parte secuti sunt Petavius [127], Thomassinus [128], et nostris temporibus Hurter [129].

Licet haec opinio nullo modo sit contra definitionem concilii tridentini [130], non tamen videtur admittenda, et ita theologi com-

---

127 De Trinitate l. 8 c. 4 ss.

128 De Incarnatione 8, 9 ss.

129 Compendium, tom. 2, nr. 190.

130 « Nuspiam autem Tridentinum definivit gratiam creatam efficere nos filios Dei praecise, ut est ens physicum et non, ut est fundamentum relationis ad Spiritum Sanctum. Immo nisi Lessius conciperet

munissime censent. Fontes enim revelationis nullam statuunt differentiam inter iustificationem et regenerationem, communicationem naturae divinae, adoptionem. In praesenti ordine iustus non est, nisi qui regeneratione participet naturam divinam et sit filius Dei adoptivus. Si ergo gratia, ut Lessius vult, tamquam ens creatum formaliter hominem iustificat, eam tribuit iustitiam, quae unice in praesenti ordine habetur, scl. quae identice est communicatio naturae divinae, regeneratio. Et quae de hac re sancti Patres dicunt[131], ita videntur intelligenda, quod Deus animam per illud ipsum deificat, quod in ea operatur, in ea producit. Verum quidem est, quod Lessius dicit, collationem scl. alicuius doni per se non esse regenerationem; sed ita non excluditur, collationem alicuius doni posse esse regenerationem; hoc enim a natura istius doni dependet, et gratia sanctificans est praecise donum aliquod, cuius infusio est regeneratio. Sed non videtur verum, accidentalem coniunctionem cum Deo iam esse formaliter regenerationem; nam ad generationem necessaria videtur communicatio perfectionis internae in ipsa natura. Neque ea, quae Lessius ad explicandum inducit ex unione hypostatica rem evincunt. Unio enim hypostatica non est generatio ex Deo, id quod inde iam apparet, quod uti theologi docent, si Pater vel Spiritus sanctus incarnatus esset, ille homo non esset filius Dei naturalis. Hic homo vero Christus, Verbum incarnatum, Filius Dei naturalis est non formaliter per unionem hypostaticam, sed aeterna generatione ex Patre; neque ob unionem hypostaticam communius admittitur in eo filiatio quaedam late dicta.

Ergo cum longe communiore sententia theologorum dicendum est, gratiam sanctificantem esse causam formalem participationis naturae divinae, deificationis, non formaliter eo quod sit funda-

---

hanc relationem ut aliquid ex libera voluntate Dei accedens ad gratiam creatam iustificationis iam perfecte constitutam et proinde ab ea separabile, eius doctrina omnino vera esset. Ergo hic solus est defectus in doctrina Lessii, quod gratiam iustificationis et adoptionis tamquam duplicem inter se plane distinctam proposuit». Pesch, tom. 2, 678.

131 Cf. thes. 3.

mentum relationis ad Spiritum sanctum inhabitantem, sed ut tale ens physicum animae inhaerens eamque perficiens.

Hinc iam ulterius quaeritur: *Quomodo intelligendum est communicatione huius entis haberi participationem naturae divinae, deificationem hominis*? Thesi secunda iam notatum est, non agi de univoca participatione naturae divinae; ex altera tamen parte ea quae fontes dicunt non permittere, ut haec participatio pro sola metaphora habeatur, neque ut ea concipiatur mere ut moralis participatio; sed agi de participatione physica, quae secundum Patrum et theologorum doctrinam in speciali assimilatione cum Deo consistat. Quaenam ergo est haec assimilatio?

Omne ens creatum aliquo sensu similitudinem cum Deo dicit; possibilitas enim rerum in eo fundatur, quod Deus tali ente imitabilis sit. Hinc in omnibus creaturis invenitur « vestigium » Dei; hoc iam valet de rebus materialibus. Sed similitudo in iis est maxime imperfecta, cum perfectiones materiales in Deo formaliter inveniri non possint. Speciali autem ratione homo Deo similis est, quatenus est spiritualis, intelligens et volens. Spirituales enim perfectiones in Deo formaliter, licet in Deo et homine non univoce sed analogice inveniuntur. Hinc de homine dictum est: « Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram... Et creavit Deus hominem ad imaginem suam, ad imaginem Dei creavit illum » [132]. Propter maiorem immaterialitatem et perfectiorem intellectualitatem angeli natura sua perfectiore modo Deo similes sunt [133].

Si ergo maior et minor similitudo cum Deo secundum magis vel minus perfectam immaterialitatem, intellectualitatem, attenditur, illa assimilatio cum Deo, quae est communicatio naturae divinae, generatio ex Deo, reponenda est in eo, quod hominem analogice et accidentaliter in illum ordinem intellectualitatis elevet, qui Deo ut Deo proprius est; aliis verbis: hominem Deo ita assimilat, ut homo sit in statu, cui conaturale est intelligere ad eum modum, qui Deo proprius est, scilicet intuitive videre ipsum esse increatum in se.

---

132 Gen 1, 26 ss.

133 S. Th. 1 q. 93 a. 3.

Gratia sanctificans ergo est accidens physicum talis perfectionis, ut sui communicatione hanc similitudinem cum Deo tribuat: formalis eius effectus est haec communicatio naturae divinae. In hac terra haec communicatio naturae divinae non manifestatur, neque in se neque in suis actibus. « Nondum apparuit quid erimus » [134]. Actum intellectualem huic statui intellectualitatis connaturalem et proprium, id est actum visionis Dei, in hac vita nondum habemus; regeneratus quoque in hac vita nondum operatur ad modum Dei, sed ad modum creaturae. Attamen hoc non impedit, quominus nunc iam vere participet naturam divinam. « Sicut enim in ordine naturali homo est imago Dei, non solum quatenus Deum actu cognoscit, sed etiam quatenus habet naturalem aptitudinem ad Deum cognoscendum, ita in ordine supernaturali perfectum consortium vitae divinae aderit per visionem beatificam, sed aptitudo ad vitam divinam datur per gratiam sanctificantem. Cum igitur id, per quod aliquid in determinata specie entis primum constituitur, dicatur natura eius, gratia sanctificans, qua primum homo in hac specie intellectualitatis, si ita loqui licet, constituitur recte vocatur consortium naturae divinae » [135].

Possibile esse, naturam divinam, quae infinita substantia est, accidentaliter et finito modo communicari, sola ratione ignoramus et sola revelatione cognoscimus; post revelationem vero positive hanc possibilitatem non intelligimus, sed ad summum ostendi potest, non probari repugnantiam. In hac re idem valet, quod de possibilitate intuitivae Dei visionis dictum est; sicuti illa est mysterium stricte dictum, ita etiam communicatio naturae divinae per gratiam sanctificantem.

Sententia proposita est Suarezii, quem multi in hac re sequuntur. Ipse eam ita reddit: « Vera ergo excellentia gratiae habitualis, propter quam dicitur esse singularis participatio divinae naturae est, quam in fine libri praecedentis explicui, nimirum, quia, cum natura divina sit quaedam intellectualis natura altioris ordinis, quam sit vel esse possit ulla substantia intellectualis creata, ille

---

[134] 1 Io 3, 2.

[135] Pesch, tom. 5, 341.

gradus intellectualitatis, qui est in divina natura, divino quodam et supernaturali modo participatur per habitualem gratiam, quo quidem modo a nulla substantia creata per se ipsam, vel per potentiam sibi naturalem participari potest. Quod ex primario obiecto divini intellectus declaratur... Divina enim essentia in ratione obiecti intelligibilis in se et per visionem intuitivam ad ipsam Dei essentiam immediate terminatam, adeo est elevata et excellens ratione purissimae actualitatis et immaterialitatis suae, ut a nulla substantia intellectuali possit connaturaliter videri nisi a seipsa. Per gratiam vero et dona supernaturalia elevatur natura creata intellectualis ad participationem illius gradus intellectualitatis divinae, in quo possit obiectum illud intelligibile divinae essentiae in se intueri. Et ad hunc finem per se primo dantur dona habitualis gratiae et consequenter ad alios actus eiusdem ordinis illi fini consentaneos... Quia vero necesse est omnem participationem divinitatis infinite ab illa distare in modo essendi et subsistendi, ideo non oportet, ut gratia participet illum gradum divinae naturae quatenus est in Deo cum summa actualitate per essentiam, vel cum summa simplicitate, infinitate et similibus proprietatibus incommunicabilibus creaturae; sed satis est, ut gradum ipsum intellectualis naturae potentis obiectum supreme intelligibile in se ipso attingere, participet » [136].

Cum hac natura homo accipit etiam potentias vel facultates, virtutes infusas, ad eliciendos actus, qui huic naturae et statui hominis deificati, filii Dei adoptivi, sed in hac terra adhuc in statu viae degentis, conveniunt.

Gonet cum aliis censet per gratiam participari naturam divinam ut est actus purus, ens infinitum, esse imparticipatum. Sed haec sententia non videtur admittenda; nam ut recte notat Suárez: « eo ipso quod divinum esse participatur, non participatur, ut imparticipatum est » [137].

Ripalda [138] putat participationem naturae divinae consiste-

---

136 Suárez, De gratia l. 7, cap. 1 nr. 30 s.

137 De gratia l. 7, cap. 1, nr. 27.

138 De ente supernaturali, disp. 132, s. 9, nr. 105.

re in assimilatione ad Deum ut est sanctus. De facto haec assimilatio habetur. Si enim effectus formalis gratiae sanctificantis est communicatio naturae divinae, eius infusione homo eo ipso fit iustus ea iustitia quae unice in praesenti ordine habetur: Deo eiusque voluntati conformis et ad ipsum finem ultimum visione possidendum, ad vitam aeternam ordinatus. Eo ipso quoque constituitur homo sanctus, tum quia segregatur a profano, Deo eiusque cultui designatur, consecratur; tum etiam quia secundum hanc naturam et facultatibus cum illa collatis, virtutibus infusis, non nisi sancte operatur. Ita revera habetur assimilatio ad Deum, qui est ipsa sanctitas, et haec omnino pertinet ad illam assimilationem cum Deo, quae gratia confertur. Sed in illa non videtur exclusive reponenda participatio naturae divinae, sed in assimilatione ad intellectualitatem divinam, ut supra dictum est. Et ita etiam longe communius theologi rem concipiunt.

Estne etiam adoptio divina effectus formalis gratiae sanctificantis? [139] Adoptio formaliter dicit relationem iuridicam inter adoptantem et adoptatum; inter homines eandem naturam humanam supponit, et propterea in ea non habetur communicatio naturae. Deus autem illi, quem vult facere filium suum adoptivum, divinam suam naturam communicat, idque generando, ita ut haec adoptio aliquam generationem includat. Sicuti communicatio naturae per generationem facta eum qui generatur filium generantis facit, ita hic quoque dicendum: communicatione naturae divinae per generationem ex Deo homo constituitur Dei filius adoptivus. Communicatio naturae, vel ipsa natura divina communicata est fundamentum reale relationis filiationis iusti ad Deum. Hinc ipsa filiatio adoptiva dicenda est effectus formalis gratiae sanctificantis. Patet autem hanc relationem filiationis adoptivae oriri non posse, si subiectum cui gratia sanctificante natura divina communicatur, incapax est huius relationis. Hoc habetur in Christo homine, cuius humanitas

---

[139] Cf. quae thes. 2 iam dicta sunt de relatione inter communicationem naturae divinae et adoptionem.

ornata quidem est gratia sanctificante, qui autem tamquam Filius Dei naturalis non potest esse filius adoptivus; adoptio enim est personae extraneae in iura filii naturalis assumptio.

Estne gratia sanctificans causa formalis remissionis peccatorum? Quomodo inter sese habent infusio gratiae et peccatum? Imprimis patet per se possibilem esse infusionem gratiae sine remissione peccatorum, si in subiecto peccatum non invenitur, uti in Christo homine, in protoparentibus, in angelis. Praeterea patet Deum in alio ordine potuisse remittere peccatum sine infusione gratiae. Hoc autem in praesenti ordine fieri non potest; nam conversio ad Deum finem ultimum in praesenti ordine sine gratia sanctificante non habetur; defectus huius gratiae non est mera carentia, sed vera privatio, deordinatio; nam ita homo aversus est a Deo fine suo ultimo. Privatio gratiae sanctificantis in praesenti ordine essentialiter ad peccatum pertinet [140]. Remissio peccati ergo necessario postulat, ut haec privatio tollatur, ut gratia infundatur. Porro in eodem subiecto non simul inveniuntur peccatum et gratia sanctificans; hinc in peccatore infusio gratiae non est sine remissione peccatorum. Sed inde nondum necessario sequitur, ut remissio peccati formaliter sit per ipsam gratiam. Hefner [141] notat, concilium tridentinum hanc formam: « iustificatio... non est sola peccatorum remissio, sed et sanctificatio... » elegisse, quia non voluerit decidere quaestionem disputatam, utrum infusionem gratiae actus Dei iuridicus antecedat, quo peccata remittantur, an remissio peccati per ipsam infusionem gratiae habeatur; et ita concilium solum docere, de facto peccata non remitti sine infusione gratiae. Nunc autem theologi docent recte dici per infusionem gratiae deleri peccatum.

Sed quaeritur, utrum sit ex natura gratiae, quod peccatum a subiecto in quo est excludat. Scotistae et aliqui nominales concedunt quidem gratiam sanctificantem esse causam formalem remissionis peccati et iustificationis, sed non adaequatam; accedere

---

140 Cf. Tract. de peccato.

141 Pag. 258.

scl. debet ordinatio Dei qua vult remittere peccatum ubi infunditur gratia. Gratia et peccatum non se excludunt physice, sed moraliter tantum ob dignitatem gratiae, et hanc dignitatem gratia habet ex ordinatione divina [142]. Attamen haec sententia non videtur admittenda. Nam gratia est formaliter communicatio naturae divinae et hominem facit filium adoptivum Dei; haec autem natura sua, id est sine speciali ordinatione divina, talem videtur includere dignitatem moralem, ut peccatum a subiecto excludatur. Qui est filius Dei adoptivus, est amicus Dei et non potest simul esse Dei inimicus, peccator; id quod formaliter hominem reddit amicum Dei, formaliter excludit eum esse inimicum Dei. Considerandum enim est gratiam sanctificantem non esse accidens physicum qualecumque, sed ens plane sui generis, communicationem naturae divinae, qua homo ad ordinem stricte supernaturalem, id est ordinem divinum elevatur. Et hinc iam solvitur ratio sententiae oppositae: Deus per ens creatum non potest necessitari ad amorem. Est enim gratia sanctificans ens, quod hominem filium Dei facit, et ubi Deus ex sua liberalitate in homine tale ens producit, hominem illum ut suum amicum et filium diligit. Ceterum difficile intelligitur, quomodo gratia causa formalis iustificationis sit, si ad hoc ut peccatum deleat, accedere adhuc debet specialis favor Dei; nam ad causam formalem pertinere videtur, quod ipsa sui communicatione effectum formalem producat.

Sed etiam supposito, quod gratia physica sua natura, sine novo speciali favore, peccatum expellat, adhuc quaeritur, utrum hoc sit gratiae connaturale solum an essentiale; si ultimum, metaphysice repugnaret, et ne per potentiam quidem Dei absolutam possibile esset, gratiam infundi et remanere peccatum; si autem connaturale tantum, per potentiam Dei absolutam remanere posset peccatum in anima gratia sanctificante ornata. Metaphysicam oppositionem inter gratiam et peccatum docent Gonet, Salmanticenses, Billuart, Vázquez, Mazzella, Pesch, Schiffini, Lange; physicam: Suárez, Tanner, Mendive, Villada, Beraza.

---

142 Cf. Mastrius, In 2, disp. 7, q. 1, a. 1. Frassen, Scotus academicus, tom. 8, disp. 3, art. 2, q. 1.

Praeferenda videtur prior sententia, quae statuit oppositionem metaphysicam, et quidem ob easdem rationes quae supra contra Scotistas inductae sunt. Si enim gratia revera est tale ens, cuius infusione homo generatur ex Deo, terminus huius infusionis sive generationis est filius Dei adoptivus, amicus Dei; videtur autem metaphysice repugnare, quod Deus infusione gratiae sanctificantis hominem faciat filium suum et amicum, et simul eundem hominem odio habeat, ut suum inimicum. Similiter metaphysice repugnare videtur, quod Deus infusione gratiae hominem faciat heredem vitae aeternae, et simul velit eundem hominem esse obnoxium poenae aeternae. Homo gratia sanctus constituitur, recte ordinatus ad Deum finem ultimum; ergo eo quo formaliter ordinatus constituitur, excluditur formaliter inordinatio relate ad eundem finem; sive: metaphysice repugnat, hominem simul relate ad eundem terminum actu esse ordinatum et non ordinatum.

Si autem ad has et similes rationes dicatur, haec omnia valere de gratia non in suo nudo esse physico spectata, sed simul considerata eius dignitate morali, sive de gratia considerata in suo esse physico-morali, respondendum videtur, gratiam in fontibus exhiberi ut ens adeo sublime, ut dicendum sit eam natura sua illam dignitatem includere, ita ut id, quod cum hac dignitate pugnet, cum ipsa gratia pugnet. Si enim hoc non admitteretur, dicendum esset, illam perfectionem, qua gratia hominem amicum et filium Dei facit, qua metaphysice peccatum ab homine excludit, non esse aliquid ipsi gratiae essentiale, sed aliquid quod adesse et abesse potest. Adest ergo, si et inquantum Deus adesse vult; et ita est periculum incidendi in sententiam Mastrii.

Ergo dicendum: gratia sanctificans essentia sua est ens tantae perfectionis, ut natura sua sit causa formalis remissionis peccatorum, iustificationis, communicationis naturae divinae, adoptionis.

Tandem adhuc quaeri potest: *estne in iustificatione gratia creata eo sensu unica causa formalis, ut nullo modo ipse Deus, Spiritus sanctus dici possit causa formalis*? Ad hoc dicendum est: sensu stricto Deus ipse non potest esse causa formalis alicuius perfectionis creaturae; sed causa formalis dicitur etiam sensu quo-

dam latiore. In iustificatione datur donum increatum, ipse Deus inhabitans, et gratia est fundamentum relationis ad Deum inhabitantem. Terminus huius relationis est Spiritus sanctus; terminus autem relationis recte dici potest forma externa, assistens, subiecti relationis. Et hinc omnino dici potest Spiritum sanctum in iustificatione se habere ad modum formae assistentis et analogae. « Haec natura altior, quae homini datur (scl. in iustificatione) non solum se habet per modum formae absolutae, quae homini inhaerentem splendorem et perfectionem confert, sed etiam per modum formae relativae, qua homo ineffabili modo coniungitur cum Spiritu sancto, et cum tota SS. Trinitate, Deumque ut proprium suum bonum in se habet: quae quidem inhabitatio Spiritus sancti est quodammodo fastigium et nobilissimum elementum huius deificationis » [143].

---

[143] Pesch, 5, 342.

PARS SECUNDA

DE HOMINE ADULTO ANTE IUSTIFICATIONEM

Postquam dictum est de iustificatione in se, iam considerandum est, quomodo adultus ad eam perveniat: debet cooperari ad iustificationem, ad eam se praeparare. Hoc autem solis viribus naturalibus non potest, sed indiget auxilio gratiae divinae. Et ita prima sectio huius partis agit de eo, quod peccator adultus cum auxilio gratiae possit ac debeat. Apte cum hac coniungitur altera quaestio, quidnam homo peccator viribus suis naturalibus possit et non possit, et de hac re in secunda sectione. Tota ergo secunda pars agit de homine adulto ante iustificationem.

SECTIO I.

Quid peccator adultus cum auxilio gratiae possit ac debeat

Secundum novatores saeculi 16 homo per peccatum originale omnino corruptus est, liberum arbitrium perdidit, nihil boni iam agere potest, immo quidquid facit est peccatum. Inde patet eum ad iustificationem suam active cooperari non posse, sed mere passive se habere in recipienda iustitia. Fide fiduciali apprehendit merita Christi eiusque iustitia ipsi imputatur. Fides fiducialis non

est activa cooperatio ad iustificationem, sed potius passio, est merum instrumentum quo iustitia apprehenditur. Haec autem fides est absolute certa, et proinde homo (imputative) iustificatus absolute certus est de sua iustificatione; hinc nihil incertitudinis, dubii de iustitia imputata. Haec secundum ipsos est vera doctrina de iustificatione per fidem solam[1].

Contra hos errores concilium tridentinum veram catholicam doctrinam proposuit, secundum quam homo adultus in sua iustificatione non mere passive se habet, sed per actus virtutum cum auxilio gratiae se praeparare debet. His autem actibus non meretur iustificationem, sed ad eam sese disponit, ita ut iustitia conferatur etiam secundum mensuram huius dispositionis. Doctrina de iustificatione per fidem fiducialem reicitur, et quae cum illa cohaeret doctrina de inani fiducia haereticorum.

Tribus thesibus sequentibus agemus 1) de dispositione adulti ad iustificationem; 2) de necessitate gratiae ad hanc dispositionem; 3) de supernaturalitate actuum disponentium.

THESIS 6: ***Quamvis nihil eorum, quae iustificationem antecedunt, eam mereatur, homo tamen adultus ad eam disponere se debet actibus fidei et aliarum virtutum ; doctrina autem de fide fiduciali reicienda est.***

Thesis, ut patet, tres habet partes: 1) iustificatio est omnino gratuita, non ex merito; 2) homo se debet praeparare, disponere; 3) reicitur fides fiducialis.

M e r i t u m sensu latissimo describi potest: opus retributione dignum. Est ergo opus quod essentialiter respicit alterum, retribuentem. Retributio in eo est, ut pro eo, quod quis opere suo alicui tribuit, aliquid correspondens ipsi tribuatur. Ut ergo de merito sermo esse possit, opus debet esse in potestate operantis (opus cum advertentia rationis, libere positum), et debet cedere in uti-

---

[1] Cf. supra pag. 39 ss., 45 ss.; De virtutibus theologicis nr. 14. Postea Melanchthon et alii quidam cooperationem aliquam admittere volebant, sed eorum sententia non est recepta.

litatem vel damnum, in honorem vel inhonorationem alterius. Si enim haec non adsunt, de retributione sermo esse non potest. Per se meritum de bono et de malo dici potest et etiam dicitur: mereri praemium, mereri poenam; sed meritum malum vocari consuevit demeritum. Meritum ergo bonum, sive meritum sine addito est opus bonum in obsequium (utilitatem, honorem) alterius praestitum, retributione, praemio dignum.

Opus aliquo praemio dignum esse dicit perfectionem huius operis, qua aptum est tali retributione; hic valor operis vocatur meritum aptitudinale, meritum in actu primo. Ex eo enim solo, quod quis opus talis valoris posuit, per se nondum habet actu meritum apud alterum; sed eius acceptatio accedere debet, ut meritum aptitudinale evadat meritum in actu secundo. Ergo ad meritum formale in actu secundo requiritur et valor operis et acceptatio eius. Haec acceptatio potest ipsum opus antecedere, vel opus perfectum sequi.

Pro varia proportione inter opus meritorium et praemium distinguitur meritum de condigno et meritum de congruo. « Dicitur autem aliquis mereri ex condigno, quando invenitur aequalitas inter praemium et meritum secundum rectam aestimationem; ex congruo autem tantum, quando talis aequalitas non invenitur, sed solum secundum liberalitatem dantis munus tribuitur quod tantum decet » [2]. Dicitur « aequalitas secundum rectam aestimationem », id est non requiritur aequalitas quantitativa (uti e. g. in emptione et venditione rerum saepe habetur), sed ut ibidem exponit s. Thomas aequalitas proportionis [3]. In merito enim ratio

---

[2] S. Thomas, in 2, dist. 27, q. 1, a. 3.

[3] « Est enim duplex aequalitas, scilicet quantitatis et aequalitas proportionis. Secundum quantitatis aequalitatem ex actibus virtutum vitam aeternam ex condigno non meremur, non enim tantum bonum est in quantitate actus virtutis, quantum praemium gloriae, quod est finis eius. Secundum autem aequalitatem proportionis ex condigno meremur vitam aeternam. Attenditur enim aequalitas proportionis, quando aequaliter se habet hoc ad illud, sicut aliud ad alterum. Non autem maius est Deo vitam aeternam tribuere quam nobis actum virtutis exhibere; sed sicut hoc congruit huic, ita illud illi; et ideo quaedam pro-

habenda est etiam personae in cuius obsequium opus cedit et quae retribuit. Ita quilibet censet hominem magis divitem et magis nobilem amplius dare praemium, quam minus divitem et minus nobilem. Secundum s. Thomam haec aequalitas proportionis adest, si praemium pro ipso remunerante non est opus maius quam opus meritorium pro ipso merente.

Propter illam aequalitatem, posita acceptatione, praemium ex iustitia debetur, et quidem si est aequalitas quantitativa, ex rigore iustitiae, si est aequalitas proportionis, non ex toto rigore iustitiae. Dignitas operis meritorii mensuratur tum ex ipso opere in se, tum etiam ex persona operante.

Solum meritum de condigno est meritum sensu stricto, et illud intelligitur, si de merito simpliciter sermo est.

Meritum est de congruo, si illa aequalitas non adest, attamen dignitas quaedam in opere invenitur, ob quam decet dare praemium, quod valorem operis de facto excedit. In tali suppositione ille, in cuius obsequium alter operatus est, non tenetur ad retributionem; sed potest ita res se habere, ut tamen congruum sit dare aliquod praemium; e. g. si quis opus in obsequium alterius facere conatus est, sed sine culpa ob defectum virium vel ob aliam rationem opus condignum perficere non potuit. Collatio praemii pro merito de congruo non procedit ex iustitia, sed ex liberalitate vel misericordia. Meritum de congruo, si annexam habet promissionem Dei de reddendo praemio, est infallibile; secus est fallibile. Meritum de congruo non est meritum sensu proprio, sed meritum late dictum.

Dispositio, quae secundum philosophos ad primam speciem qualitatis pertinet, et quae ab iis vario modo intelligitur, accipi potest pro quolibet accidente, quod subiectum ad aliud praeparat, sive pro qualitate qua subiectum est aptum ad aliquid, ad

---

portionis aequalitas invenitur inter Deum praemiantem et hominem merentem; dum tamen praemium referatur ad idem genus in quo est meritum; ut si praemium est quod omnem facultatem humanae naturae excedit, sicut vita aeterna, meritum etiam sit per talem actum in quo refulgeat bonum illius habitus qui divinitus infunditur, Deo nos consignans ». Ibidem.

aliquam formam recipiendam. Palmieri[4] eam definit: « realis habitudo subiecti, qua subiectum per se indifferens actuatum constituitur plus minus proxime idoneum ad formam suscipiendam ». Si subiectum constituit remote idoneum, est dispositio r e m o t a, si proxime, est p r o x i m a ; dispositio remota mediate, proxima immediate cum forma connectitur. Distinguitur porro dispositio p h y s i c a et m o r a l i s, prout subiectum physice vel moraliter idoneum reddit ad formam recipiendam.

Ab hac dispositione p o s i t i v a distinguitur dispositio n e g a t i v a, quae est absentia impedimenti contra ingressum formae; haec autem est dispositio sensu minus proprio.

Considerari potest dispositio i n f a c t o e s s e et i n f i e r i ; in facto esse est illa idoneitas hucusque descripta; in fieri est vel productio idoneitatis (dispositio positiva), vel non appositio impedimenti (dispositio negativa).

Ex dictis apparet differentia inter meritum et dispositionem: meritum essentialiter respicit alterum, in cuius obsequium opus praestatur; in dispositione talis relatio ad alterum non continetur. Actus dispositivi ut tales non sunt necessario obsequium, sed ut tales dicunt perfectionem subiecti, qua subiectum recipiendae formae idoneum redditur. Attamen iidem actus, qui sunt dispositio, simul possunt habere rationem obsequii erga alterum, et ita simul habere rationem meriti.

I. Nihil eorum quae iustificationem antecedunt eam meretur.

Notandum est non sufficere ostendere, hominem non posse mereri iustificationem actibus virium naturalium, neque operibus legis; neque sufficit ostendere gratiam illam, quae, uti in sequenti thesi dicitur, ad actus disponentes est necessaria, non esse obiectum meriti; nam ita nondum excluditur hominem posse mereri iustificationem ipsis actibus quos cum auxilio gratiae sine merito concessae elicit; sed ostendendum est ipsam iustificationem in se non esse

---

[4] De Gratia divina actuali, pag. 278.

obiectum meriti ipsius peccatoris iustificandi. Meritum intelligitur in hac parte de condigno. Ita intellecta haec pars est de fide.

Doc. Ecclesiae

Conc. tridentinum sess. 6 cap. 7 causam meritoriam iustificationis solum assignat Dominum nostrum Iesum Christum [5]. Deinde cap. 8. explicat quomodo intelligenda sint verba Apostoli, nos iustificari gratis, eo enim sensu, « quem perpetuus Ecclesiae catholicae consensus tenuit et expressit », scilicet quod « gratis autem iustificari ideo dicamur, quia nihil eorum, quae iustificationem praecedunt, sive fides sive opera ipsam iustificationis gratiam promeretur; si enim gratia est iam non ex operibus, alioquin (ut idem Apostolus inquit) gratia iam non est gratia » [6].

S. Scriptura

Rom 3,24: « iustificati gratis per gratiam ipsius », ipsa verba quae concilium tridentinum explicat. — 4, 1 ss. ostendit, si ex operibus esset iustificatio, esset secundum debitum, et non secundum gratiam; iustificatio autem est secundum propositum gratiae. — 11, 6 idem statuit principium a concilio tridentino citatum: « si autem gratia iam non ex operibus: alioquin gratia iam non est gratia ». — Eph 2, 8: « gratia enim estis salvati per fidem, et hoc non ex vobis: Dei enim donum est, non ex operibus, ut nequis glorietur ». — Tit 3, 4 ss: « Cum autem benignitas et humanitas apparuit Salvatoris nostri Dei, non ex operibus iustitiae, quae fecimus nos, sed secundum suam misericordiam salvos nos fecit per lavacrum regenerationis, et renovationis Spiritus Sancti... ut iustificati gratia ipsius, heredes simus secundum spem vitae aeternae ». - Cf. Io 15, 4.

---

[5] Denz. 799.

[6] Denz. 801.

Patres

S. Augustinus: « Haec autem Christi gratia, sine quae nec infantes nec aetate grandes salvi fieri possunt, non meritis redditur, sed gratis datur; propter quod et gratia nominatur. Iustificati, inquit, gratis per sanguinem ipsius » [7]. « Quae igitur sua merita iactaturus est liberatus, cum, si digna suis meritis redderentur, non esset nisi damnatus? Nullane igitur sunt merita iustorum? Sunt plane, quia iusti sunt. Sed ut iusti fierent, merita non fuerunt » [8]. — S. Prosper: « Iustificatus itaque homo, id est, ex impio pius factus, nullo praecedente bono merito, accipit donum, quo dono acquirat et meritum » [9]. — « Quodsi et ad illos dirigas mentis intuitum, qui, longam agentes in flagitiis et sceleribus aetatem, sacramento baptismatis Christi in ipso vitae fine renovantur, et sine ullo suffragio bonorum operum in regni caelestis consortium transferuntur, quo intellectu divinum iudicium comprehendes, nisi ut indubitanter agnoscas gratuita esse Dei munera; et sicut nulla sunt tam detestanda facinora, quae possint gratiae arcere donum, ita nulla posse tam praeclara opera exsistere, quibus hoc quod gratis tribuitur per retributionis iudicium debeatur? Vilesceret enim redemptio sanguinis Christi nec misericordiae Dei humanorum operum praerogativa succumberet, si iustificatio quae fit per gratiam meritis praecedentibus deberetur, ut non munus largientis, sed merces esset operantis » [10].

Ratio

Ratio facile intelligit hominem peccatorem et inimicum Dei non posse ponere opus tantae valoris coram Deo, ut de condigno

---

[7] De natura et gratia 4, 4; ML 44, 261; R 1791.

[8] Epist. 194, 3, 6; ML 33, 876; R 1449.

[9] Responsiones ad capitula obiectionum Gallorum, ad obi. 6; ML 51, 161; R 2027.

[10] De vocatione omnium gentium 1, 17; ML 51, 669; R 2044.

mereatur participationem naturae divinae, generationem ex Deo, filiationem adoptivam, et ita hereditatem vitae aeternae.

II. Adultus actibus virtutum ad iustificationem praeparare, disponere se debet.

Affirmatur dispositio positiva eaque moralis et sic intellecta haec pars est de fide; utrum isti actus etiam sint dispositio physica, controvertitur, qua de re pauca in fine huius partis.

Doc. Ecclesiae

Conc. tridentinum [11]: Capite 5 agit de necessitate praeparationis ad iustificationem; homines gratiae Dei libere assentiendo et cooperando ad suam ipsorum iustificationem disponuntur. Et sententiam oppositam damnat can. 4: « Si quis dixerit, liberum hominis arbitrium a Deo motum et excitatum nihil cooperari assentiendo Deo excitanti atque vocanti, quo ad obtinendam iustificationis gratiam se disponat atque praeparet, neque posse dissentire, si velit, sed velut inanime quoddam nihil omnino agere mereque passive se habere: A. S. ». Can. 5 damnatur sententia negans liberum arbitrium permanere post Adae peccatum. — Capite 6 describit modum praeparationis enumerando varios actus in illa occurrentes: fides dogmatica, timor iustitiae Dei, spes in misericordia Dei, initium dilectionis Dei, aversio a peccato, poenitentia, propositum recipiendi baptismum, novae vitae et observationis mandatorum. Adduntur plures textus s. Scripturae quibus haec doctrina enuntiatur. Ut ex historia concilii constat declarare non voluit omnes illos actus ante omnem iustificationem esse necessarios [12]. Opposita doctrina actus illos non solum non esse dispositionem ad iustificationem, sed peccata, damnatur can. 7 et 9. Can. 9: « Si quis dixerit,

---

11 Cf. Hefner, Entstehungsgeschichte pag. 138-164.
12 Hefner, 154. Cf. S. Th. 3, q. 85, a. 5.

sola fide impium iustificari, ita ut intelligat, nihil aliud requiri, quo ad iustificationis gratiam consequendam cooperetur, et nulla ex parte necesse esse, eum suae voluntatis motu praeparari atque disponi: A. S. ». — Cap. 7: « Hanc dispositionem seu praeparationem iustificatio ipsa consequitur ». Iustitiam recipit unusquisque suam « secundum mensuram, quam Spiritus Sanctus partitur singulis prout vult, et secundum propriam cuiusque dispositionem et cooperationem ». Capite 8 explicat quid sit per fidem iustificari, scl. fides est omnis iustificationis initium, fundamentum et radix.

S. Scriptura

Concilium tridentinum in fine capitis 6 iam plures citavit textus s. Scripturae. Sequentes textus dispositi sunt secundum ordinem quo concilium modum praeparationis describit.

Fides: Rom 3, 28. 30: « Arbitramur enim hominem iustificari per fidem sine operibus legis... quoniam quidem unus est Deus, qui iustificat circumcisionem ex fide, et praeputium per fidem ». — 5, 2: « Per quem (Iesum Christum) et habemus accessum per fidem in gratiam istam, in qua stamus et gloriamur in spe gloriae filiorum Dei ». — Gal 3, 8: « Providens autem Scriptura quia ex fide iustificat Gentes Deus, praenuntiavit Abrahae: quia benedicentur in te omnes Gentes. Igitur qui ex fide sunt, benedicentur cum fideli Abraham ». — 3, 24: « Itaque lex paedagogus noster fuit in Christo, ut ex fide iustificemur ». — Phil 3, 9: « ut Christum lucrifaciam, et inveniar in illo non habens meam iustitiam, quae ex lege est, sed illam quae ex fide est Christi Iesu: quae ex Deo est iustitia in fide ad cognoscendum illum... ». — Hebr 11, 6: « Sine fide autem impossibile est placere Deo. Credere enim oportet accedentem ad Deum quia est et inquirentibus se remunerator sit ». Ex quo ultimo textu etiam apparet, fidem illam esse dogmaticam, quae pro obiecto habet veritates admittendas[13].

---

[13] Hoc fusius ostenditur in tractatu de virtutibus nr. 108.

T i m o r : Eccli 1, 27: « Timor Domini expellit peccatum » (textus citatus a concilio tridentino). Cf. Prov 4, 27.

S p e s : Matth 9, 2 (Marc 2, 5): « Confide fili, remittuntur tibi peccata tua » (cit. a conc. trid.). — Prov 28, 25: « Qui vero sperat in Domino sanabitur ».

D i l e c t i o : Luc 7, 47: « Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum ». — Io 14, 23: « Si quis diligit me, sermonem meum servabit, et Pater meus diliget eum, et ad eum veniemus, et mansionem apud eum faciemus ». — Cf. 1 Io 3, 14.

P a e n i t e n t i a : Ez 18, 21: « Si autem impius egerit poenitentiam ab omnibus peccatis suis, quae operatus est, et custodierit omnia praecepta mea, et fecerit iudicium et iustitiam, vita vivet et non morietur ». — Matth 4, 17: « Exinde coepit Iesus praedicare et dicere: Poenitentiam agite, appropinquavit enim regnum caelorum ». — Luc 13, 1-9 de necessitate poenitentiae, de ficulnea infructuosa; cf. Luc 24, 47. — Actus 2, 38: « Petrus vero ad illos: Poenitentiam, inquit, agite, et baptizetur unusquisque vestrum in nomine Iesu Christi in remissionem peccatorum vestrorum et accipietis donum Spiritus Sancti » (textus cit. a conc. trid.).

O p e r a m i s e r i c o r d i a e : Tob 12, 9: « Quoniam eleemosyna a morte liberat, et ipsa est, quae purgat peccata, et facit invenire misericordiam et vitam aeternam ». Cf. Dan 4, 24.

G e n e r a t i m : c o o p e r a t i o requitur: Zach 1, 3: « Convertimini ad me, ait Dominus exercituum, et convertar ad vos, dicit Dominus exercituum» (cit. a conc. trid.). — 1 Reg 7, 3: « Praeparate corda vestra Domino » (cit. a conc. trid.).

Ergo homo actibus suis concurrere debet ad propriam iustificationem. His actibus convenit definitio dispositionis supra exhibita: iis enim homo se praeparat et magis magisque idoneum reddit ad iustificationem recipiendam; verus quoque nexus statuitur inter illos actus et iustificationem: iustificatio est fide, per fidem, ex fide, quoniam multum dilexit; timor expellit peccatum, eleemosyna purgat peccata, facit invenire vitam aeternam. Haec omnia de sola condicione praerequisita dici non possunt.

Patres

Clemens Alexandrinus: « Haec ergo tanta mutatio a Deo procedit qua fit, ut quis, ex infidelitate fidelis factus, spe et timore credat. At prima quidem ad salutem esse inclinatio nobis fides apparet, postquam timor et spes ex poenitentia cum continentia et tolerantia proficientes nos ducunt ad amorem et cognitionem » [14]. — « Quando audierimus: fides tua te salvam fecit, non accipimus eum (Christum) dicere simpliciter eos salvos futuros, qui quomodocumque crediderint, nisi opera quoque fuerint secuta. Quippe Iudaeis solis illam dicebat vocem, qui secundum legem et sine reprehensione vixerant, quibus sola deerat fides in Dominum » [15]. — Origenes: « Qui moritur in peccatis suis, etsi dicat se credere Christo, revera non credidit illi; nam etsi dicatur fides, sine operibus autem exsistat, mortua est talis fides, ut legimus in epistula quae Iacobi nomine circumfertur » [16]. — S. Gregorius Nyssenus: « Cum fide iustitiam conectens et contexens (Paulus) per eas loricam armato parat, recte et tuto per utramque loricans militem. Impossibile est enim utentem armari tuto per alteram ab altera disiunctam. Nec enim fides absque operibus iustitiae est sufficiens ad salvandum; nec rursus vitae iustitia per se ad salutem secura est disiuncta fide » [17]. — S. Ioannes Chrysostomus: « Qui credit in Filium, habet vitam aeternam ... Num ergo sufficit, inquies, credere in Filium ut vita aeterna habeatur? Nequaquam. Audi Christum hoc ipsum declarantem his verbis: Non omnis qui dicit mihi Domine, Domine, intrabit in regnum caelorum; et blasphemia in Spiritum sufficit, ut in gehennam quis detrudatur. Et quid dico de partes dogmatis? Nam etsi quis recte credat in Patrem et Filium et Spiritum Sanctum, si recte non vivat, nihil ipsi fides proderit

---

14 Stromata, 2, 6, 31, 1; MG 8, 965; R 419.
15 Ibidem, 6, 14, 108, 4. 5; MG 9, 329; R 428.
16 In Ioannem comm. 19, 23, 152; MG 14, 569; R 481.
17 In Ecclesiasten hom. 8; MG 44, 748; R 1024.

ad salutem »[18]. — S. HIERONYMUS: « ... quia iustus ex fide vivit... Considerandum itaque quia non dixerit: homo aut vir ex fide vivit, ne occasionem tribueret ad virtutum opera contemnenda; sed: iustus ex fide vivit, ut, quicumque fidelis esset et per fidem victurus, non aliter posset ad fidem venire, vel in ea vivere, nisi prius iustus fuisset et puritate vitae, quasi quibusdam ad fidem gradibus, ascendisset »[19]. — S. AUGUSTINUS: « Si quis autem dixerit, quod gratiam bene operandi fides mereatur, negare non possumus, immo vero gratissime confitemur. Hanc enim fidem volumus habeant, qua impetrent caritatem, quae sola vere bene operatur, isti fratres nostri, qui multum de suis operibus gloriantur »[20]. — « Eris opus Dei, non solum quia homo es, sed etiam quia iustus es. Melius est enim iustum esse quam te hominem esse. Si hominem te fecit Deus, et iustum tu te facis, melius aliquid facis quam fecit Deus. Sed sine te fecit te Deus. Non enim adhibuisti aliquem consensum, ut te faceret Deus. Quomodo consentiebas qui non eras? Qui ergo fecit te sine te, non te iustificat sine te. Ergo fecit nescientem, iustificat volentem »[21]. — S. FULGENTIUS: « Sine fide impossibile est placere Deo. Fides est namque bonorum omnium fundamentum, fides est humanae salutis initium. Sine hac nemo ad filiorum Dei numerum potest pertinere, quia sine ipsa nec in hoc saeculo quisquam iustificationis consequitur gratiam, nec in futuro vitam possidebit aeternam; et si quis hic non ambulaverit per fidem, non perveniet ad speciem. Sine fide omnis labor hominis vacuus est »[22]. — S. GREGORIUS MAGNUS: « Nec fides sine operibus nec opera adiuvant sine fide, nisi fortasse pro fide percipienda fiant; sicut Cornelius ante pro bonis operibus meruit audiri quam fidelis exsisteret; qua ex re colligitur, quia bona opera pro fide percipienda faciebat »[23].

---

18 In Ioannem hom. 31, 1; MG 59, 175; R 1163.
19 In epistulam ad Galatas comm. 2, 3 11; ML 26, 358; R 1352.
20 Epist. 186, 3, 7; ML 33, 818; R 1445.
21 Sermo 169, 11, 13; ML 38, 923; R 1515.
22 De fide, ad Petrum, Prol. nr. 1; ML 65, 671; R 2260.
23 In Ezechielem hom. 1, 9, 6; ML 76, 872; R 2327.

Obiectiones

1) Fides sola sine operibus est sufficiens dispositio ad iustificationem. Rom 3, 28: « Arbitramur enim iustificari hominem per fidem sine operibus legis ». — Eph 2, 8. 9: « Gratia enim estis salvati per fidem, et hoc non ex vobis: Dei enim donum est, non ex operibus ne quis glorietur ». — Resp. *a*) ex contextu patet Rom 3, 28 fidem directe opponi operibus legis, et ibi et Rom 4 et Eph 2, 8. 9 sermonem esse de operibus sine fide, extra fidem factis, et de talibus propter quae homo sibi ipsi tribuere posset salutem (gloriari), de operibus meritoriis; non autem excluduntur opera a credente cum auxilio gratiae (cf. sequentem thesim) facta, quae solum disponunt ad iustificationem eiusque gratuitatem non tollunt. Ergo distingui potest: Excluduntur opera legis et sine fide facta, conc.; alia opera virtutum, subd.: tamquam stricte meritoria iustificationis, conc.; tamquam disponentia, iterum dist.: si essent mere naturalia, conc.; si ponuntur cum auxilio gratiae, nego. — *b*) explicite s. Scriptura docet fidem solam non sufficere. Iac 2, 24: « Videtis quoniam ex operibus iustificatur homo, et non ex fide tantum ». In epistulis s. Pauli praeter fidem alia postulantur, 1 Cor 7, 19; 13, 1 ss. Gal 5, 6. Vide etiam textus in argumento allatos. — *c*) Speciali autem modo fidei attribui potest iustificatio, quia, ut tridentinum ait, fides est humanae salutis initium, fundamentum et radix omnis iustificationis. Saepe quoque fides intelligitur non solum actus virtutis fidei, quatenus ab aliis virtutibus distinguitur, sed sensu latiore in quantum vitam secundum illam fidem includit.

2) Videtur oppositio esse inter Rom et Iac; nam Rom dicitur, Abraham iustificatum esse non ex operibus, Iac autem ex operibus. — Resp. Iac ostendit non sufficere solum credere, id est religiosam veritatem admittere (2, 19: quoniam unus est Deus), nisi sequatur vita secundum hanc fidem, et mandata Dei serventur; fides sine operibus est mortua (2, 17. 20. 26). Fides vera, viva, operibus probatur. Talis erat fides Abrahae. Ipsi quoque fides non fuisset ad salutem, nisi Deo cui credidit, etiam obedivisset. « Fides cooperabatur operibus illius, et ex operibus fides consummata est ». Haec autem omnia in epistula ad Romanos non negantur. Fides quam s. Paulus postulat, non est fides mortua sed viva, quae est vera conversio ad Deum. Verba autem apparenter contraria inde explicantur, quod s. Paulus eos impugnat, qui fidem non amplectuntur et sine fide et extra fidem propriis operibus salutem consequi volunt; Iacobus e contra impugnat eos qui fidem amplexi sunt, sed non secundum fidem suam vivunt, et putant se posse salvari sola fide sine operibus quae ex fide procedere debent. S. Augustinus: « Homines autem non intel-

ligentes, quod ait ipse apostolus: Arbitramur iustificari hominem per fidem sine operibus legis, putaverunt eum dicere sufficere homini fidem, etiamsi male vivat et bona opera non habeat. Quod absit ut sentiret vas electionis, qui, cum dixisset quodam loco: In Christo enim Iesu neque circumcisio aliquid valet neque praeputium, mox addit: sed fides quae per dilectionem operatur. Ipsa est fides quae fideles separat ab immundis daemonibus; nam et ipsi, sicut dicit apostolus Iacobus, credunt et contremiscunt, sed non bene operantur »[24].

3) Fides ad iustificationem requisita non est fides dogmatica. De hac re vide De virtutibus, thes. 1.

4) Si iustificatio est ex operibus, non iam est gratis. — Resp. Dist.: si est ex operibus naturalibus meritoriis de condigno, conc.; si est ex operibus cum auxilio gratiae tamquam disponentibus, nego.

Utrum actus disponentes sint dispositio physica

Ex dictis patet, hominem non mere passive se habere in iustificatione sua, sed debere cooperari, se praeparare, disponere. Haec dispositio proxime est moralis idque ab omnibus conceditur; nam his actibus homo moraliter magis aptus est, qui recipiat iustitiam. Controvertitur autem inter theologos, uti supra iam indicatum est, utrum actus illi etiam sint dispositio physica ad iustificationem. Haec quaestio proponi potest, sive quis tenet gratiam creari, sive tenet cum s. Thoma[25] et sententia communiore eam educi e potentia oboedientiali animae. Haec dispositio physica affirmatur a Billuart[26] et aliis; communius tamen negatur[27].

Physicam dispositionem ad iustificationem non esse universaliter necessariam patet ex eo, quod in iustificatione infantium ea non adest. Deberet ergo specialis ratio indicari, cur in adultis sit necessaria. Praeterea videtur non admittenda physica dispositio ad modum actus primi; nam deberet esse habitus supernaturalis. Si autem gratia quatenus est habitus supernaturalis exigeret

---

[24] De gratia et libero arbitrio, 7, 18; ML 44, 892.

[25] 1, 2, q. 113 a. 9; De veritate q. 27 a. 3 ad 9; De virtutibus a. 29 ad 3.

[26] De gratia diss. 6 art. 3 dico 2o.

[27] Vide Suárez, De gratia lib. 8 cap. 5.

physicam dispositionem, idem dicendum esset de illo habitu physice disponente et ita procederetur in infinitum. Si autem quaeritur de ipsis actibus disponentibus, utrum sint dispositio physica, hoc negandum videtur de remote disponentibus, quia non iam sunt, cum forma iustificans infunditur. Remaneret ergo sola quaestio de illo actu ultimo disponente, qui sit simultaneus cum receptione formae; ex. gr. in iustificatione per actum contritionis vel caritatis perfectae extra sacramentum. In tali casu ratio de actibus remote disponentibus non quidem valeret; sed neque allatum videtur esse hucusque argumentum, quo physica dispositio vere probetur. Ceterum, cum gratia secundum probabiliorem sententiam in substantia animae subiectetur, indicanda esset physica dispositio substantiae animae; actus vero, si physice disponerent, disponerent facultates. Hinc omnino praeferenda videtur sententia quae dicit actus esse dispositionem moralem, non vero physicam [28].

Utrum actus disponentes de congruo gratiam mereantur

Supra [29] indicata est differentia inter dispositionem et meritum, ibique dictum est, actum, qui est dispositio, posse simul esse meritum. Cum autem prima parte huius thesis meritum de condigno iam exclusum sit, quaestio solum est de merito de congruo. Haec quoque est quaestio in qua non omnes theologi idem dicunt [30]. Billuart [31] de hac re ait: « Ante omnia, ut tollatur aequivocatio, et quaedam opiniones contrariae circa meritum de congruo conci-

---

[28] In solvenda quaestione utrum habeatur physica dispositio ad gratiam sanctificantem, attendendum est ad ea, quae quis censet de effectu immediato sacramentorum. Qui affirmat illum effectum esse ornatum, characterem, eumque esse physicam dispositionem ad gratiam, eam negare non debet in tractatu de gratia; sed ita nondum quidquam dicitur, utrum actus disponentes sint dispositio physica.

[29] Pag. 138.

[30] Suárez, De gratia lib. 8 cap. 9.

[31] De gratia, diss. 8 art. 5.

lientur, observandum nos distinguere ex Auctore hic[32] a. 6. o. duplex meritum de congruo; unum proprium et strictum, alterum latum et improprium. Meritum de congruo et strictum reponimus in iure amicabili ad praemium, per quod distinguitur a merito de condigno, quod importat debitum iustitiae. Meritum de congruo late et improprie sumptum reponimus in exigentia formae per modum dispositionis aut impetrationis. Quidam autem confundunt utrumque hoc meritum de congruo; unde oritur discordia inter nos et ipsos, dum ipsi dicunt quaedam cadere sub merito de congruo, quod nos negamus; sed ut patet, est controversia de nomine tantum, et ex diversa intelligentia meriti de congruo ». Deinde statuit hoc assertum: « Nemo potest sibi mereri primam gratiam habitualem, neque de condigno, neque de congruo proprio, sed improprio tantum ». Et ratio patet, quia illud ius amicabile, quod habetur in merito de congruo, non invenitur nisi in amico Dei, in homine iam iustificato. In hac sententia ergo omne meritum de congruo proprie dictum negari debet iis qui adhuc sunt in statu peccati[33].

Communior autem omnino sententia theologorum est, ad meritum de congruo non requiri statum gratiae, consequenter illud non includere « ius amicabile »; hinc theologi generatim illam distinctionem inter meritum de congruo stricte et late dictum non habent. Et ita communius quoque docent actibus disponentibus ad iustificationem inesse etiam rationem meriti de congruo. — Praeterea Patres his actibus aliquod meritum tribuunt. S. Hieronymus: « Qui peccata simpliciter confitentur, merentur humilitate clementiam Salvatoris »[34]. — S. Ambrosius: « Flevit ergo et amarissime Petrus, flevit, ut lacrymis suum posset lavare delictum: et tu, si veniam vis mereri, dilue lacrymis culpam tuam »[35]. S. Augustinus: « Possunt quidem dicere remissionem peccatorum esse gratiam,

---

[32] S. Th. 1, 2, q. 114.

[33] In diss. 3 art. 7 dixerat: « Omnis gratia post primam actualem datur secundum meritum nostrum saltem de congruo ». Haec ergo intelligenda essent etiam de merito de congruo late dicto.

[34] Dial. contra Pelagianos, lib. 2, 11; ML 23, 572.

[35] Expos. in Lucam, lib. 10, 90; ML 15, 1826.

quae nullis praecedentibus meritis datur. Quid enim habere possunt boni meriti peccatores? Sed nec ipsa remissio peccatorum sine aliquo merito est, si fides hanc impetrat. Neque enim nullum est meritum fidei, qua fide ille dicebat: Domine, propitius esto mihi peccatori; et descendit iustificatus merito fidelis humilitatis, quoniam qui se humiliat, exaltabitur »[36]. — « Scimus autem quia peccatores Deus non audit, etc. Adhuc inunctus loquitur (scl. caecus). Nam et peccatores exaudit Deus. Si enim peccatores Deus non exaudiret, frustra ille publicanus oculos in terram demittens et pectus suum percutiens diceret: Domine, propitius esto mihi peccatori. Et ista confessio meruit iustificationem, quomodo iste caecus illuminationem »[37]. In CONCILIO TRIDENTINO Patres negando meritum non voluerunt excludere meritum de congruo, ut ex historia apparet[37 bis].

Aliqui theologi disputant, *utrum actus proxime* et *immediate ad iustificationem disponens sit ex ipsa gratia habituali.* Haec disputatio maxime orta est ob textum aliquem difficilem s. Thomae[38], quem ipsi discipuli s. Thomae diverso modo explicant. Billuart[39] ait: « Mirum fortasse videbitur theologos in explicanda hac difficultate ita desudare et torqueri, cum ipsi fateantur esse magis subtilem, quam utilem. Nos itaque, qui utilitatem magis, quam subtilitatem sectamur, varias hac de re sententias breviter exponemus, et iudicio lectoris permittemus. Itaque inter dissentientes hac in parte theologos quidam dicunt has ulteriores ad gratiam habitualem dispositiones esse effective ab auxilio actuali transeunter communicato. Ita ex thomistis Ioannes a s. Thoma, Sylvius, Contenson cum pluribus extraneis. Quidam dicunt esse effective ab ipsa gratia habituali. Ita Gonet, Serra et alii. Utrique sententiae favere videtur s. Thomas et hinc augetur difficultas. Tertia sententia, quae utramque conciliare nititur dicit hos actus ultimo disponentes ad iustificationem esse effective a virtute infusa caritatis et poenitentiae, non permanenter per modum habitus, sed transeunter per modum actualis auxilii et motionis communicata. Ita novissime sapientissimus noster Goudin ». De hac quaestione et mente s. Thomae vide Pesch, 5, 360; Stufler, D. Thomae doctrina de Deo operante 223 ss.; Lange, 343 ss.

---

36 Epist. 194, 3, 9; ML 33, 877; R 1450.
37 In Ioannis evang. tract. 44, 13; ML 35, 1718; R 1827; cf. 1446.
37 bis Rivière, Dict. de Théol. 10, 740 ss.
38 S. Th. 1, 2, q. 113 a. 8 ad 2.
39 De gratia, diss. 7 art. 4 § 4.

III. Doctrina de fide fiduciali reiicienda est.

Secundum Lutherum peccator iustitiam apprehendit firma fide, absoluta fiducia, Deum in sua misericordia propter Christum non imputare peccatum, hominem pro iusto habere. Iustitia haec fide fiduciali apprehensa, eadem fide retineri debet. Non licet dubitare de iustificatione; huiusmodi dubium eo ipso tolleret iustitiam. Interdum distinguitur inter fidem fiducialem et specialem eo sensu, ut fides fiducialis sit illa, qua iustitia apprehenditur, specialis illa, qua retinetur; sed est omnino eadem fides, sub diverso respectu considerata. Includit ergo haec doctrina essentialiter absolutam certitudinem, absolutam fiduciam de obtenta iustitia. Intime ergo quaestio de certitudine gratiae cohaeret cum quaestione de fide fiduciali. Contra hanc doctrinam haec tertia pars thesis.

S. Thomas [40] docet in hac re: Per revelationem potest homo scire se habere gratiam, si Deus hoc illi revelat; per se ipsum cum certitudine hoc non potest cognoscere; sed potest hoc scire coniecturaliter per aliqua signa, inquantum percipit se delectari in Deo et contemnere res mundanas, et in quantum homo non est conscius sibi alicuius peccati mortalis. Similiter Gabriel Biel [41] strictam certitudinem negavit. Quamvis apud Scotum textus inveniantur, quibus stricta certitudo negari videatur [42], plures tamen theologi putabant eum talem certitudinem affirmare, et hanc doctrinam defendebant. Hinc in concilio tridentino, cum haec quaestio esset tractanda, ortae sunt disputationes [43], ne haereticorum sententia tali forma damnaretur, qua simul doctrina nunc inter catholicos controversa decideretur. Plures erant in concilio, qui vel defendebant, hominem sine speciali revelatione posse certum esse de sua iustificatione, vel saltem huic doctrinae favebant (card. Del Monte, imprimis Ambrosius Catharinus O. P.). Qui post

---

40 1, 2 q. 112, a. 5.

41 In 2 d. 27 q. unica.

42 In 1 d. 17 q. 3; in 3 d. 24 q. unica.

43 Hefner, pag. 297-328.

receptum sacramentum, si ex sua parte omnia sincere fecit, quae ad fructuosam eius receptionem requiruntur, non crederet se esse in statu gratiae, diffideret divinae gratiae. Una erat in concilio sententia contra haereticos, quod scilicet homo, si non habet specialem revelationem, non tenetur credere se esse in gratia, et, si non crederet, gratiam amitteret; sed in quaestione utrum posset homo habere certitudinem de statu gratiae erant et manebant diversae sententiae in concilio [44]. Specialis difficultas inveniebatur in termino « certitudo fidei », qui vario modo intelligi potuit. Tandem additum est « cui non potest subesse falsum », quibus verbis clare significabatur sententia haereticorum, et huic formulae omnes consenserunt.

Doc. Ecclesiae

Conc. tridentinum: Cap. 9 « Contra inanem haereticorum fiduciam. Quamvis autem necessarium sit credere, neque remitti, neque remissa unquam fuisse peccata, nisi gratis divina misericordia propter Christum: nemini tamen fiduciam et certitudinem remissionis peccatorum suorum iactanti et in ea sola quiescenti peccata dimitti vel dimissa esse dicendum est, cum apud haereticos et schismaticos possit esse, immo nostra tempestate sit et magna contra Ecclesiam catholicam contentione praedicetur vana haec et ab omni pietate remota fiducia. Sed neque illud asserendum est, oportere eos, qui vere iustificati sunt, absque ulla omnino dubitatione apud semetipsos statuere, se esse iustificatos, neminemque a peccatis absolvi ac iustificari, nisi eum, qui certo credat, se absolutum et iustificatum esse, atque hac sola fide absolutionem et iustificationem perfici, quasi qui hoc non credit, de Dei promissis deque mortis et resurrectionis Christi efficacia dubitet. Nam sicut nemo pius de Dei misericordia, de Christi merito deque sacramentorum virtute et efficacia dubitare debet: sic quilibet, dum seipsum suamque propriam infirmitatem et indispositionem respicit,

44 Hefner, 319 s.

de sua gratia formidare et timere potest, cum nullus scire valeat certitudine fidei, cui non potest subesse falsum, se gratiam Dei esse consecutum »[45]. — Can. 12: « Si quis dixerit, fidem iustificantem nihil aliud esse quam fiduciam divinae misericordiae peccata remittentis propter Christum, vel eam fiduciam solam esse, qua iustificamur: A. S. » — Can. 13: « Si quis dixerit omni homini ad remissionem peccatorum assequendam necessarium esse, ut credat certo et absque ulla haesitatione propriae infirmitatis et indispositionis, peccata sibi esse remissa: A. S. » — Can. 14: « Si quis dixerit hominem a peccatis absolvi ac iustificari ex eo, quod se absolvi ac iustificari certo credat, aut neminem esse vere iustificatum, nisi qui credit se esse iustificatum, et hac sola fide absolutionem et iustificationem perfici: A. S. »[46].

S. Scriptura

Ex una parte nullus invenitur textus s. Scripturae, quo propria iustitia ut obiectum fidei proponitur; ex altera parte ea positive docet, quae fidem fiducialem propriae iustificationis excludunt.

Phil 2, 12: « cum metu et tremore vestram salutem operamini ». Fides autem fiducialis metum et tremorem proprie excludit. — Prov 20, 9: « Quis potest dicere: mundum est cor meum, purus sum a peccato? » Qui habet fidem fiducialem hoc deberet dicere, in quantum omnino libertatem a peccato admittit. — 2 Petri 1, 10: « Quapropter fratres magis satagite ut per bona opera certam vestram vocationem et electionem faciatis ». Ergo gratia non servatur sola fide fiduciali. — Eccle 9, 1: « Sunt iusti atque sapientes, et opera eorum in manu Dei: et tamen nescit homo utrum amore an odio dignus sit ». Quamvis textus proprie non agat de nostra quaestione (neque amorem neque odium scit homo), in traditione tamen saepius ad hanc materiam applicatur. S. Hieronymus eum ita explicat: « Porro hic sensus est: Etiam in hoc dedi cor meum et

[45] Denz. 802.

[46] Denz. 822 ss.

scire volui quos Deus diligeret, quos odisset. Et inveni iustorum quidem opera in manu Dei esse, et tamen utrum amentur a Deo annon, nunc eos scire non posse et inter ambiguum fluctuare »[47]. — Cf. Eccli 5, 5; 1 Cor 4, 4.

PATRES

S. HIERONYMUS. Vide supra ad Eccle 9, 1. — S. AUGUSTINUS: « Quantalibet enim iustitia sit praeditus homo, cogitare debet, ne aliquid in illo, quod ipse non videt, inveniatur esse culpandum, cum rex iustus sederit in throno, cuius cogitationem fugere non possunt, nec illa de quibus dictum est: Delicta quis intelligit? »[48]. — S. GREGORIUS MAGNUS: « Quod vero dulcedo tua (Gregoria) in suis epistulis subiunxit, importunam se mihi exsistere, quoadusque scribam mihi esse revelatum quia peccata tua dimissa sint, rem et difficilem etiam et inutilem postulasti: difficilem quidem, quia ego indignus sum cui revelatio fieri debeat; inutilem vero, quia secura de peccatis tuis fieri non debes, nisi cum iam in die vitae tuae ultimo plangere eadem peccata minime valebis »[49].

THEOLOGI

Theologi ut patet negant doctrinam Lutheri, et tenent generatim nos non posse credere esse in statu gratiae, nisi ob specialem de hac re revelationem[50]. Credi enim non possunt, quae Deus non revelavit; iustificatio autem singulorum hominum non est a Deo revelata; ergo non est obiectum fidei divinae. Revelatum quidem est Deum remittere peccata, sed impletis quibusdam condicioni-

---

47 In Ecclesiasten comm.; ML 23, 1080; R 1374. S. Thomas, S. Th. 1, 2, q. 112, a. 5. Sed contra, citat hunc textum.

48 De perfectione iustitiae hominis 15, 33; ML 44, 309; R 1800.

49 Epist. 25; ML 77, 878; R 2296.

50 Suárez, De gratia, lib. 9, cap. 9-12; Bellarmino, De iustificatione, lib. 3, cap. 1-11.

bus; illas autem condiciones in singulari casu esse impletas, non est revelatum; ergo specialis revelatio requiritur ad hoc, ut homo possit fide divina credere se esse in statu gratiae.

Ulterius autem communissime, fere unanimiter theologi tenent, ne certitudinem quidem theologicam de propria iustificatione haberi [51]. Nam in syllogismo: «Deus revelavit se sub his condicionibus remittere peccatum; ego autem illas condiciones implevi; ergo sum in statu gratiae» in minore non habetur illa absoluta certitudo, qua error omnino excluderetur. Hinc docent, haberi posse et haberi scientiam coniecturalem, id est certitudinem quandam moralem sensu latiore; immo censent bonum esse homini, quod non habeat absolutam certitudinem, propter periculum praesumptionis. Sed nullo modo docent propterea homines semper debere dubitare et haesitare de sua cum Deo reconciliatione.

S. Bellarmino: [52] «Tertia sententia, quae communior in ecclesia est [53], non tollit quidem omnem formidinem, tamen tollit omnem anxietatem et haesitationem et ipsam etiam dubitationem, si dubius dicatur, qui non audet alteri parti assentiri. Neque enim bona est argumentatio: catholici non habent certitudinem fidei de sua iustificatione, igitur semper dubitant, haerent, anxii sunt; sicut neque contra recte quis concluderet: catholici non sunt anxii neque haesitant de sua iustificatione, igitur certi sunt certitudine fidei, sibi remissa esse peccata. Datur enim aliquid medium inter haec extrema, videlicet certitudo quaedam moralis ex parte intellectus, et spes ac fiducia ex parte voluntatis.

Porro solidam consolationem et pacem ac tranquillitatem et laetitiam interiorem longe melius gignit in catholicis bona conscientia, contritio, caritas, studium bonorum operum, frequens Eucharistiae perceptio, visitatio Spiritus sancti, quae est manna absconditum, quod nemo scit, nisi qui accipit, quam inanis illa fidu-

---

51 Ita etiam Scotistae. Frassen, Scotus academicus, tom. 8, disp. 3, art. 3, quaestio 3. — Minges, Theol. dogm. spec., tom. 2, nr. 151.

52 De iustificatione lib. 3 cap. 11, in fine.

53 Prima erat Catharini, scl. haberi posse certitudinem fidei; secunda ea quae non quidem certitudinem fidei, sed tamen talem dicunt possibilem esse securitatem, ut nulla de propria iustitia adsit formido.

cia et vere temeraria praesumptio in Lutheranis. Nam de bona conscientia scribit Apostolus 2 Cor 1: Gloria nostra haec est, testimonium conscientiae nostrae. Et s. Ioannes in epist. 1 cap. 3: si cor nostrum non reprehenderit nos, fiduciam habemus apud Deum. De vera contritione scribit Salomon, Prov 14: cor quod novit amaritudinem animae suae, in gaudio eius non miscebitur extraneus. Vere enim incredibilis laetitia oritur ex eo, quod quis videat se amarissime peccata sua deflere. Porro caritas nihil prius gignit quam gaudium et pacem. Inde enim dicitur Galat 5: Fructus Spiritus est caritas gaudium et pax etc.

Sed ex patientia, ut alia nunc ommittam, solidissima oritur consolatio. Nam ut ait apostolus Rom 5: Gloriamur in tribulationibus, quia tribulatio patientiam operatur, patientia probationem, probatio vero spem, spes autem non confundit, etc. Et 2 Cor 7: Repletus sum consolatione, superabundo gaudio in omni tribulatione nostra. Et cap. 8: Notum, inquit, vobis facimus fratres gratiam Dei, quae data est in Ecclesiis Macedoniae, quod in multo experimento tribulationis abundantia gaudii ipsorum fuit...

Sancti quoque Patres, quorum testimonia perperam adduxerunt adversarii pro certitudine fidei, et praesertim Cyprianus, Ambrosius, Augustinus, Leo securitatem animae non ex fide remissionis peccatorum, sed ex conscientia caritatis et operum bonorum colligebant. Placet autem nomine aliorum S. Bernardi testimonium hic adscribere, unde petenda sit solida consolatio. Sic igitur loquitur in sermone 69 in Cant.: Quanta putas ex hac mansione inter animam et verbum familiaritatis gratia oriatur; quanta de familiaritate sequatur fiducia? Non est, ut opinor, quod iam talis anima dicere vereatur, dilectus meus mihi: quae ex eo quod se diligere et vehementer diligere sentit, etiam diligi nihilominus vehementer non ambigit, ac de sua singulari intentione, sollicitudine, cura, opera, diligentia, studioque, quo incessanter, et ardenter invigilat quemadmodum placeat Deo, aeque haec omnia in ipso indubitanter agnoscit recordans promissionis eius: in qua mensura mensi fueritis remetietur vobis. Ergo ex propriis, quae sunt penes Deum agnoscit, nec dubitat se amari quae amat. Et infra: Vides quomodo non solum de amore suo certum te reddit, si

quidem tu ames illum, sed etiam de sollicitudine sua, quam pro te gerit, si te senserit sollicitum sui.

Hanc igitur certitudinem libenter agnoscimus, quae non oritur ex praesumptione imputatae iustitiae, neque est certitudo fidei catholicae, sed oritur ex caritatis et operum bonorum experimento, ac per hoc moralis et coniecturalis certitudo nominari potest »

Obiectiones

Plures sunt textus s. Scripturae, qui vel ab haereticis pro fide speciali propriae iustificationis, vel a catholicis pro eius stricta certitudine inducebantur. Nullus tamen habetur textus, qui agat de fide speciali propriae iustificationis; alii dicunt quidem omnes per fidem Christi iustificari, sed nihil de condicionibus impletis; plures agunt de certitudine morali, quam omnes theologi admittunt, quam homo probando conscientiam suam, vel ex eo quod vitam vere christianam ducit, opera caritatis exercet, habere potest. Sint aliqua exempla:

Io 3, 21: « qui autem facit veritatem, venit ad lucem, ut manifestentur opera eius, quia in Deo sunt facta ». — Resp.: « ad lucem venire » hoc loco non significat venire in statum gratiae; textus non agit de nostra quaestione.

Io 13, 35: « In hoc cognoscent omnes quia discipuli mei estis, si dilectionem habueritis ad invicem ». — Resp. Signum Christianismi est mutua caritas, novum mandatum Christi; qui eam exercent, inde cognoscuntur ab aliis esse veri christiani; non autem dicitur alios inde cognoscere fide vel certitudine absoluta eos esse in statu gratiae, neque ipsos hoc cognoscere; possunt tamen ex bona vita christiana habere moralem illam certitudinem, quam omnes admittunt. Idem dicendum ad 1 Io 3, 14; 4, 12; 5, 19.

Io 14, 17: « vos autem cognoscetis eum (scl. Spiritum veritatis, quem Pater dabit), quia apud vos manebit et in vobis erit ». — Resp. Discipuli cognoscent Spiritum veritatis, quia apud eos erit, auxilio Spiritus; non autem est sermo de eo, quod ipsi cognoscant Spiritum esse in eorum anima inhabitantem; ergo sermo non est de nostra quaestione.

Io 14, 20: « In illo die cognoscetis quia ego sum in Patre meo, et vos in me et ego in vobis ». — Resp. Plures intelligunt cum s. Augustino « in illo die » de die aeternitatis, de beata visione Dei; melius tamen videtur intelligendum de tempore post resurrectionem Christi: tunc enim apostoli melius semper cognoscent divinitatem Christi, et intimam eius unionem cum suis (cf. 15, 5: vitis, palmites), tamquam capitis cum membris. Non

autem dicitur, iustificatum debere credere suam iustitiam, vel eum haber absolutam certitudinem; moralem certitudinem de ea singuli haber possunt.

Act Ap 13, 39: « In hoc (Christo) omnis qui credit iustificatur ». — Resp. Si condiciones impletae sunt; eas autem impletas esse non habetu fide divina, neque certitudine illa absoluta, sed morali.

Rom 3, 21 s.: « Nunc autem sine lege iustitia Dei manifestata est testificata a lege et prophetis. Iustitia autem Dei per fidem Iesu Christ in omnes et super omnes qui credunt in eum; non enim est distinctio ». — Resp. Iustitia non est ex lege, sed sine lege in omnes qui credunt. Impleti condicionibus omnes, non solum Iudaei, sed etiam gentes iustificantu sine operibus legis. Cf. Rom 4, 14; 16, 22.

Rom 5, 1: « Iustificati ergo ex fide pacem habeamus ad Deum pe Dominum nostrum Iesum Christum ». — Resp. Iustificatus non iam es inimicus Dei sed in pace cum Deo, et de hac relatione ad Deum taler habet certitudinem, quae anxietatem et haesitationem excludit; ad ho autem sufficit certitudo moralis late dicta.

Rom 8, 1-18. Si quis non secundum carnem, sed secundum spiritur ambulat, moralem illam saepe dictam habet certitudinem; et testimoniur Spiritus sancti, de quo apostolus loquitur, non est revelatio specialis d propria iustificatione, sed, uti Bellarmino dicit « experimentum cuiusdar suavitatis et pacis internae, quae non gignit certitudinem nisi coniectu ralem ».

Rom 8, 38 s.: « Certus sum enim quia neque mors neque vita... ne que creatura alia poterit nos separare a caritate Dei quae est in Christ Iesu Domino nostro ». — Resp. 1) Aliqui textum intelligunt de iis qu vere praedestinati sunt, et de illis valet, quod nulla creatura eos separa bit a caritate Dei; singuli autem sine speciali revelatione nesciunt, utrur sint praedestinati. 2) Certus sum significat: certam habeo fiduciam, quo in virtute gratiae Christi superamus omnes difficultates; ad talem auter fiduciam firmam sufficit certitudo moralis [54].

1 Cor 2, 12: « Nos autem non spiritum huius mundi accepimus, se Spiritum qui ex Deo est, ut sciamus quae a Deo donata sunt nobis ». — Resp. Ex toto contextu patet apostolum non loqui de iustificatione sir gulorum, sed de donis quae per Christum allata sunt, et de quibus no possumus habere cognitionem per spiritum mundi, sed per Spiritum De Ergo non est sermo de nostra quaestione.

1 Cor 11, 28: « Probet autem seipsum homo, et sic de pane illo ed et de calice bibat ». — Resp. Haec probatio non ducit ad certitudine fidei, sed ad eam moralem, quam praebet bona conscientia.

---

54 Cf. tractatum de spe.

2 Cor 1, 12: « Nam gloria nostra haec est, testimonium conscientiae nostrae, quod in simplicitate cordis et sinceritate Dei et non in sapientia carnali, sed in gratia Dei conversati sumus in hoc mundo: abundantius autem ad vos ». — Resp. Apostolus incipit explicare cur non prius Corinthum venerit; provocat ad testimonium conscientiae suae, quod non egerit in sapientia carnali, sed in sinceritate et caritate. Ergo nihil de nostra quaestione.

2 Cor 13, 5: « Vosmetipsos tentate si estis in fide, ipsi vos probate. An non cognoscitis vosmetipsos quia Christus Iesus in vobis est? nisi forte reprobi estis. Spero autem quod cognoscetis, quia nos non sumus reprobi ». — Resp. Corinthii debent probare suam conscientiam de viva sua fide; haec autem probatio non ducit ad certitudinem fidei, neque ad absolutam certitudinem neque apostolus tale quid dicit. « Reprobi » intelligendum non est de « reprobatione », sed significat ineptus, inutilis: « nisi forte estis non genuini scl. Christiani ».

Eph 3, 12: « In quo (Christo) habemus fiduciam et accessum in confidentia per fidem eius ». — Resp. Fiducia non debet supponere absolutam certitudinem, sed moralem late dictam [55].

THESIS 7: ***Ad hos actus salutares eliciendos, etiam ad ipsum initium fidei, interna gratia est absolute necessaria.***

In decursu thesis praecedentis saepius iam dictum est, actus ad iustificationem praeparantes ponendos esse auxilio gratiae. De hac necessitate gratiae in praesenti thesi agendum est.

« Ad hos actus eliciendos »: sermo ergo est de actibus peccatoris, quibus ad iustificationem praeparatur. Hos actus vocamus « salutares », quia hominem positive ad salutem promovent, vel ad illam conducunt, sive mediate sive immediate, prout sunt dispositio mediata vel immediata. Notandum autem est praeter hos actus alios quoque esse qui vocantur salutares, scl. actus meritorios hominis iusti; de his sermo occurrit parte tertia.

« Etiam ad ipsum initium fidei »: Thesis est omnino universalis: ad omnes actos disponentes; speciatim autem additur: « etiam ad initium fidei » propter errorem Semipelagianorum. Initium

---

[55] Multas obiectiones vide apud S. Bellarmino, De iustificatione lib. 3 cap. 9-11.

fidei realiter idem est quod initium conversionis; complectitur primum desiderium salutis cum cognitione antecedente, primam bonam voluntatem hominis in ordine ad salutem, pium credulitatis affectum, implorationem divini auxilii. Ergo ad hos quoque actus, quibus motio ad salutem incipit, gratia est necessaria; nullus actus excipitur.

« Gratia » est necessaria: Gratiam intelligimus gratuitum donum, auxilium Dei. Auxilium illud revera esse gratuitum sive indebitum proprie ostenditur thesi 8; magna ex parte tamen iam in praesenti thesi continetur, quatenus sine gratia neque dispositio ad gratiam neque meritum gratiae habetur. Cum hoc auxilium ad eliciendos illos actus detur, per se non debet esse auxilium permanens. In tractatu de virtutibus [56] ostenditur probabilius habitus non infundi ante primam iustificationem; consequenter ergo dicendum est, auxilium quod ante primam iustificationem datur, non esse donum habituale, sed transiens, actuale. Propterea vocatur in distinctione a donis habitualibus gratia actualis. Homo autem, qui post primam iustificationem peccavit, potest retinere habitus fidei et spei [57], et per se verbis thesis sufficere posset, si auxilio illorum habituum eliceret actus ad tertiam iustificationem disponentes. Utrum et quousque ad usum illorum habituum actualis gratia necessaria sit, inter theologos disputatur, qua de re sermo postea recurrit.

« Interna gratia »: id est quae est in ipsa anima, vel potius in eius facultatibus superioribus, intellectu et voluntate. Vocatur interna in oppositione ad gratias externas, uti sunt ipsa incarnatio Verbi, revelatio, praedicatio, ecclesia, sacramenta, exempla sanctorum etc.

« Absolute necessaria »: id est in praesenti ordine nullus omnino potest esse actus salutaris, actus ad iustificationem disponens, sine gratia. Vires hominis sine gratia non sufficiunt; per gratiam illi actus primo fiunt homini possibiles: gratia non requiritur ad facilius posse, sed ad simpliciter posse. Quaeritur autem solum de

---

[56] Nr. 604 ss.

[57] De virtutibus theologicis nr. 650 ss.; 658 ss.

facto; non utrum hoc sit ex natura rei an ex positiva ordinatione divina.

Adversantur huic thesi imprimis pelagiani et semipelagiani. Pelagiani (Pelagius, Caelestius, Iulianus) [58] verbis quidem gratiam aliquam divinam affirmabant; Deus enim homini dedit naturam suam, liberam voluntatem, et sic ei contulit posse facere bonum, implere mandata, vitare peccatum; hoc posse ergo non a nobis, sed a Deo est; ergo gratia. Velle deinde et operari secundum eos a nobis est. Praeterea Deus dedit legem, doctrinam, et ita hominibus ostendit, quid facere debeant (ergo gratia externa). Per hanc gratiam externam homini facilius redditur facere id quod debet facere. Utrum postea pelagiani gratiam internam intellectus admiserint, disputatur; certo autem eam non admiserunt ad simpliciter posse, sed ad facilius posse. Gratiam internam voluntatis semper negaverunt, cum componi non posset cum libero arbitrio. Caelestius: « Si nihil ago absque Dei auxilio, et per singula opera eius est omne quod gessero, ergo non ego qui laboro, sed Dei in me coronabitur auxilium, frustraque dedit arbitrii potestatem, quam implere non possum, nisi ipse me semper adiuverit. Destruitur enim voluntas quae alterius ope indiget. Sed liberum dedit arbitrium Deus, quod aliter liberum non est, nisi fecero quod voluero » [59]. Iulianus: « Libertas arbitrii, qua a Deo emancipatus est homo, in admittendi peccati et abstinendi a peccato possibilitate consistit » [60].

Semipelagiani, sive massilienses (Cassianus, Vincentius Lirinensis, Faustus) [61] necessitatem gratiae ad actus salutares contra pelagianos omnino defendebant; negabant tamen necessitatem gratiae speciatim ad actus qui constituunt « initium fidei ». Processus iustificationis comparari potest cum sanatione hominis aegroti. Sanatio ipsa est solum a medico et mediis quae medicus praebet. Sed ante sanationem, ut medicus incipiat eum sanare, aegrotus debet agnoscere suam miseriam, confidere in medico eiusque auxilium

58 Vide supra pag. 7 ss.
59 R 1414.
60 R 1415.
61 Supra pag. 18 ss.

implorare. Hi actus non pertinent ad ipsam sanationem, sed eam antecedunt. Similiter, saltem communiter loquendo, in processu iustificationis primum homo peccator propriis suis viribus cognoscere et agnoscere debet suam miseriam, desiderare salutem, in Christum credere in eoque confidere et auxilium divinum implorare, Quod si fecerit, Deus « sanationem » incipiet, conferendo gratias ad actus salutares necessarias. Si autem homo illa non facit, sibi ipsi adscribere debet, quod non accipit gratiam; Deus enim indifferenter omnibus gratiam suam offert. Isti actus antecedentes vocantur « initium fidei »; ad eos secundum semipelagianos non requiritur gratia, et ab illis, communiter, dependet, utrum homo gratiam salutarem accipiat [62].

Contra hoc ergo dicendum: etiam illi primi actus vere sunt actus salutares, remote ad iustificationem disponentes, et ad ipsos quoque requiritur absolute interna gratia; aliis verbis: nulli sunt actus positive ordinantes ad salutem sine gratia; ergo ad primam gratiam, quam Deus homini confert, nulla est dispositio. Opus salutis in singulis hominibus a Deo incipit.

---

[62] « Excludi putant omnem praedicandi vigorem, si nihil quod per eum excitetur, in hominibus remansisse dicatur. Consentiunt omnem hominem in Adam periisse, nec inde quemquam posse proprio arbitrio liberari; sed id conveniens asserunt veritati, vel congruum praedicationi, ut, cum prostratis et nunquam suis viribus surrecturis annuntiatur obtinendae salutis occasio, eo merito quo voluerint et crediderint a suo morbo se posse sanari, et ipsius fidei augmentum, et totius sanitatis suae consequantur effectum. Caeterum ad nullum opus vel incipiendum, nedum perficiendum, quemquam sibi sufficere posse consentiunt: neque enim alicui operi curationis eorum annumerandum putant, exterrita et supplici voluntate, unumquemque aegrotum velle sanari. Quod enim dicitur: Crede et salvus eris, unum horum exigi asserunt, aliud offerri; ut propter id quod exigitur, si redditum fuerit, id quod offertur deinceps tribuatur. Unde consequens putant, exhibendam ab eo fidem, cuius naturae id voluntate Conditoris concessum est; et nullam ita depravatam vel exstinctam putant, ut non debeat vel possit se velle sanari; propter quod vel sanetur quis a sua, vel si noluerit, cum sua aegritudine puniatur. Nec negari gratiam, si praecedere dicatur talis voluntas, quae tantum medicum quaerat, non autem ipsa quidquam iam valeat ». Ita Hilarius Augustino, epistula 226; ML 33, 1008; vide supra pag. 21.

Tempore primorum scholasticorum affirmationes inveniuntur, quae, si obvie sumuntur, sensum fortasse pelagianum habent, sed ex mente ipsorum auctorum non videntur sic intelligendae [63]. Saeculo 14 et 15 similia inveniuntur, et aliqui theologi videntur revera non satis defendisse necessitatem gratiae ad omnes actus praeparantes ad iustificationem [64].

Doc. Ecclesiae

Conc. Carthag. (418), can. 4: « Item quisquis dixerit, eandem gratiam Dei per Iesum Christum Dominum nostrum propter hoc tantum nos adiuvare ad non peccandum, quia per ipsam nobis revelatur et aperitur intelligentia mandatorum, ut sciamus quid appetere, quid vitare debeamus, non autem per illam nobis praestari, ut quod faciendum cognoverimus etiam facere diligamus atque valeamus, A. S. » [65]. — Can. 5: « Item placuit, ut quicumque dixerit ideo nobis gratiam iustificationis dari, ut, quod facere per liberum iubemur arbitrium, facilius possimus implere per gratiam, tam-

---

[63] Landgraf, Die Vorbereitung auf die Rechtfertigung und die Eingiessung der heiligmachenden Gnade in der Frühscholastik. Scholastik 6 (1931) 42-62; 222-247; 354-380; 481-504. — De s. Bonaventura: Mitzka, Die Lehre des hl. Bonaventura von der Vorbereitung auf die heiligmachende Gnade. Zeitschrift für kath. Theologie 50 (1926) 27-72; 220-252. — De s. Thoma et evolutione doctrinae eius in hac quaestione: Lange, De gratia, nr. 219-224, ubi citatur iudicium Dom. Soto, qui in opere « De natura et gratia » lib. 2 cap. 3 ait: « Unde cum 2 Sent. d. 27 et 28 opinionem communem insecutus affirmasset, tum quod homo ex naturalibus posset se disponere ad gratiam, tum quod dispositio illa esset meritum de congruo, postmodum in Summa eloquia sacra et Patrum, cum primis Augustini, sententias meditatius explorans, utrumque retractavit ». — De Scoto: Parth. Minges, Die Gnadenlehre des Duns Skotus auf ihren angeblichen Pelagianismus und Semipelagianismus geprüft. Münster 1906.

[64] Feckes, Die Stellung der nominalistischen Schule zur aktuellen Gnade. Römische Quartalschrift 32 (1924) 157-165; idem, Die Rechtfertigungslehre des Gabriel Biel und ihre Stellung innerhalb der nominalistischen Schule. Münster, 1925.

[65] Denz 104.

quam etsi gratia non daretur, non quidem facile, sed tamen possimus etiam sine illa implere divina mandata, A. S. De fructibus enim mandatorum Dominus loquebatur, ubi non ait: sine me difficilius potestis facere, sed ait: sine me nihil potestis facere » [66]. Cf. Zosimi epistulam tractoriam [67]; in conc. ephes. pelagiani damnantur [68].

INDICULUS [69]: Postquam auctoritates citatae sunt, pergitur: « His ergo ecclesiasticis regulis et ex divina sumptis auctoritate documentis, ita adiuvante Domino confirmati sumus, ut omnium bonorum affectuum atque operum et omnium studiorum omniumque virtutum, quibus ab initio fidei ad Deum tenditur, Deum profiteamur auctorem, et non dubitemus, ab ipsius gratia omnia hominis merita praeveniri, per quem fit, ut aliquid boni et velle incipiamus et facere » [70].

CONC. ARAUSICANUM: Can. 3: A gratia est, ut Deus a nobis invocetur; can. 4: A gratia est, ut velimus purgari a peccato. Can. 5: « Si quis, sicut augmentum, ita etiam initium fidei ipsumque credulitatis affectum, quo in eum credimus, qui iustificat impium, et ad regenerationem sacri baptismatis pervenimus, non per gratiae donum, id est per inspirationem Spiritus Sancti corrigentem voluntatem nostram ab infidelitate ad pietatem, sed naturaliter nobis inesse dicit, apostolicis dogmatibus adversarius approbatur, beato Paulo dicente: Confidimus quia qui coepit in vobis bonum opus, perficiet usque in diem Christi Iesu [71]; et illud: Vobis datum est pro Christo non solum ut in eum credatis, verum etiam ut pro illo patiamini [72]; et: Gratia salvi facti estis per fidem et hoc non ex vobis: Dei enim donum est [73]. Qui enim fidem, qua in Deum credimus, dicunt esse naturalem, omnes eos, qui ab ecclesia Christi alieni sunt, quodammodo fideles esse definiunt ». — Can. 6: « Si

---

66 Denz 105.
67 Denz 135.
68 Denz 126.
69 Vide supra pag. 24.
70 Denz 141.
71 Phil 1, 6.
72 Phil 1, 29.
73 Eph 2, 8.

quis sine gratia Dei credentibus, volentibus, desiderantibus, conantibus, laborantibus, orantibus, vigilantibus, studentibus, petentibus, quaerentibus, pulsantibus nobis misericordiam dicit conferri divinitus, non autem, ut credamus, velimus, vel haec omnia, sicut oportet, agere valeamus, per infusionem et inspirationem Sancti Spiritus in nobis fieri confitetur, et aut humilitati, aut obedientiae humanae subiungit gratiae adiutorium, nec, ut obedientes et humiles simus, ipsius gratiae donum esse consentit, resistit apostolo dicenti: Quid habes, quod non accepisti? [74] et: Gratia Dei sum id quod sum » [75]. — Can. 7: « Si quis per naturae vigorem bonum aliquid, quod ad salutem pertinet vitae aeternae, cogitare, ut expedit, aut eligere, sive salutari, id est evangelicae praedicationi consentire posse confirmat, absque illuminatione et inspiratione Spiritus Sancti, qui dat omnibus suavitatem in consentiendo et credendo veritati, haeretico fallitur spiritu non intelligens vocem Dei in Evangelio dicentis: sine me nihil potestis facere [76]; et illud Apostoli: Non quod idonei simus cogitare aliquid a nobis quasi ex nobis, sed sufficientia nostra ex Deo est » [77]. — Can. 9: « Divini est muneris, cum et recte cogitamus et pedes nostros a falsitate et iniustitia continemus; quoties enim bona agimus, Deus in nobis atque nobiscum ut operemur operatur ». Cf. can. 14; 15; 16; 20; 22. — « Ac sic secundum supra scriptas sacrarum Scripturarum sententias, vel antiquorum Patrum definitiones hoc Deo propitiante et praedicare debemus et credere, quod per peccatum primi hominis ita inclinatum et attenuatum fuerit liberum arbitrium, ut nullus postea aut diligere Deum sicut oportuit, aut credere in Deum, aut operari propter Deum quod bonum est, possit, nisi eum gratia misericordiae divinae praevenerit ». — « Hoc etiam salubriter profitemur et credimus, quod in omni opere bono non nos incipimus, et postea per Dei misericordiam adiuvamur, sed ipse nobis nullis praecedentibus meritis et fidem et amorem sui prius inspirat, ut et bap-

---

[74] 1 Cor 4, 7.
[75] 1 Cor 15, 10.
[76] Io 15, 5.
[77] 2 Cor 3, 5.

tismi sacramenta fideliter requiramus et post baptismum cum ipsius adiutorio ea, quae sibi sunt placita, implere possimus »[78].

Bonifatius II in confirmatione concilii arausicani[79]: « Atque ideo cum de hac re multi Patres et prae ceteris beatae recordationis Augustinus episcopus, sed et maiores nostri Apostolicae Sedis antistites ita ratione probentur disseruisse latissima, ut nulli ulterius deberet esse ambiguum, fidem quoque nobis ipsam venire de gratia: supersedendum duximus responsione multiplici; maxime cum secundum eas, quas ex Apostolo direxisti sententias, quibus dicit: Misericordiam consecutus sum ut fidelis essem[80], et alibi: Vobis datum est pro Christo, non solum ut in eum credatis, verum etiam ut pro eo patiamini[81], evidenter appareat, fidem, qua in Christum credimus, sicut et omnia bona singulis hominibus ex dono supernae venire gratiae, non ex humanae potestate naturae. Quod etiam Fraternitatem tuam, habita collatione cum quibusdam sacerdotibus Galliarum, iuxta fidem gaudemus sensisse catholicam: in his scilicet, in quibus uno, sicut indicasti, consensu definierunt fidem, qua in Christum credimus, gratia divinitatis praeveniente conferri; adicientes etiam, nihil esse prorsus secundum Deum boni, quod sine Dei quis gratia aut velle aut incipere aut perficere possit, dicente ipso Salvatore nostro: Sine me nihil potestis facere[82]. Certum est enim atque catholicum, quia in omnibus bonis, quorum caput est fides, nolentes nos misericordia divina praeveniat, ut in fide duremus, sicut David propheta dicit: Deus meus, misericordia eius praeveniet me[83]; et iterum: Misericordia mea cum ipso est[83 bis] et alibi: Misericordia eius subsequitur me[84]. Similiter et beatus Paulus dicit: Aut quis prior dedit ei, et retribuetur illi? Quoniam ex ipso et per ipsum et in ipso sunt

---

78 Denz 176 ss.
79 Supra pag. 28.
80 1 Cor 7, 25.
81 Phil 1, 29.
82 Io 15, 5.
83 Ps 58, 11.
83 bis Ps 88, 25.
84 Ps 22, 6.

omnia[85]. Unde nimis eos, qui contra sentiunt, admiramur, usque eo vetusti erroris adhuc reliquiis praegravari, ut ad Christum non credant Dei beneficio, sed naturae veniri; et ipsius naturae bonum, quod Adae peccato noscitur depravatum, auctorem nostrae fidei dicant magis esse quam Christum; nec intelligant se dominicae reclamare sententiae dicenti: Nemo venit ad me, nisi datum fuerit illi a Patre meo[86]; sed et beato Paulo simul obsistere clamanti ad hebraeos: Curramus ad propositum nobis certamen, aspicientes in auctorem fidei et consummatorem Iesum Christum[87]. Quae cum ita sint, invenire non possumus quid ad credendum in Christo sine Dei gratia, humanae deputent voluntati; cum Christus auctor consummatorque sit fidei. Quapropter affectu congruo salutantes, supra scriptam confessionem vestram consentaneam catholicis Patrum regulis approbamus »[88].

CONC. TRIDENTINUM sess. 6 cap. 5: « Declarat praeterea, ipsius iustificationis exordium in adultis a Dei per Christum Iesum praeveniente gratia sumendum esse, hoc est, ab eius vocatione, qua nullis eorum exsistentibus meritis vocantur, ut qui per peccata a Deo aversi erant, per eius excitantem atque adiuvantem gratiam ad convertendum se ad suam ipsorum iustificationem, eidem gratiae libere assentiendo et cooperando, disponantur... »[89]. Et correspondens canon 3: « Si quis dixerit, sine praeveniente Spiritus Sancti inspiratione atque eius adiutorio, hominem credere, sperare et diligere aut poenitere posse, sicut oportet, ut ei iustificationis gratia conferatur: A. S. »[90]. Similiter cap. 6: « Excitati divina gratia et adiuti »[91].

CONC. VATICANUM: Ad fidem necessaria est gratia. Sess. 3 cap. 3; can. 5[92].

---

85 Rom 11, 35.
86 Io 6, 44.
87 Hebr 2, 1 s.
88 Denz 200 b.
89 Denz 797.
90 Denz 813.
91 Denz 798.
92 Denz 1789, 1791, 1814.

S. Scriptura

Textus principales sacrae Scripturae, qui necessitatem gratiae ad omnem actum salutarem docent, ab initio controversiae cum pelagianis et semipelagianis adhibentur tum in documentis ecclesiae tum apud sanctos Patres.

1) De omni actu salutari in genere: Io 15, 5: « Ego sum vitis, vos palmites: qui manet in me et ego in eo, hic fert fructum multum: quia sine me nihil potestis facere ». Textus est universalis: sine me nihil; agit de gratia interna: ex ipsa parabola. Textus immediate loquitur de « fructu ferre », id quod proxime intelligitur de actibus meritoriis. Directe enim sermo est de illis, qui sunt cum Domino coniuncti, non de peccatoribus. Sed v. 5 est omnino universalis et palmes a vite separatus non solum non potest fructus ferre, sed omnino nihil agere, maxime nihil ad hoc, ut iterum vitaliter uniatur cum vite. Ita homo a Christo palmite separatus, peccator, est spiritualiter mortuus: Eph 2, 1: « mortui delictis et peccatis vestris »; v. 3: « filii irae »; v. 5: « cum essemus mortui peccatis, convivificavit nos in Christo, cuius gratia estis salvati... ». Hoc sensu universali Io 15, 5 a Patribus et conciliis in controversia pelagiana et semipelagiana adhibebatur. S. Augustinus: « Ne quisquam putaret saltem parvum aliquem fructum posse a semetipso palmitem ferre, cum dixisset: hic fert fructum multum, non ait: quia sine me parum potestis facere, sed: nihil potestis facere. Sive ergo parum, sive multum, sine illo fieri non potest, sine quo nihil fieri potest » [93].

2) Cogitatio salutaris: 2 Cor 3, 5: « Non quod sufficientes simus cogitare aliquid a nobis quasi ex nobis, sed sufficientia (idoneitas) nostra ex Deo est ». Apostolus arrogantiae et superbiae accusatus ostendit fontem fiduciae suae non esse seipsum sed Deum, cui omnia tribuit: per Christum mediatorem illam fiduciam habet ad Deum, fontem fiduciae: a nobis non sumus idonei, sed ex Deo. « Cogitare » non pauci propter contextum intelligunt

[93] In Ioannis evangelium tractatus 81, 3; ML 35, 1841; R 1835.

de excogitandis viis ac rationibus, quibus apostolica praedicatio efficax reddi possit; alii autem sensu universaliore de cogitando omni bono, quod ad salutem pertinet. Ita in controversia cum pelagianis et semipelagianis: Conc. araus. can. 7; S. Augustinus: « Et ideo commendans istam gratiam, quae non datur secundum aliqua merita, sed efficit omnia bona merita: non quia idonei simus, inquit, cogitare aliquid quasi ex nobismetipsis, sed sufficientia nostra ex Deo est. Attendant hic et verba ista perpendant, qui putant ex nobis esse fidei coeptum et ex Deo esse fidei supplementum. Quis enim non videat prius esse cogitare quam credere? Nullus quippe credit aliquid, nisi prius cogitaverit esse credendum. Quamvis enim raptim, quamvis celerrime credendi voluntatem quaedam cogitationes antevolent, moxque illa ita sequatur, ut quasi coniunctissima comitetur; necesse est tamen, ut omnia quae creduntur praeveniente cogitatione credantur. Quamquam et ipsum credere nihil aliud est, quam cum assensione cogitare »[94]. Haec explicatio universalior in ipso quoque textu fundatur, nam pergit apostolus: « qui et (καί) idoneos nos fecit ministros novi testamenti », per particulam « et » transiens ab universali sententia ad specialem: Tota nostra idoneitas est ex Deo, et ipsi hoc quoque debemus, quod simus idonei ministri Novi Testamenti. Quodsi ita non intelligeretur, haberetur tautologia: quoad ministerium apostolicum nostra idoneitas est ex Deo, qui nos etiam fecit ministros idoneos.

3) De salutari volitione et operatione: Phil 2, 12. 13: « Cum metu et tremore vestram salutem operamini. Deus est enim qui operatur in vobis et velle et perficere pro bona voluntate ». Apostolus hortatur Philippenses, ut ad salutem pervenire nitantur strenue operando, cum metu et tremore, id est cum religiosa sollicitudine suo officio suaeque conscientiae satisfaciendi [94 bis]; in hoc enim opere plene a Deo eiusque benevola voluntate dependent: Deus enim est qui efficit in vobis et voluntatem et executionem, pro bona voluntate, ad manifestandum suam erga vos benevo-

---

[94] De praedestinatione sanctorum 2, 5; ML 44, 962; R 1980; cf. De gratia et libero arbitrio 7, 16; ML 44, 891; R 1938.

[94bis] Zorell ad vocem τρόμος.

lentiam, ex benevolentia. S. Augustinus: « Non solum enim Deus posse nostrum donavit atque adiuvat, sed etiam velle et operari operatur in nobis, non quia nos non volumus, aut nos non agimus, sed quia sine ipsius adiutorio nec volumus aliquid boni nec agimus » [95].

Textus allati sunt omnino universales, valent ergo etiam de ipso initio fidei. Speciatim autem de fide sunt verba Domini apud Io 6, 44: « Nemo potest venire ad me, nisi Pater qui misit me, traxerit eum ». Ergo supposita gratia externa, praedicatione Christi, nemo potest venire ad Christum id est credere (v. 65. 66) nisi Pater traxerit eum; ergo nemo potest in Christum credere sine interna gratia; ergo ad ipsum credere gratia interna absolute est necessaria.

Praeter hos textus plures alii in controversia cum pelagianis in usu erant, qui forte, si nude in se considerantur, non necessario illo sensu explicanda sunt. Sic imprimis 1 Cor 4, 7: « Quis enim te discernit? Quid autem habes, quod non accepisti? Si autem accepisti, quid gloriaris quasi non acceperis »? De quo textu dicit S. Augustinus: « Quo praecipue testimonio etiam ipse convictus sum, cum similiter errarem putans fidem qua in Deum credimus, non esse donum Dei, sed a nobis esse in nobis, et per illam nos impetrari Dei dona, quibus temperanter et iuste et pie vivamus in hoc saeculo » [96]. Et postea: « Posse habere fidem sicut posse habere caritatem, naturae est hominum; habere autem fidem quemadmodum habere caritatem, gratiae est fidelium. Illa itaque natura, in qua nobis data est possibilitas habendi fidem, non discernit ab homine hominem; ipsa vero fides discernit ab infideli fidelem. Ac per hoc ubi dicitur: Quis enim te discernit? Quid autem habes quod non accepisti? quisquis audet dicere: Habeo ex me ipso fidem, non ergo accepi, profecto contradicit huic apertissimae veritati, non quia credere vel non credere non est in arbitrio voluntatis humanae, sed in electis praeparatur voluntas a Domino » [97]. Similiter conc. arausic. can. 6 [98].

---

[95] De gratia Christi et de peccato originali, lib. 1, 25, 26; ML 44, 373; R 1834.

[96] De praedestinatione sanctorum 3, 7; ML 44, 964; R 1981.

[97] Ibidem 5, 10; ML 44, 968; R 1982.

[98] Denz 179.

Cornely de hoc textu ait: « Caeterum versus hic iuxta communem fere omnium interpretum explicationem de naturalibus donis agit, quibus factionum duces inflabantur, non de gratiis supernaturalibus »[99]. Sed iure applicatur ad dona quoque gratiae; nam si ex se homo ne dona quidem naturalia habet, quibus discernatur ab aliis et in quibus gloriari possit, hoc a fortiori valet de donis gratiae. Alii textus, qui adhibebantur, sunt Ps 58, 11; 88, 25; Prov 8, 35 (LXX, Praeparatur voluntas a Domino); Rom 10, 20; 11, 35 ss.; 1 Cor 7, 25; 12, 3; 15, 10; Phil 1, 6. 25; Hebr 2, 1.

Patres

Ante exortam haeresim pelagianam haec quaestio a Patribus ex professo non est tractata[100], neque mirum est Patres cum eo tempore defenderent libertatem humanam, non semper etiam de necessitate gratiae locutos esse[101].

S. Cyrillus Hierosolymitanus: « Dei est gratiam conferre; tuum vero accipere et custodire. Non ideo spernas gratiam, quia gratis datur; sed religiose potius, cum acceperis custodito »[102]. — S. Gregorius Nazianzenus: « Quoniam enim nonnulli sunt, qui ob recte facta ita animis efferuntur, ut id totum sibi ipsis adscribant, nec quidquam creatori et sapientiae eorum auctori ac bonorum omnium suppeditatori acceptum ferant, eos edocet sermo[103], quod ipsum etiam recte velle divino auxilio indigeat; immo ipsa electio eorum, quae recta sunt, divinum quoddam est atque donum a Dei benignitate manans. Quod enim salvamur, id et a nobis et a Deo esse oportet. Idcirco ait: Non volentis, id est non solum volentis, nec currentis solum, sed etiam miserentis Dei. Ita, quoniam velle

[99] In h. l.

[100] Cf. s. Augustinum, De praedestinatione sanctorum 14, 27; ML 44, 980.

[101] Ita e. g. Hilarius, Tractatus in Ps 118, 14; R 892; s. Chrysostomus, In Genesim homil. 42, 1; R 1155; In epistulam ad Hebraeos homil. 12, 3; R 1219.

[102] Catech. 1, 5; MG 33, 377; R 809.

[103] Non est volentis neque currentis, sed miserentis Dei.

quoque ipsum a Deo est, optimo iure totum Deo assignavit »[104]. — S. IOANNES CHRYSOSTOMUS: « Exspectat (Deus) occasiones ex nobis, ut multam exhibeat liberalitatem. Itaque ne propter desidiam privemus nos illius donis, sed festinemus et urgeamus ut principium apprehendamus et viam quae ad virtutem inducit, ut superno adiuti subsidio etiam ad finem pervenire valeamus. Neque enim possibile est bonum aliquod nos recte agere non adiutos superna gratia »[105]. — « Vocatio quidem et purificatio ex gratia sunt; vocatum autem et puris indutum vestibus manere, et haec servare, id ex vocatorum studio proficiscitur. Vocamur autem non ex merito, sed ex gratia »[106]. — S. AMBROSIUS: « Time Dominum et praesume de Domino; immittet enim angelos Dominus in circuitu timentium eum et eripiet eos[107]. Vides utique quia ubique Domini virtus studiis cooperatur humanis, ut nemo possit aedificare sine Domino, nemo quidquam incipere sine Domino »[108].

S. AUGUSTINUS est, qui maxime errorem oppositum impugnavit; cum plures eius textus iam allati sint, sufficiat hic unum adhuc addere: « Isti tales tantique doctores[109] dicentes non esse aliquid de quo tamquam de nostro, quod nobis Deus non dederit, gloriemur, nec ipsum cor nostrum et cogitationes nostras in potestate nostra esse, et totum dantes Deo, atque ab ipso nos accipere confitentes, ut permansuri convertamur ad eum, ut id quod bonum est, nobis quoque videatur bonum, et velimus illud, ut honoremus Deum, et recipiamus Christum, ut ex indevotis efficiamur devoti et religiosi, ut in ipsam Trinitatem credamus, et confiteamur etiam voce quod credimus: haec utique gratiae Dei tribuunt, Dei munera agnoscunt, ab ipso nobis, non a nobis esse testantur »[110].

S. PROSPER AQUITANUS: « Quomodo autem non advertis, te in illud damnum incidere, quod velis nolis convinceris dicere gra-

---

104 Oratio 37, 13; MG 36, 297; R 1003.
105 In Genesim homil. 25, 7; MG 53, 228; R 1153.
106 In Matthaeum homil. 69, 2; MG 58, 650; R 1177.
107 Ps 33, 8.
108 Expositio evangelii sec. Lucam 2, 48; ML 15, 1538; R 1302.
109 Cyprianus, Ambrosius, Gregorius Nazianzenus.
110 De dono perseverantiae 19, 50; ML 45, 1025; R 2004.

tiam Dei secundum merita nostra dari; cum aliquid praecedere boni operis ex ipsis hominibus, propter quod gratiam consequantur affirmas? Non enim nullius meriti haberi potest petentis fides, quaerentis pietas, pulsantis instantia; praecipue cum omnes eiusmodi et accipere et invenire et intrare dicantur. In quo superfluum immo impium est, sic velle meritis ante gratiam exsistentibus locum facere, ut non ex toto verum sit quod ait Dominus: Nemo venit ad me, nisi Pater, qui misit me, attraxerit eum[111], quod nullatenus diceretur, si cuiusquam sine Dei illuminatione esset credenda conversio, aut ullo modo se voluntas hominis ad Deum sine Deo posset extendere »[112].

S. Leo Magnus: « Sine Deo nulla est (virtus) nec proprietatem obtinet deitatis, nisi spiritu sui vegetetur auctoris. Dicente enim discipulis suis Domino: Sine me nihil potestis facere[113], dubium non est, hominem bona agentem ex Deo habere et effectum operis et initium voluntatis »[114]. — S. Fulgentius: « Firmissime tene et nullatenus dubites, posse quidem hominem, quem nec ignorantia litterarum nec aliqua prohibet imbecillitas vel adversitas, verba sanctae legis et evangelii sive legere sive ex ore cuiusquam praedicatoris audire; sed divinis mandatis obedire neminem posse nisi quem Deus gratia sua praevenerit, ut quod audit corpore etiam corde percipiat, et accepta divinitus bona voluntate atque virtute mandata Dei facere et velit et possit »[115].

Theologi

Theologos nunc de hac re convenire patet; de prioribus scholasticis vide quae supra dicta sunt; s. Thomas de nostra quaestione agit S. Th. 1, 2 q. 109 a. 6; 2, 2 q. 6 a. 1. 2.

---

111 Io 6, 44.

112 Liber contra collatorem 7, 2; ML 51, 222; R 2034.

113 Io 15, 5.

114 Sermo 38, 3; ML 54, 261; R 2200.

115 De fide ad Petrum 32, 37; ML 65, 702; R 2272. Multa testimonia Patrum vide apud R ser. 308 et 314.

Obiectiones

1) Semipelagiani ad varios textus s. Scripturae provocabant: Prov 16, 1: « Hominis est animam praeparare ». 16, 9: « Cor hominis disponit viam suam ». — Zach 1, 3: « Convertimini ad me, ait Dominus exercituum, et convertar ad vos ». — Matth 7, 7: « Petite et dabitur vobis; quaerite et invenietis; pulsate et aperietur vobis ». — Act Ap 16, 31: « Crede in Dominum Iesum et salvus eris tu et domus tua ». — Rom 7, 18: « Velle adiacet mihi, perficere autem bonum non invenio ».

Resp. Conc. trid. sess. 6 cap. 5: « Unde in sacris litteris cum dicitur: Convertimini ad me et ego convertar ad vos, libertatis nostrae admonemur; cum respondemus: Converte nos Domine ad te, et convertemur[116], Dei nos gratia praeveniri confitemur ». Hinc dist.: In praeparatione requiritur libera cooperatio hominis, conc.; haec est et potest esse sine auxilio gratiae, nego.

Ad exempla autem quae afferunt de Zachaeo, de bono latrone etc.[117] cum concilio arausicano dicendum est: « Unde manifestissime credendum est, quod et illius latronis, quem Dominus ad paradisi patriam revocavit, et Cornelii centurionis, ad quem angelus Domini missus est, et Zachaei, qui ipsum Dominum suscipere meruit, illa tam admirabilis fides non fuit de natura, sed divinae largitatis donum ».

2) De Patribus, qui ante exortam haeresim pelagianam scripserunt, iam supra dictum est. Eos non fuisse pelagianos vel semipelagianos ostendit Petavius, De Deo, lib. 9, cap. 4 s. Recte etiam in hac materia applicatur quod de s. Chrysostomo in quaestione de peccato originali dixit s. Augustinus: « At, inquies, cur non ipse addidit 'propria' (scilicet peccata)? Cur, putamus, nisi quia disputans in catholica ecclesia non se aliter intelligi arbitrabatur, tali quaestione nullius pulsabatur, vobis nondum litigantibus securius loquebatur »[118].

THESIS 8: *Hi actus ad iustificationem disponentes sunt entitative supernaturales.*

Cum secundum thesim praecedentem ad omnes actus, quibus peccator ad iustificationem praeparatur, interna gratia absolute ne-

---

[116] Thr 5, 21.
[117] Cassianus, Coll. 13, cap. 11; supra pag. 19 s.
[118] Contra Iulianum, 1. 6, 22; ML 44, 654; R 1228.

cessaria sit, non solum ad facilius posse, sed ad posse simpliciter, his actibus competere debet aliqua perfectio, quae attingi nequit propriis viribus hominis lapsi. Auxilium autem quod Deus concedit, et quo isti actus possibiles redduntur, gratia est, id est donum indebitum, in qua ratione indebiti Patres contra pelagianos et semipelagianos valde insistebant [119]. Impossibile est homini solis suis propriis viribus auxilium illud mereri, aut positive se ad illud disponere; essent enim isti actus salutares et proinde sine gratia impossibiles. Hinc iam quaeritur, quomodo impossibilitas ponendi illos actus intelligenda sit, unde sit explicanda, et qualis sit gratuitas istius auxilii.

Posset per se forte ita res se habere, ut illi actus per se non excederent ea, quae per se viribus naturalibus possibilia essent, quod autem homo per peccatum originale adeo esset viribus infirmatus, ut non iam posset illos actus ponere, et quod Deus ex misericordia auxilium suum praeberet. Ita actus pertinerent ad ordinem naturalem neque auxilium deberet ordinem mere naturalem transcendere. Actus essent difficiliores, quam ut ab homine lapso viribus infirmato poni possent.

Potest vero ita etiam esse, ut actus illi perfectionem habeant, quae excedit ordinem naturalem, et quod proinde auxilium, quod Deus confert, homini tribuit virtutem perficiendi actus, qui vires naturae transcendunt. Et haec est sententia in thesi enuntiata: actus quibus peccator ad iustificationem se disponit, sunt entitative supernaturales [120], id est pertinent secundum esse suum physicum ad illum ordinem, in quo est gratia iustificationis, visio Dei.

Sensus ergo huius doctrinae est: Deus voluit, ut actus disponentes ad iustificationem, ab ipso initio fidei, sint ordinis stricte

---

119 Semipelagiani ipsi sentiebant magnam inde esse in sua doctrina difficultatem, quam ex eo solvere conabantur, quod pro parvo opere nostro magna gratia donaretur; vide supra pag. 20.

120 Est idem quod alii dicunt supernaturales secundum substantiam; quia autem hic modus loquendi in praesenti materia occasionem confusionis praebere posset (de substantia actus sermo esse potest in ordine logico et in ordine physico; cf. Pesch, De gratia, nr. 66 ss.), praeferendus videtur terminus supra adhibitus.

supernaturalis; et auxilium ad hos actus necessarium eodem modo est in ordine supernaturali, ergo sensu stricto indebitum. Est ergo haec gratia ad tales actus physice necessaria, et recte vocatur gratia elevans, cum facultates hominis elevet ita, ut sint capaces ad actus entitative supernaturales efficiendos.

Supernaturale intelligitur donum Dei naturae creatae positive indebitum eique superadditum. Distinguitur supernaturale quoad modum, cum donum quod confertur subiecto sit naturale, modus autem quo confertur est indebitus; supernaturale quoad substantiam, cum ipsum donum sit positive indebitum; relative supernaturale, si non omni enti creato est indebitum, supernaturale absolute, si omni enti creato est indebitum sive excedens ordinem creaturarum, et inde pertinens ad ordinem divinum.

Quaestio sub hoc respectu explicite videtur tractata esse maxime post concilium tridentinum, licet in doctrina priorum theologorum iam aliquomodo continebatur. Inter theologos posttridentinos in hac re quod ad ipsum factum attinet, magnus consensus habetur [121]. Non autem consensus theologorum habetur in quaestione, utrum actibus entitative supernaturalibus viatorum proprium obiectum formale supernaturale correspondeat, quod viribus naturalibus attingi non possit [122]. Tandem consensus theologorum non habetur in qualificatione huius sententiae. Videtur autem sententia in thesi enuntiata nunc dici posse communis vel saltem communior theologorum.

---

121 Vázquez, consequenter ad suam doctrinam de gratia Christi, quae secundum suum esse pertinet ad ordinem naturalem, quae tamen propter merita Christi confertur (cogitatio congrua), et quae secundum ipsum etiam ad actum meritorium in iustis sufficere potest, docuisse videtur, inter actus remote ad iustificationem disponentes etiam tales esse posse, qui cum auxilio solius huius gratiae ponerentur, qui proinde essent entitative naturales (1, 2, disp. 190 cap. 12 nr. 132); eum tamen paucissimi videntur secuti. — Quod autem interdum dicitur, Molinam et cum eo plures theologos docere actus modaliter solum supernaturales, error est, uti cuilibet patet, qui legit quae e. gr. Molina de facto de hac re dicit (Concordia, q. 14 art. 13 disp. 38; ed. Paris. 1876 pag. 215).

122 De hac re vide De virtutibus theologicis nr. 327 ss., ubi probatum est tale obiectum non esse admittendum.

Bene notandum, thesim agere solum de actibus, quibus peccator ad iustificationem disponitur; de actibus iustorum sermo recurrit in parte tertia. Porro, si in hac thesi necessitas gratiae explicatur ex eo, quod actus disponentes sunt entitative supernaturales, ergo gratia tamquam elevans necessaria est, non negatur eam etiam necessariam esse quatenus vires peccato infirmatas confortat, id est inquantum est sanans; sed de hac re proprie in sequenti sectione dicendum est.

Probatur

I. Ex auctoritate theologorum, qui quasi communiter ita docent.

II. Thesi antecedente probatum est, internam gratiam absolute necessariam esse ad actus ad iustificationem disponentes idque non solum ad facilius posse, sed ad simpliciter posse; atqui haec necessitas solum ex eo explicari potest, quod entitativa perfectio illorum actuum excedat ordinem eorum, quae viribus naturalibus hominum possibilia sunt; ergo illi actus sunt entitative supernaturales.

Prob. minor: Si solum ageretur de actibus entitative naturalibus, qui difficiliores sunt, quam ut viribus infirmatis hominis lapsi poni possent, gratia proprie esset necessaria ad facilius posse et non ad simpliciter posse.

Homo post peccatum originale libertatem suam non amisit, licet ea infirmata sit, et potest, uti sequenti sectione ostenditur, sine gratia actus naturaliter honestos ponere; si ergo ad actus bonos, qui praeparant ad iustificationem, gratia adeo necessaria est, ut sine illa impossibile sit homini eos ponere, debet in illis perfectio aliqua inveniri, quae non est in actibus naturaliter bonis.

Haec perfectio non potest consistere in mera acceptatione externa divina, ut actus bonus sine gratia positus et actus bonus cum gratia positus eo solum differant, quod Deus priorem non velit acceptare tamquam dispositionem ad iustificationem, alterum autem sic acceptare velit. Nam sic non verum maneret, hominem sine gratia non valere ad talem actum ponendum; necessitas enim priore

thesi probata talis videtur esse, ut viribus hominis aliquid desit ad ponendos illos actus, id quod in hac hypothesi iam dici non posset.

Neque in eo consistere potest haec perfectio, quod actus salutaris maiore delectatione, gustu spirituali etc. poneretur; nam sic non iam intelligeretur, cur gratia sit necessaria ad simpliciter posse; praeterea pro actibus salutaribus nunquam tamquam essentialis exigitur delectatio specialis vel facilitas.

Tandem exclusa videtur sententia, quae diceret perfectionem actus salutaris consistere in eo, quod sit supernaturalis in fieri, non autem in facto esse; nam ita haberetur actus, qui secundum totam suam entitatem etiam sine gratia produci posset; et praeterea actus est disponens non ratione originis, sed quia est talis.

« Itaque restat ut dicamus, actum bonum, sicut oportet ad salutem, ea gaudere perfectione, quae sit intrinsece supernaturalis, h. e. intrinsece excellentior perfectione ea, quae per vires naturae potest actibus comparari; ideoque modum perfectionis, qui per verba sicut oportet, significatur, esse modum intrinsecum actus, quo eius essentia constituitur; et idcirco propter eam perfectionem, quae actus intrinsece supernaturalis propria est, requiri gratiam ut possit fieri a nobis » [123].

Ergo gratia actualis elevans est donum stricte gratuitum, nullo modo debitum.

Haec ratio indebiti paucis adhuc declaranda est.

1) Non debetur gratia actualis exigentiae ipsius naturae. Secundum Baianos dona Adae in creatione collata debita erant naturae integrae; nunc autem sunt indebita, quatenus natura humana peccato positive se indignam reddidit his donis [124]. Damnatae sunt Bai propositiones: « Humanae naturae sublimatio et exaltatio in consortium divinae naturae debita fuit integritati primae conditionis, et proinde naturalis dicenda est, et non supernaturalis ». —

---

[123] Palmieri, De gratia divina actuali, pag. 184.

[124] Cf. in tractatu De Deo elevante quaestionem de possibilitate status naturae purae.

Absurda est eorum sententia, qui dicunt, hominem ab initio, dono quodam supernaturali et gratuito, supra conditionem naturae suae fuisse exaltatum, ut fide, spe et caritate Deum supernaturaliter coleret». — «A vanis et otiosis hominibus, secundum insipientiam philosophorum, excogitata est sententia, quae ad Pelagianismum reicienda est, hominem ab initio sic constitutum, ut per dona naturae superaddita fuerit largitate conditoris sublimatus et ad Dei filium adoptatus». — «Falsa est doctorum sententia, primum hominem potuisse a Deo creari et institui sine iustitia naturali» [125].

Cum elevatio naturae in ordinem supernaturalem absolute indebita sit, sequitur, ut etiam illa auxilia gratiae, quae eiusdem ordinis sunt, eodem modo naturae sint indebita.

Specialis in hac quaestione est sententia Augustinensium. Secundum eos finis ultimus unicus homini possibilis est ipsa visio Dei intuitiva; hic autem finis adeo sublimis est, ut viribus naturalibus hominis attingi nequeat. Deus autem sibi ipsi debet, ut si hominem creat, ipsi quoque possibilem reddat assecutionem finis sui; secus enim humana natura magis misera esset, quam creatura non rationalis, quae possidet vires ad assequendum suum finem; debet ergo Deus sive titulo providentiae sive ex decentia homini auxilia supernaturalia dare, quibus ad finem suum pervenire possit [126]. Haec autem sententia admittenda non est; non

---

[125] Denz 1021, 1023, 1024, 1079.

[126] Vide textum ex Berti citatum, De Deo uno, nr. 159. Praeterea: «... asserentes in Adae posteris, qui adoptantur in Dei filiationem, restitui meritis Redemptoris ius proximum ad hereditatem caelestem per gratiam sanctificantem, qua in consortium divinae naturae iustus assumitur, et ius remotum, qua pollet rationalis creatura eo ipso quod sit Dei imago, et nullo coinquinata peccato. Utrumque enim ius propter praevaricationem Adae perdidimus. Ergo, inquiunt, gratiae effectus est ius proximum ad hereditatem Dei, ad quam pertinent soli filii promissionis: sed ius remotum fundatur in ipsa substantia animae, quae cum sit imago Dei, nequit in creato aliquo bono quiescere». Berti, De theologicis disciplinis, tom. 2 (Romae 1739) 554. «De gratia autem actuali dico et hanc non fuisse Adae debitam, quatenus neque promereri illam potuit operatione aliqua praecedente, neque exigebat eam primus homo, ut in se absolute, et in genere speciei suae praeditus esset naturali qualibet perfectione,

enim verum est suppositum eius, unicum scilicet finem possibilem hominis esse visionem Dei intuitivam, et in natura rationali esse ius remotum ad hereditatem caelestem.

Si ergo ordo gratiae supernaturalis est plane extra omnem exigentiam naturae humanae, nulla in ea est positiva ordinatio neque ad ipsum finem neque ad supernaturalia media eum consequendi. Cum autem homo sit intellectualis natura, possibilitas elevationis in hunc ordinem adest. Haec possibilitas sive capacitas immediate dicit non repugnantiam talis elevationis. Sic in natura intellectuali est potentia obedientialis ad hanc elevationem et ad recipienda auxilia huius ordinis, id est illa potentia, qua creatura obedit creatori, ita ut ille eam ad aliquid idoneam reddere possit, quod vires creaturae excedit. Haec potentia obedientialis passiva est eo sensu, quod creatura ex se solum capax est recipiendi passive illa dona et auxilia; sed cum gratia recepta homo active cooperari potest et debet.

2) Ex dictis sequitur, ut actibus mere naturalibus homo non possit positive se praeparare ad assequenda illa auxilia supernaturalia: neque mereri ea potest neque positive ad ea se disponere. Haec in ipsa thesi iam probata sunt; nam huiusmodi actus essent salutares; salutares actus autem sunt stricte supernaturales; ergo naturaliter impossibiles. Sic ad primam gratiam supernaturalem nulla omnino habetur praeparatio positiva; cum gratia tamen supernaturali recepta deinde homo potest et debet per actus salutares se praeparare ad alias gratias usque ad ipsam assecutionem iustificationis.

3) Precibus naturalibus gratia impetrari non potest. Oratio impetratoria est petitio decentium a Deo. Supponit desiderium boni, quod a Deo exspectatur. Petitio est proprie manifestatio huius desiderii, et eo ipso manifestatio propriae indigentiae; appellat ad

---

quoniam per solam nativam facultatem intelligendi et volendi perfecta redditur rationalis creaturae substantia. Nihilo tamen minus considerata ut est imago Dei, et comparate ad ultimum finem, a quo divulsa incidit in summam miseriam, oportebat ut supernaturali divinorum auxiliorum fulcimento ornaretur». Ibidem 564.

Dei bonitatem, ut huic indigentiae subvenire velit. Alia ergo est efficacia orationis ab efficacia meriti: meritum est obsequium erga alterum, et ut tale provocat ad eius iustitiam vel aequitatem; oratio vero propriam necessitatem ostendendo provocat ad misericordiam. Hinc per se non esset contra gratuitatem gratiae, si Deus vellet moveri ad dandam gratiam ei, qui eam peteret. Quod tamen precibus naturalibus gratia non possit impetrari, patet:

a) Talis oratio supponit desiderium gratiae; atqui hoc non potest esse sine gratia.

b) Illa oratio positive valeret ad salutem, esset ergo actus salutaris; atqui ad actum salutarem requiritur gratia; ergo.

c) Si naturalis petitio gratiae esset efficax, homo positive se disponeret ad gratiam; nam oratione efficaci nos ipsos disponimus ad dona a Deo recipienda.

Ergo nihil est in homine nisi potentia mere passiva recipiendi primam gratiam actualem elevantem.

SECTIO II.

Quid peccator adultus sine auxilio gratiae possit et non possit.

Ex praecedente sectione constat peccatorem adultum actibus entitative supernaturalibus, cum auxilio gratiae positis ad iustificationem se posse et debere disponere. Nunc quaeritur, quidnam sine auxilio gratiae possit vel non possit; aliis verbis: ad quid valeant vires peccatoris in statu naturae lapsae. Quaestio moveri potest et de viribus intellectus et de viribus voluntatis. In tractatu « De Deo uno » autem fuse iam probatum est, hominem viribus naturalibus posse Deum, principium et finem, a quo pendet et ad quem tendere, quem colere debet, cognoscere; hoc loco ergo solum de viribus voluntatis agendum est, idque non in ordine mere physico, sed in ordine morali. Considerari potest peccator qui adhuc est in statu infidelitatis et qui iam est fidelis; sermo est de utroque.

De sententia novatorum saeculi XVI dictum est in praecedenti sectione[127]: homo lapsus non potest nisi peccare.

Baius[128]: Homo lapsus incapax est boni moralis; sine gratia homo necessario peccat; movetur aut cupiditate vitiosa, qua mundus diligitur, aut caritate, qua per Spiritum Sanctum in corde diffusa Deus amatur. Omnia opera infidelium sunt peccata, et omne quod agit peccator vel servus peccati, peccatum est. Initium autem caritatis homini confertur, quando ab infidelitate aut mala voluntate conversus incipit velle bonum; potest ergo praecedere ipsam remissionem peccatorum; hinc catechumenus aut poenitens ante remissionem peccatorum aliquid iustitiae habere potest[129].

Iansenius[130]: Concupiscentia est pondus quoddam habituale, quo anima inclinatur ad fruendum creaturis; sed licitum est solum uti creaturis. Quamvis post peccatum liberum arbitrium maneat, voluntas tamen glutino quodam delectabili creaturis alligatur, quod propriis viribus rumpere non potest. In homine infideli adeo regnat cupiditas, ut non iam adsit libertas faciendi bonum et abstinendi a peccato. Quamdiu homo per gratiam, et quidem gratiam fidei, non liberatur, adest necessitas peccandi. Sola absentia fidei iam ad hoc sufficit, ut omnia opera sint peccata. Haec necessitas peccandi est necessitas quoad specificationem, sed non quoad exercitium, id est, quidquid agit, est peccatum; sed nullum peccatum singulare ita necessario committere debet, quin ab eo possit abstinere; sed abstinendo ab uno, necessario incidit in aliud, quod iterum potuisset cavere, sed solum incidendo iterum in aliud peccatum.

Uterque ergo, Baius et Iansenius clare docent: 1) Omnia opera hominis infidelis sunt peccata; 2) Sine gratia homo in statu naturae lapsae nullum potest ponere actum in ordine morum, qui non sit peccatum.

---

[127] Pag. 134.

[128] Vide supra pag. 53 ss.

[129] Notandum in doctrina baiana non admitti nisi gratiam Spiritus Sancti inhabitantis (prop. 62); unde sequeretur, ut opera hominis nullo modo iustificati, essent peccata (prop. 35; cf. 34 et 36).

[130] Supra pag. 66 ss.

Inter theologos quoque catholicos variae habentur sententiae de eo, quod homo in statu naturae lapsae possit.

Augustinenses. Eorum doctrina exponitur secundum Berti[131], qui augustinensium doctrinam maxime mitigavit. Libro 18 cap. 2[132] quaerit, « quid asserendum sit de operibus eorum, qui gratia fidei sunt destituti », et ponit propositionem I[133]: « Multa fiunt etiam ab infidelibus, et impiis, quae si operum honestatem inspicias et officia virtutum, habent decus laudis, neque ratione operis appellari debent peccata ». Prop. II[134]: « Virtutes infidelium, ut plurimum, sunt germen inutile et marcescens,... nimirum, cum sit in eorum corde radix cupiditatis, solent bona opera aut ad inanem gloriam, aut ad voluptatem referri. In eo autem casu nullus negat huiusmodi virtutes vitio aut philautiae, aut inhonestatis labefactari ». Prop. III[135]: « Alio quoque ex capite, quae sine Christi gratia ab infidelibus peraguntur nequeunt inter virtutes connumerari, scilicet, quia nihil conferunt ad veram et Christianam pietatem: sive... huiusmodi virtutibus mens ad caelestem beatitudinem non enititur ». Prop. IV[136]: « Cum erret sapientia mundi per omnes calles,... quicquid boni infideles patraverunt, dicendi sunt non sine superna illustratione ut plurimum patrasse: non tamen eis necessaria fuit, aut est, ad non peccandum, fides habitualis, nec gratia remissionis peccatorum ».

Capite 3[137]: « disputatur an ad peragendum opus moraliter bonum, quod nec in se, neque in intentione operantis vitiosum sit, requiratur divinae gratiae adiutorium ». Sententiam Augustinensium ita reddit[138]: « In quaestione, quam nunc propono, celeberrima est omnium fere Nostratium sententia, posse quidem hominem absque speciali gratia bonum agere ex obiecto, sive spectato virtutis

---

131 De theologicis disciplinis, tom. 3; Romae 1789.

132 Pag. 382.

133 Pag. 382.

134 Pag. 385.

135 Pag. 386.

136 Pag. 387.

137 Pag. 391.

138 Ibid.

officio, ut prima parte cap. praecedentis demonstratum est; at si inspiciatur finis, negant huiusmodi opus bonum esse, cum in summum bonum minime referatur. Hanc enim conditionem operi, quod nulla ex parte vitiatum sit, necessariam esse propugnant ».

Post discussam quaestionem proponit propriam opinionem, quae est media inter sententiam Augustinensium et aliorum theologorum [139]: « Adhaeremus priori (scl. sententiae Augustinensium), quatenus nullam virtutem veram propriamque agnoscit, quae sistat in re creata, quoniam virtus tendit in bonum melius; ut docet Augustinus, et idea virtutis commonstrat: nulla autem creatura melior est, quam sit mens rationalis. Negamus tamen hominem, qui operatur ob intimam, naturalem, et ingenitam ideam honestatis, non agere bonum moraliter, sed opus vitio labefactatum: quoniam vitium non est, nisi a voluntate faciendi quod vetat summa illa et incommutabilis lex veritatis. Dicimus hanc veritatis ideam, et legem incommutabilem non esse in homine lapso penitus detritam, ideoque interdum exhibere hominum menti opus peragendum licitum atque honestum, neque ad hoc necessariam esse gratiam fidei, sive quod Deus se manifestet tamquam auctorem supernaturalium donorum. Concedimus virtutes esse superbas et inflatas, si referantur ad seipsas, scilicet, si appetantur, ut conferatur animo decor continentiae ac probitatis, quoniam tunc humanae gloriae deserviunt, et multum habent inanitatis: sed nego referri ad seipsas, si fiant propter ingenitam rationem honestatis; quoniam haec ratio, cum sit una, summa, et immutabilis, ipse Deus est, intime nobis praesens, non quidem ut speciale obiectum, sed ut universalis regula veritatis. Dico opera huiusmodi regulae consentanea, etsi in Deum non referantur explicite, quod necessarium est ut ad aeternam vitam perducant, referri implicite; non quod intrinseca bonitas honestorum operum seipsa referatur in summum bonum, id enim necessarium et naturale est, non liberum, et morale; sed quia intentione animi opera illa fiunt ob intimam legem honestatis, quae implicite est ipse Deus. Atque hoc arbitror sufficere ad opus bonum

---

139 Pag. 401 ss.

morale ordinis naturalis; quia ne sit vitii labes, sufficit uniformitas legi naturaliter nobis inditae.

Haec tamen cum speculative vera sint, praemissisque Augustinianae doctrinae praeceptionibus perspicua satis: practice loquendo affirmo nunquam hominem lapsum agere convertendo se ad illam intimam legem absque cupiditate et philautia, ideoque quodlibet opus bonum fieri ex speciali gratia... Igitur ut in praxi opus aliquod honestum sit, non debet a summa, et intima lege deflecti. At homo lapsus magis se delectat seipso, quam summo bono, si non ei sancta delectatio inspiretur; quoniam sine huius delectationis dono praevalet rationi concupiscentia: cuius desideriis non obedire... absque gratia Salvatoris non possumus. Igitur inhaerere legi honesta praecipienti ita ut amore sui animus non tumescat, gratiae beneficium est, per quam motus concupiscentiae reprimitur. Eodem pacto de turpi delectatione excitata a multiformi temporalium specierum imagine est disserendum. Habitans enim lex in corpore nostro mortali, et mutabilis varietas hominem lapsum per carnales sensus diverberans, nisi succurrat gratia medicinalis, rapit voluntatem ac deprimit. Est ergo virtus animi habitus naturae modo, atque rationi consentaneus. Ratio non est per peccatum exstincta, et voluntas etiam velle et agere potest, quae ad praesentem pertinent vitam. Verumtamen quod vis affectuum insit naturaliter rationabili animo, et pro iudicio voluntatis, cuius nutui serviunt, aut ad aeterna, aut ad temporalia dirigantur, est sententia Iuliani, quem ita S. Pater alloquitur: Haec ubi didiceris, nescio. Speculative itaque postrema sententia probabilis est, practice verissima est altera; quamquam nec ista videtur tanto rigore tenenda, ut vitiosum sit opus, quod non refertur explicite in Deum. Quae si minus placeant, consulto praeposui et exornavi Doctorum scita, ut illud hac mea lucubratione facem praeferente tuearis, quod rationi magis videbitur consentaneum ».

Vázquez in 1, 2, disputatione 189 defendit hominem non posse vincere tentationem sine auxilio gratiae, et disp. 190 ad singula opera bona moralis virtutis adquisitae nos indigere auxilio gratiae per Christum. Ita sententiam exponit [140]: Nostra sententia

[140] Disp. 190 cap. 12, nr. 117.

est « posse quidem hominem singula opera moralis virtutis efficere sine auxilio gratiae per Christum, quod suapte natura sit ordinis supernaturalis, quale ad opera virtutum infusarum necessarium est; non tamen posse ullum opus morale secundum virtutem ex omni parte bonum operari sine aliquo auxilio gratiae per Christum, quod suapte natura ordinis naturalis sit, et per causas naturales aeterna Dei misericordia nobis praeparetur: quale quidem auxilium diximus requiri ad singulas tentationes ex affectu virtutis superandas.... Qua ratione hoc auxilium ordinis naturalis dici possit supra naturam ibid.[141] explicatum est ». Illo autem loco[142] dixerat: « Intelligimus peculiare auxilium gratiae, quod secundum se et natura sua est ordinis naturalis; eo quod Deus utitur rebus naturalibus ad adiuvandam naturam nostram ad opus quod ex se naturalis ordinis est, et, ut dici solet, proportionatum, et accommodatum naturae nostrae; ita ut non indigeat peculiari aliquo alio principio ad eliciendum illud, dicatur tamen peculiare auxilium, et donum gratiae: quia Deus liberaliter, et ex misericordia res omnes ita instituit, in bonum nostrum, cum tamen posset, permanente integro dono creationis, et conservationis, absque iniuria, et ingratitudine, alio modo eas regere quo sciebat nos in peccatum, et malum consensuros ».

Haec gratia ordinis naturalis est cogitatio congrua[143]. « Homo enim ita conditus est a Deo, ut ex natura, hoc ipso quod rationalis est, sit liberi arbitrii: hoc est, non adstrictus ad unum genus operationis, nec ad unam partem, sed talis, ut per varias et contrarias cogitationes in varia et contraria eius voluntas moveri possit: et similiter circa idem possit moveri, et non moveri; cumque in sua non habeat potestate, hac cogitatione potius quam illa primo occupari, sed quoad hoc a solo Deo pendeat, qui optime novit talem immittere cogitationem, ex qua scit, consensuram voluntatem in id quod proponitur, aut non consensuram; neque ad hoc alligata sit ex dono creationis, efficitur, ut peculiare ei sit beneficium, et peculiarem gratiam a Deo consequatur, si ea cogitatione praeveniatur contra cogitationem, ex qua Deus novit fore, ut arbitrium eius re-

---

141 Id est disp. 189 cap. 16.

142 Nr. 144.

143 Disp. 189, cap. 15, nr. 125 ss.

sistat, nec tentationi succumbat, et sine qua scit, omnino tentationi consensurum. Haec igitur cogitatio ita arbitrio aptata, ut illud cohibeat a consensu in tentationem, et in studiosum affectum contra illam alliciat, nec debita erat creationi, nec conservationi naturae: quia illaeso dono creationis, illaesaque omnino natura, et integre in sua natura producta, et conservata, poterat Deus absque ulla vi, iniuria aut ingratitudine, reliqua ita disponere, ut in tali occasione non concederetur homini vehementior cogitatio contra tentationem, qua cohiberetur a consensu: sed relinquere eum posset cum ea cogitatione, cum qua recte novit, arbitrium illius in tentationem consensurum, quod quidem, quamvis faceret Deus, ut poterat, nihilominus homo debitor ipsi maneret, propter donum creationis et conservationis ».

Hoc autem auxilium esse per Christum, ita ostendit[144]: « Primo, quia ea dicitur gratia per Christum, quam ut nobis a Deo promeretur, Christus mortuus est... Cum igitur nemo inficiari possit, Christum mortuum esse, ut nobis impetraret gratiam contra singulas tentationes, ne etiam minimae succumberemus, quam re ipsa vincimus, necessario fateri debemus, gratiam, qua singulas superamus tentationes, esse per Christum. Nam quamvis Christus non fuerit promeritus, ut omnes res naturales conderentur et fierent, ut probabilior opinio fert, tamen earum dispositionem et ordinem, quatenus ad recte vivendum aliqua ex parte conducerent, non possumus gratiae Christi non tribuere, qui ut reformaret in bonos mores et liberaret nos a laqueis diaboli, mortuus est. Secundo, quia, nisi esset talis gratia per Christum, inepte a Deo eam postularemus per merita Christi. Tertio, quia, nisi esset haec gratia per Christum, possemus in aliqua victoria sine Christo gloriari et inepte ipsi gratias redderemus pro victoria singularum tentationum. Quarto, quia nisi esset haec gratia per Christum, non diceremus per eam liberari de potestate diaboli, cui per peccatum Adae traditi eramus, ut variis tentationibus exagitaret nos »[145].

---

[144] Cap. 17, nr. 151.

[145] Eandem doctrinam applicat disp. 190 cap. 12 ad actum virtutis acquisitae.

Vázquez ergo necessitatem « gratiae » non ex speciali quadam infirmitate hominis in statu naturae lapsae derivat, sed ex eo, quod homo libere velle non potest sine praecedente cogitatione; cogitatio, quam sequitur voluntas qua homo tentationem vincit, vel actum moraliter bonum ponit, est cogitatio congrua. Deus libere providentia sua ordinavit, ut haec vel illa in homine inveniatur cogitatio, quam ipse scit esse vel non esse congruam. Nulla ergo ratione doctrina Vazquezii affinis est Augustinismo [146].

His de variis sententiis praemissis quaeritur in hac sectione, quid peccator adultus in praesenti ordine sine gratiae auxilio possit, et quid non possit. Duabus thesibus respondemus: 1) non quidem facultatem amisit ponendi actus moraliter bonos (thes. 10); sed 2) sine gratia non potest totam legem divinam servare, sed certo ad peccata mortalia perveniet (thes. 11). His duabus praemittimus thesim (thes. 9), quam maxime ob errores Baianorum et Iansenistarum theologi explicite statuere solent, quamvis quoad essentialia iam in iis continetur, quae in praecedenti sectione dicta sunt, scl. non omnia opera infidelium et peccatorum esse peccata.

THESIS 9: ***Non omnia opera infidelium et peccatorum sunt peccata.***

Patet in hac thesi sermonem esse de actibus humanis, id est de actibus liberis, cum necessaria advertentia rationis. Dicit ergo thesis in infidelibus et peccatoribus inveniri etiam actus vel indifferentes, si tales in individuo possibiles sunt, vel actus moraliter bonos. Practice sermo est de his ultimis. Thesis autem per se non ulterius determinat, utrum boni illi actus sint salutares an solum moraliter boni, utrum ponantur cum auxilio gratiae, an sine illo. Sensus thesis sic quoque reddi potest: Ad opera bona non requiritur gratia habitualis, neque fides; vel sic: opera propterea, quod subiectum operans sit in statu infidelitatis vel peccati, non sunt peccata.

---

[146] Cf. tamen Berti, De theologicis disciplinis lib. 18 cap. 3, in edit. Rom. 1789 tom. 3 pag. 392.

Negant thesim, ut ex supra dictis patet, Novatores saeculi XVI, Baiani, Iansenistae.

Quod ad ipsam rem attinet, quaestio iam soluta est in sectione praecedente; nam tum infideles tum fideles peccatores actibus bonis cum auxilio gratiae ad iustificationem disponere se debent. Neque haec necessitas ad solos peccatores fideles restringenda est, sed etiam de infidelibus valet; nam aliqui actus salutares antecedunt ipsam susceptionem fidei, actus qui comprehenduntur sub nomine « initium fidei ».

Doc. Ecclesiae

Ex concilio TRIDENTINO huc pertinent, quae supra thesi 6 parte II allata sunt. Vide pag. 141 s. Speciatim opposita sententia damnatur can. 7: « Si quis dixerit, opera omnia, quae ante iustificationem fiunt, quacumque ratione facta sint, vere esse peccata vel odium Dei mereri; aut quanto vehementius quis nititur se disponere ad gratiam, tanto eum gravius peccare A. S. » [147].

PIUS V damnavit sequentes propositiones Baii. Prop. 25: « Omnia opera infidelium sunt peccata, et philosophorum virtutes sunt vitia ». — Prop. 35: « Omne, quod agit peccator vel servus peccati, peccatum est ». — Prop. 38: « Omnis amor creaturae rationalis aut vitiosa est cupiditas, qua mundus diligitur, quae a Ioanne prohibetur, aut laudabilis illa caritas, qua per Spiritum sanctum in corde diffusa Deus amatur ». — Prop. 40: « In omnibus suis actibus peccator inservit dominanti cupiditati » [148].

ALEXANDER VIII damnavit sequentes errores Iansenistarum, 1: « In statu naturae lapsae ad peccatum mortale (formale) et demeritum sufficit illa libertas, qua voluntarium ac liberum fuit in causa sua, peccato originali et voluntate Adami peccantis ». — 2: « Tametsi detur ignorantia invincibilis iuris naturae, haec in statu naturae lapsae operantem ex ipsa non excusat a peccato formali ».

---

[147] Denz. 817.

[148] Denz. 1025; 1035; 1038; 1040.

— 7: « Omnis humana actio deliberata est Dei dilectio vel mundi: si Dei, caritas Patris est; si mundi, concupiscentia carnis, hoc est, mala est ». — 8: « Necesse est, infidelem in omni opere peccare ». — 11: « Omne quod non est ex fide christiana supernaturali, quae per dilectionem operatur, peccatum est »[149].

Clemens XI damnavit errores Paschasii Quesnel. 38: « Peccator non est liber nisi ad malum sine gratia Liberatoris ». — 45: « Amore Dei in corde peccatorum non amplius regnante necesse est, ut in eo carnalis regnet cupiditas omnesque actiones eius corrumpat ». — 59: « Oratio impiorum est novum peccatum; et quod Deus illis concedit est novum iudicium »[150].

Pius VI damnavit errores synodi pistoriensis de duplici amore. « 23: Doctrina synodi de duplici amore dominantis cupiditatis et caritatis dominantis enuntians, hominem sine gratia esse sub virtute peccati ipsumque in eo statu per generalem cupiditatis dominantis influxum omnes suas actiones inficere et corrumpere; quatenus insinuat, in homine, dum est sub servitute sive in statu peccati, destitutus gratia illa, qua liberatur a servitute peccati et constituitur filius Dei, sic dominari cupiditatem, ut per generalem huius influxum omnes illius actiones in se inficiantur et corrumpantur, aut opera omnia, quae ante iustificationem fiunt, quacumque ratione fiant, sint peccata; quasi in omnibus suis actibus peccator serviat dominanti cupiditati: — falsa, perniciosa, inducens in errorem a tridentino damnatum ut haereticum, iterum in Baio damnatum art. 40. — 24: Qua vero parte inter dominantem cupiditatem et caritatem dominantem nulli ponantur affectus medii, a natura ipsa insiti suapte natura laudabiles, qui una cum amore beatitudinis naturalique propensione ad bonum remanserunt velut extrema lineamenta et reliquiae imaginis Dei; perinde ac si inter dilectionem divinam, quae nos perducit ad regnum, et dilectionem humanam illicitam, quae damnatur, non daretur dilectio humana licita, quae non reprehenditur: — falsa, alias damnata »[151].

---

149 Denz. 1291; 1292; 1297; 1298; 1301.
150 Denz. 1388; 1395; 1409.
151 Denz 1523; 1524.

S. Scriptura

Dan 4, 24: Nabuchodonosor rex (infidelis) monetur a Daniele: « Quam ob rem rex consilium meum placeat tibi, et peccata tua eleemosynis redime, et iniquitates tuas misericordiis pauperum: forsitan ignoscet delictis tuis ». — Peccatores Scriptura exhortatur ad faciendam poenitentiam: Ez 18, 30: « Convertimini et agite poenitentiam ab omnibus iniquitatibus vestris: et non erit vobis in ruinam iniquitas ». Cf. Eccli 21, 1; Zach 1, 3; alia supra pag. 143. — Rahab meretrix, quae exploratores occultabat [152], propter fidem et opera laudatur Hebr 11, 31; Iac 2, 25. — Cyro regi persarum (infideli) Dominus praecepit ut aedificaret ei domum in Ierusalem [153], de quo Dominus: « Pastor meus es, et omnem voluntatem meam complebis » [154]. — De obstetricibus aegyptiacis (infidelibus), quibus rex mandaverat interficere masculos Hebraeorum, dicitur: « Timuerunt autem obstetrices Deum, et non fecerunt iuxta praeceptum regis Aegypti, sed conservabant mares... Bene ergo fecit Deus obstetricibus... et quia timuerunt obstetrices Deum, aedificavit eis domos » [155]. — Manasses rex ob impietates suas captivus in Babylonem ductus erat. « Qui postquam coangustatus est, oravit Dominum Deum suum: et egit poenitentiam valde coram Deo patrum suorum. Deprecatusque est eum, et obsecravit intente: et exaudivit orationem eius, reduxitque eum Ierusalem in regnum suum, et cognovit Manasses quod Dominus ipse esset Deus » [156]. — Publicanus [157] et Zachaeus [158] proponuntur tamquam exempla.

Rom 1, 18 ss.: Gentes potuerunt e rebus creatis Deum cognoscere, et debuerunt secundum hanc cognitionem Deum colere et ei

---

152 Ios 2, 1 ss.
153 2 Par 36, 23.
154 Is 44, 28.
155 Ex 1, 17 ss.
156 2 Par 33, 12 s.
157 Luc 18, 13 s.
158 Luc 19, 1 ss.

gratias agere; quod si hoc non fecerunt, est eorum culpa. — Rom 2, 14: « Cum enim gentes, quae legem non habent, naturaliter ea, quae legis sunt, faciunt, eiusmodi legem non habentes, ipsi sibi sunt lex, qui ostendunt opus legis scriptum in cordibus suis, testimonio reddente illis conscientia ipsorum, et inter se invicem cogitationibus accusantibus, aut etiam defendentibus, in die, cum iudicabit Deus occulta hominum, secundum evangelium meum per Iesum Christum » [159]. Ergo gentes habent scientiam et conscientiam boni et mali moralis talem, ut sint responsabiles in iudicio Dei; et interdum faciunt ea quae sunt legis. Ergo in iis inveniri possunt actus, qui non sunt peccata.

Patres

Cum doceant Patres peccatores mereri clementiam Dei per suos actus [160] et in peccatoribus actus agnoscant cum auxilio divino factos, sine dubio non omnes actus peccatorum habent peccata.

S. Gregorius Nazianzenus: « Ille (scl. pater eius defunctus) ante etiam quam ad nostram aulam se contulisset [161], noster erat. Mores quippe ipsum nobis adsciscebant. Ut enim multi ex nostris nobiscum non sunt, quos scilicet a communi corpore vita removet, sic contra multi exterorum ad nos pertinent, quicumque nimirum fidem moribus antevertunt, ac solo nomine carent, cum rem ipsam teneant. Quo in numero meus quoque pater erat, ramus quidem ille alienus, vita vero ad nos protendens » [162].

S. Augustinus: « Caritas alia est divina, alia humana; alia est humana licita, alia illicita... Prius ergo loquor de humana licita, quae non reprehenditur; deinde de humana illicita, quae damnatur; tertio de divina, quae nos perducit ad regnum. Ut ergo breviter in-

---

[159] In hoc textu sermonem esse de gentibus nondum ad fidem conversis, patet ex ipso contextu, et ostensum est in tractatu De Deo uno n. 207 ss.

[160] Supra pag. 149 s.

[161] Antequam catholicus factus esset.

[162] Oratio 18, 6; MG 35, 992; R 982.

sinuem, licita est humana caritas, qua uxor diligitur; illicita qua meretrix vel uxor aliena... Licitam ergo caritatem habete: humana est; sed, ut dixi, licita est. Non solum autem ita licita est, ut concedatur, sed ita licita, ut si defuerit, reprehendatur. Liceat vobis humana caritate diligere coniuges, diligere filios, diligere amicos vestros, diligere cives vestros. Omnia enim ista nomina habent necessitudinis vinculum, et gluten quodam modo caritatis. Sed videtis istam caritatem esse posse et impiorum, id est, paganorum, Iudaeorum, haereticorum. Quis enim eorum non amat uxorem, filios, fratres, vicinos, affines, amicos etc? Haec ergo humana est. Si ergo tali quisque crudelitate effertur, ut perdat etiam humanae dilectionis affectum, et non amet filios suos, et non amet coniugem suam, nec inter homines numerandus est. Non enim laudandus est qui amat filios suos; sed damnandus est qui non amat filios. Adhuc enim videat cum quibus debet ei esse dilectio ista communis. Amant filios et ferae: amant filios aspides, amant filios tigrides, amant filios leones. Nulla enim bestia est, quae non filiis suis blande immurmuret... Ergo qui non amat filios suos etiam leone peior est. Humana sunt ista, et licita sunt »[163].

Epistula 138, 17 laudat opera primorum Romanorum: « Gratias Domino Deo nostro, qui contra ista mala misit nobis adiutorium singulare. Quo enim non tolleret, quem non involveret, in quod profundum non demergeret fluvius iste horrendae nequitiae generis humani, nisi crux Christi in tanta velut mole auctoritatis eminentius firmiusque figeretur; cuius apprehenso robore, stabiles essemus, ne male suadentium, vel in mala impellentium, tam vasto huius mundi gurgite abrepti surberemur? In ista enim colluvie morum pessimorum et veteris perditae disciplinae, maxime venire ac subvenire debuit caelestis auctoritas, quae voluntariam paupertatem, quae continentiam, benevolentiam, iustitiam, atque concordiam, veramque pietatem persuaderet, caeterasque vitae luminosas validasque virtutes; non tantum propter istam vitam honestissime gerendam, nec tantum propter civitatis terrenae concordissimam societatem; verum etiam propter adipiscendam sempiternam salu-

---

163 Sermo 349; ML 39, 1529 s.

tem, et sempiterni cuiusdam populi caelestem divinamque rempublicam, cui nos cives adsciscit fides, spes, caritas: ut quamdiu inde peregrinamur, feramus eos si corrigere non valemus, qui vitiis impunitis volunt stare rempublicam, quam primi Romani constituerunt auxeruntque virtutibus, etsi non habentes veram pietatem erga Deum verum, quae illos etiam in aeternam civitatem posset salubri religione perducere; custodientes tamen quamdam sui generis probitatem, quae posset terrenae civitati constituendae, augendae conservandaeque sufficere. Deus enim sic ostendit in opulentissimo et praeclaro imperio Romanorum, quantum valerent civiles etiam sine vera religione virtutes, ut intelligeretur hac addita fieri homines cives alterius civitatis, cuius rex veritas, cuius lex caritas, cuius modus aeternitas » [164].

S. Fulgentius: « Illa quae lex factorum est, quae hominem iustificare non potest, quia ex operibus legis non iustificabitur omnis caro, potest quidem naturaliter esse et in corde gentium et in corde infidelium Iudaeorum, quae tamen sine fide Christi nullatenus iustificat sectatores suos, sed eos tenet vinculo impietatis obstrictos » [165].

Theologi

Magister sententiarum [166] quaerens « An omnis intentio vel actio infidelium sit mala », duas ponit opiniones: « Cumque intentio, ut supra dictum est, bonum opus faciat, et fides intentionem dirigat, non immerito quaeri potest, utrum omnis intentio omneque illorum opus malum sit, qui fidem non habent. Si enim fides intentionem dirigit, et intentio bonum opus facit, ubi non est fides, nec intentio bona nec bonum opus esse videtur. Quod a quibusdam non irrationabiliter astruitur, qui dicunt, omnes actiones et voluntates hominis

---

164 ML 33, 532, s.; cf. De civ. Dei, 1. 5; ep. 144 nr. 2; ML 33, 591; Mausbach, Die Ethik des hl. Augustinus. Freiburg, 1909, II, 258-265.

165 Ep. 17, 27, 52; ML 65, 484; R 2245.

166 L. 2 dist. 41.

sine fide malas esse, quae, fide habita, bonae exsistunt... Alii vero, qui trifariam distinctionem actuum faciunt, opera cuncta, quae ad naturae subsidium fiunt, semper bona esse astruunt. Sed quod Augustinus mala esse dicit, si malas habeant causas, non ita accipiendum est, quasi ipsa mala sint, sed quia peccant et mali sunt, qui ea malo fine agunt. Item, et illud aliud, scilicet « bonum opus intentio facit, et intentionem fides dirigit » determinant dicentes, ibi bonum vocatum quod remunerabile est ad vitam, non quod illud sit solum bonum opus, immo et alia plura, licet non ea ratione, qua illud fit, sint bona ».

S. Bonaventura in dub. 2 circa litteram Magistri respondet: « Dicendum, quod infideles non peccant in omni sua actione; nam quando eorum actio non repugnat fidei nec bonis moribus, non est ratio aliqua, quare in ea debeat esse peccatum. Quod ergo dicitur in littera quod « omnis vita infidelium est peccatum »; dicendum, quod hoc non dicitur propter hoc, quod omnis actio, quam faciunt in tota vita sua, sit culpabilis et demeritoria, sed hoc ideo dicitur, quia per nullam actionem, quam agunt, liberantur a culpa quamdiu in infidelitate persistunt ».

Ad eundem textum Magistri s. Thomas notat in expositione textus: « Quod a quibusdam irrationabiliter[167] astruitur etc. Si intelligatur, quod quaelibet actio mala sit et peccatum, opinio irrationabilis est; si autem intelligatur, quod quidquid agant, in peccato semper permanent, dum sine fide sunt, opinio rationabilis est ». In quaestione 1 art. 2 dicit: « non oportet, quod omnis eorum actus sit malus; sed solum, quod sit deficientis bonitatis, sicut quamvis equus deficiat a rationalitate quam homo habet, non tamen ideo malus est, sed habet bonitatem deficientem a bonitate hominis ». In Summa 2, 2, q. 10 a. 4 quaerit, utrum omnis actio infidelis sit peccatum, et respondet: « Peccatum mortale tollit gratiam gratum facientem, non autem totaliter corrumpit bonum naturae; unde cum infidelitas sit quoddam peccatum mortale, infideles quidem gratia carent, remanet tamen in eis aliquod bonum naturae; unde mani-

---

[167] Ita edd.; num revera legit s. Thomas « irrationabiliter » pro « non irrationabiliter »?

festum est, quod infideles non possunt operari bona opera, quae sunt ex gratia, scilicet opera meritoria; tamen bona opera, ad quae sufficit bonum naturae, aliqualiter operari possunt; unde non oportet quod in omni suo opere peccent, sed quandocunque aliquod opus operantur ex infidelitate, tunc peccant; sicut enim habens fidem potest aliquod peccatum committere in actu, quem non refert ad fidei finem, vel venialiter, vel etiam mortaliter peccando, ita etiam infidelis potest aliquem actum bonum facere in eo quod non refert ad finem infidelitatis ».

Obiectiones

1) Matth 7, 17 ss. « Sic omnis arbor bona fructus bonos facit; mala autem arbor malos fructus facit. Non potest arbor bona malos fructus facere; neque arbor mala bonos fructus facere ». Ergo peccator non potest bona opera facere.

Resp. *a*) Dominus monet auditores attendere a malis prophetis, « qui veniunt ad vos in vestimentis ovium, intrinsecus autem sunt lupi rapaces ». Tales eos esse cognoscitur ex eorum fructibus (v. 20). Verus propheta a Deo missus, eiusque doctrina non facit fructus malos; sed ii qui se fingunt prophetas, operibus malis se produnt. In contextu ergo sermo non est de nostra quaestione [168].

b) Si textus universaliter intelligitur de operibus peccatorum distingui posset: quae facit qua peccator, conc.; quae facit ille qui est peccator, nego.

c) Ut textus pro opposita sententia aliquid probaret, intelligendus esset universaliter et exclusive, id est, sensus deberet esse: bona arbor non nisi bonos, mala non nisi malos fructus facere potest; et applicatio ad opera hominis esset: iustus non potest nisi bene agere, non potest peccare, peccator autem non potest nisi peccare. Constat autem iustum posse peccare, neque hoc ab adversariis negatur.

2) Hebr 11, 6: « Sine fide autem impossibile est placere Deo ». Ergo infidelium actus Deo non placent, sunt mala. — Resp. Sine fide homo non potest Deo placere, id est venire ad iustitiam, conc.; sine fide omne opus hominis est novum peccatum, nego.

3) Atqui omne opus, quod non est ex fide, est peccatum. Rom 14, 23: « Omne autem, quod non est ex fide, peccatum est ». — Resp. In contextu

---

[168] Cf. Scheeben, Dogmatik, III § 296 nr. 474.

clare sermo est non de fide, qua quis in Christum credit, sed de conscientia eiusque dictamine (v. 2: « alius enim credit se manducare omnia »; cf. 1 Cor 8, 10-12). Si ergo textus applicatur ad opera infidelium, intelligendus est secundum Rom 2, 14 ss., scl. gentes quoque habent legem, cordibus inscriptam; si contra eam agunt, peccant et sunt responsabiles in iudicio Dei. Concilium lateranense IV textum adhibet ad ostendendam necessitatem bonae fidei in praescriptione [169] ergo « non ex fide » idem est quod « non ex bona fide », « sine bona fide » [170].

4) Sed s. Augustinus explicite docet omnia opera extra fidem esse peccata, et applicat in hunc sensum Rom 14, 23.

Resp. *a*) Verum est s. Augustinum illa verba sic applicasse ad ostendendum contra pelagianos gratiam esse necessariam. « Quantumlibet autem opera infidelium praedicentur, eiusdem apostoli sententiam veram novimus et invictam: Omne quod non est ex fide peccatum est. Ideo vero saepe dicit, non ex operibus, sed ex fide, nobis iustitiam deputari, cum potius fides per dilectionem operetur, ne quisquam existimet ad ipsam fidem meritis operum perveniri, cum ipsa sit initium, unde bona opera incipiunt; quoniam ut dictum est, quod ex ipsa non est, peccatum est » [171]. « Non itaque, sicut dicunt nos quidam dicere, et iste audet insuper scribere, omnes in peccatum, veluti inviti, carnis suae necessitate coguntur; sed si iam in ea aetate sunt, ut propriae mentis utantur arbitrio, et in peccato sua voluntate retinentur, et a peccato in peccatum sua voluntate praecipitantur. Neque enim agit in eis etiam qui suadet et decipit, nisi ut peccatum voluntate committant, vel ignorantia veritatis, vel delectatione iniquitatis, vel utroque malo et caecitatis et infirmitatis. Sed haec voluntas quae libera est in malis, quia delectatur malis, ideo libera in bonis non est, quia liberata non est. Nec potest homo boni aliquid velle, nisi adiuvetur ab eo qui malum non potest velle, hoc est, gratia Dei per Iesum Christum Dominum nostrum. Omne enim quod non est ex fide, peccatum est. Ac per hoc bona voluntas quae se abstrahit a peccato, fidelis est; quia iustus ex fide vivit. Ad fidem autem pertinet credere in Christum. Et nemo potest credere in eum, hoc est. venire ad eum, nisi fuerit illi datum. Nemo igitur potest habere voluntatem bonam iustam, nisi nullis praecedentibus meritis acceperit veram, hoc est, gratuitam desuper gratiam » [172]. Ex his exemplis apparet s. Augustinum applicare quidem hunc textum ad opera infidelium, non autem proprie dare exegeticam

---

[169] Denz. 439.

[170] De hoc textu cf. Petrum Lombardum, sent. lib. 3 dist. 39 et scholasticos in hunc locum; Scheeben, Dogmatik, III § 297 nr. 514 ss.

[171] De gestis Pelagii c. 14 nr. 34; ML 44, 341.

[172] Contra duas epist. Pelagianorum lib. 1 cap. 3 nr. 7; ML 44, 553 s.

eius explicationem; in hac autem applicatione textus consensus Patrum non habetur [173].

b) In infidelibus non inveniri veras virtutes s. Augustinus exponit contra pelagianos qui dicunt « alienos a fide abundare virtutibus, in quibus sine adiutorio gratiae, solum est naturae bonum, licet superstitionibus mancipatum, qui solis libertatis ingenitae viribus, et misericordes crebro, et modesti, et casti inveniuntur, et sobrii » [174]. Ad haec Augustinus: « Sed absit ut sit in aliquo vera virtus, nisi fuerit iustus. Absit autem ut sit iustus vere, nisi vivat ex fide: Iustus enim ex fide vivit [175]. Quis porro eorum qui se christianos haberi volunt, nisi soli Pelagiani, aut in ipsis etiam forte tu solus, iustum dixerit infidelem, iustum dixerit impium, iustum dixerit diabolo mancipatum? Sit licet ille Fabricius, sit licet Fabius, sit licet Scipio, sit licet Regulus, quorum me nominibus, tamquam in antiqua Romana curia loqueremur, putasti esse terrendum. Verum tu in hac causa etsi ad scholam Pythagorae provoces vel Platonis, ubi eruditissimi atque doctissimi viri multo excellentiore caeteris philosophia nobilitati veras virtutes non esse dicebant, nisi quae menti quodam modo imprimuntur a forma illius aeternae immutabilisque substantiae, quod est Deus; etiam illic adversus te, quantum donat qui nos vocavit, pietatis libertate clamabo: Nec in istis est vera iustitia. Iustus ex fide vivit. Fides ex auditu, auditus autem per verbum Christi: finis legis Christus ad iustitiam omni credenti [176]. Quomodo sunt vere iusti, quibus vilis est humilitas veri iusti? Quo enim propinquaverunt intelligentia, inde superbia recesserunt: quia cognoscentes Deum, non sicut Deum glorificaverunt, aut gratias egerunt; sed evanuerunt in cogitationibus suis, et obscuratum est insipiens cor eorum. Dicentes enim se esse sapientes, stulti facti sunt [177]. Quomodo est in eis vera iustitia, in quibus non est vera sapientia? Quam si eis tribuerimus, nihil erit causae cur non eos ad illud regnum pervenire dicamus, de quo scriptum est: Concupiscentia sapientiae deducit ad regnum [178]. Ac per hoc Christus gratis mortuus est, si homines sine fide Christi ad fidem veram, ad virtutem veram, ad iustitiam veram, ad sapientiam veram, quacumque re alia, quacumque ratione perveniunt. Prorsus sicut de lege verissime ait Apostolus: Si per legem iustitia, ergo Christus gratis mortuus est [179], ita verissime dicitur: Si per naturam vo-

---

[173] Scheeben l. c. nr. 517.
[174] Contra Iulianum l. 4 nr. 16; ML 44, 744.
[175] Rom 1, 17.
[176] Rom 10, 17. 4.
[177] Rom 1, 21. 22.
[178] Sap 6, 21.
[179] Gal 2, 21.

luntatemque iustitia, ergo Christus gratis mortuus est. Si per doctrinas hominum qualiscumque iustitia, ergo Christus gratis mortuus est. Per quod enim est vera iustitia, per hoc etiam regnum Dei. Deus namque ipse, quod absit, erit iniustus, si ad eius regnum verus non admittitur iustus: cum et ipsum eius regnum iustitia sit, quemadmodum scriptum est: Non est regnum Dei esca et potus, sed iustitia, et pax, et gaudium[180]. Porro si veram iustitiam non habent impii; profecto nec alias virtutes comites eius et socias, si quas habent, veras habent (quia cum non ad suum referantur auctorem dona Dei, hoc ipso mali his utentes efficiuntur iniusti): ac per hoc nec continentia sive pudicitia vera virtus est impiorum »[181].

Nr. 21. « Noveris itaque, non officiis, sed finibus a vitiis discernendas esse virtutes. Officium est autem quod faciendum est; finis vero propter quod faciendum est. Cum itaque facit homo aliquid ubi peccare non videtur, si non propter hoc facit propter quod facere debet, peccare convincitur. Quae tu non attendens, fines ab officiis separasti, et virtutes veras officia sine finibus appellandas esse dixisti. Ex quo te tanta absurditas sequitur, ut veram cogaris appellare iustitiam, etiam cuius dominam reperis avaritiam. Si quidem manus abstinere ab alieno, si officium cogites, potest videri esse iustitiae; sed cum quaeritur, quare fiat, et respondetur: ne plus pecuniae litibus pereat, quomodo iam hoc factum verae poterit esse iustitiae, cum serviat avaritiae? Quales virtutes Epicurus induxit voluptatis ancillas, quae omnino quidquid facerent, propter illam vel adipiscendam facerent vel tenendam. Absit autem ut virtutes verae cuiquam serviant, nisi illi vel propter illum cui dicimus: Deus virtutum, converte nos[182]. Proinde virtutes quae carnalibus delectationibus, vel quibusque commodis et emolumentis temporalibus serviunt, verae prorsus esse non possunt. Quae autem nulli rei servire volunt, nec ipsae verae sunt. Verae quippe virtutes Deo serviunt in hominibus, a quo donantur hominibus; Deo serviunt in Angelis, a quo donantur et Angelis. Quidquid autem boni fit ab homine, et non propter hoc fit, propter quod fieri debere vera sapientia praecipit, etsi officio videatur bonum, ipso non recto fine peccatum est. (22) Possunt ergo aliqua bona fieri, non bene facientibus a quibus fiunt. Bonum est enim ut subveniatur homini periclitanti, praesertim innocenti: sed ille qui hoc facit, si amando gloriam hominum magis quam Dei facit, non bene bonum facit; quia non bonus facit, quod non bona voluntate facit. Absit enim ut sit vel dicatur voluntas bona, quae in aliis, vel in se ipsa, non in Domino gloriatur. Ac per hoc nec eius fructus iste dicendus est; arbor enim mala bonos fructus non facit; sed potius bonum opus est illius, qui etiam per

---

[180] Rom 14, 17.
[181] ML 44, 745 s.
[182] Ps 79, 8.

malos bene facit. Quapropter dici non potest quantum te ista fallat opinio, qua dixisti « omnes virtutes affectus esse, per quos fructuose aut steriliter boni sumus ». Fieri enim non potest ut steriliter boni simus: sed boni non sumus quidquid steriliter sumus. Arbor enim bona bonos fructus facit. Absit autem ut Deus bonus, a quo securis paratur arboribus non facientibus fructum bonum, excidat, et in ignem mittat arbores bonas. Nullo modo igitur homines sunt steriliter boni: sed qui boni non sunt, possunt esse alii minus, alii magis mali »[182 bis].

Et cum Iulianus dixisset steriliter bonos homines, « qui non propter Deum faciendo bona quae faciunt, non ab eo vitam consequuntur aeternam », Augustinus respondet: « Certe quoniam saltem concedis opera infidelium, quae tibi eorum videntur bona, non tamen eos ad salutem sempiternam regnumque perducere; scito nos illud bonum hominum dicere, illam voluntatem bonam, illud opus bonum, sine Dei gratia quae datur per unum Mediatorem Dei et hominum, nemini posse conferri, per quod solum homo potest ad aeternam Dei domum regnumque perduci. Omnia proinde caetera quae videntur inter homines haberi aliquid laudis, videantur tibi virtutes verae, videantur opera bona, et sine ullo facta peccato. Quod ad me pertinet, hoc scio, quia non ea facit voluntas bona: voluntas quippe infidelis atque impia non est bona. Dicantur secundum te huiusmodi voluntates arbores bonae, sufficit quod apud Deum steriles sunt, ac per hoc non bonae; sint inter homines fructuosae, inter quos sunt et bonae, te auctore, te laudatore, si vis etiam plantatore; dum tamen illud velis nolis obtineam, quod amor mundi, quo quisque amicus est huius mundi, non est a Deo; amorque fruendi quibuscumque creaturis sine amore Creatoris, non est a Deo; amor autem Dei quo pervenitur ad Deum, non est nisi a Deo Patre per Iesum Christum cum Spiritu sancto. Per hunc amorem Creatoris bene quisque utitur etiam creaturis. Sine hoc amore Creatoris, nullis quisquam bene utitur creaturis »[183].

Ita s. Augustinus eo loco, in quo de industria hanc quaestionem tractat. Imprimis apparet eum loqui de actibus infidelium mere naturalibus, sine gratia factis; nam argumentum principale est: si inveniretur aliquid boni, esset sine gratia, et Christus gratis mortuus esset. His ergo per se nihil dicitur de actibus infidelium, qui positi essent sub influxu gratiae. Praeterea Augustinus supponit infideles agere voluntate infideli, impia, et hinc eorum actus esse peccata. Defectus illorum actuum, qui videntur esse virtuosi, in eo est, quod non bene facta sunt, quia fiunt propter finem malum (non gloriari in Deo, avaritia, superbia, voluptas). Tandem Augustinus bona opera intelligit opera fructuosa; opera bona

---

182 bis ML 44, 749.

183 Nr. 33; ML 44, 755 s.

sterilia non admittit. Bonum ergo opus illi est, quod confert ad salutem. Haec de iis quae habet in opere contra Iulianum.

Quomodo integra doctrina s. Augustini de operibus infidelium intelligenda et explicanda sit, vario modo a theologis catholicis exponitur. Vix videtur possibile dare unicam explicationem, sive statuere unicum principium, ex quo omnia explicentur; sed diversae explicationes invicem complere debent [184].

a) Opera infidelium sunt peccata, quatenus non solum non sunt ex fide, sed ex infidelitate procedunt. Ita sine dubio saepe in « Contra Iulianum ». Interdum tamen mens s. Augustini videtur esse, praecise propter defectum fidei infidelem iam voluntate infideli agere. S. Bonaventura, in 2 dist. 41 dub. 2; s. Thomas 2, 2 q. 10 a. 4 ad 1: « Verbum illud [185] est intelligendum, vel quia vita infidelium non potest esse sine peccato, cum peccata fide non tollantur; vel quia quidquid agunt ex infidelitate, peccatum est ».

b) Opera infidelium vocantur peccata, quia deest illis illa perfectio, ordinatio ad Deum, quam in praesenti ordine habere deberent. Ita plures catholici contra Protestantes et Iansenistas. Ita quoque multa apud s. Augustinum intelligi possunt.

c) Sicuti homo ante iustificationem in peccato habituali, peccato originali, invenitur, privatus gratia sanctificante, quae privatio habet vere rationem culpae, ita quoque in omnibus actibus talis hominis similis defectus habetur, privati sunt illa bonitate supernaturali, quae adesse deberet, qui defectus simili modo culpabilis est, sicuti ipsum peccatum originale; hinc illi actus recte vocari possunt peccata. Non quidem sunt novum peccatum personale, neque nova culpa, sed comprehenduntur sub culpa peccati originalis. Ita Ernst, quem sequitur Lange.

d) Contra semipelagianos Patres omnino admittebant actus salutares, qui perducunt et praeparant ipsam fidem; ad hos autem actus non poterant supponere iam ipsam fidem formalem sine aperta contradictione; ergo sine dubio agnoscebant actus non peccaminosos ante ipsam fidem proprie dictam. Cum ergo dicunt peccatum esse, quidquid non est ex fide, nomen fidei apud ipsos sensu latiore intelligendum est pro fideli et devota voluntate erga Deum. « Homo quoties honeste agit et sequitur dictamen conscientiae suae, agnoscit super se legem, cui se subicit; haec autem lex est Deus ipse dictans, quid faciendum, quid ommittendum sit.

---

[184] De hac quaestione: Ernst, Die Werke und Tugenden der Ungläubigen nach St. Augustin, Freiburg 1871; Scheeben, Dogmatik, III § 297 nr. 519-545; Mausbach, Die Ethik des hl. Augustinus, Freiburg 1909 II, 258 ss.

[185] Omnis infidelium vita est peccatum.

Ergo homo honeste agens Deo loquenti se subicit. Haec est igitur fides aliqua late dicta, est voluntas fidelis erga Deum et initialis quidam pius credulitatis affectus. Hoc sensu apostolus oboedientiam praestitam dictamini conscientiae vocat fidem: Omne quod non ex fide est, peccatum est »[186]. Ita Scheeben[187] evolvens et immutans sententiam Ripaldae[188] quem (Scheeben) videtur secutus esse Pesch.

5) Homo actibus suis dirigitur vel caritate divina, vel cupiditate mundana, mala; atqui peccator et infidelis, cum caritatem divinam non habeant, necessario ducuntur cupiditate mundana; ergo in omni opere peccant.

Resp. Negandum est suppositum totius argumentationis. Falsum enim est hominem iustum semper agere ex caritate erga Deum; nam potest peccare mortaliter et amittere caritatem, et potest peccare venialiter et manere in caritate. Manet enim ei liberum arbitrium ad bonum et ad malum. Similiter, qui non habet caritatem, liber manet et potest non peccare, idque eo magis, si gratia divina adiuvatur, quae peccatoribus non negatur. Sicuti habitus caritatis non necessario in omnem actum influere debet, ita neque habitus cupiditatis terrenae, si talem peccator acquisiverit.

6) Actus bonus debet ordinatus esse in Deum finem ultimum; atqui infidelis non potest actum suum ordinare in Deum; ergo ex defectu intentionis actus eius semper est malus.

Resp. Dist. mai.: debet explicite ordinari in Deum, nego; implicite, quatenus ponitur ut conformis cum norma honestatis, secundum dictamen conscientiae, conc. Minor potest simpliciter negari; nam infidelis habet vel potest habere cognitionem veri Dei et sic non impossibile ei est actum explicite referre in Deum; si autem nullam cognitionem Dei haberet, non esset sine propria culpa, et in suppositione talis ignorantiae actum quidem non posset explicite in Deum referre. Sed etiamsi non explicite refertur in Deum, actus potest esse honestus, si homo secundum dictamen conscientiae agit. Nam in hac lege in corde omnium hominum inscripta manifestatur voluntas Dei. et homo secundum hanc legem agens, obedit Deo et agit honeste.

---

[186] Pesch, nr. 144.

[187] Pag. 966-976.

[188] De fide disp. 17.

THESIS 10: ***Homo lapsus potest viribus mere naturalibus, sine auxilio gratiae, actus naturaliter honestos ponere.***

Hac thesi quaeritur, quid valeant in ordine morali vires naturales hominis post peccatum originale. Secundum doctrinam novatorum saeculi 16 natura humana per peccatum intrinsecus corrupta est et non iam habet libertatem ad actus bonos; similiter in doctrina Baii et Iansenii homo lapsus sine gratia non potest nisi peccare. De his erroribus magna ex parte iam actum est thesi antecedente. Sed inter theologos catholicos Augustinenses[189] affirmant sine auxilio gratiae omnem actum moralem hominis lapsi, licet ex obiecto et fine proximo possit esse bonus, tamen spectato fine ultimo non esse bonum, sed semper vitiari, saltem per malum amorem suiipsius, per philautiam; in forma magis restricta, qualem Berti proponit, conceditur speculative quidem possibilem esse actum bonum, non autem practice. Haec tamen sententia non videtur admittenda.

« Actus naturaliter honesti »: Cum actus moraliter indifferentes in individuo non habeantur, actus liberi hominis sunt aut moraliter boni aut mali; boni actus per se possunt esse vel supernaturaliter boni, id est actus salutares, vel mere naturaliter boni, id est actus honesti, quibus deest perfectio actibus salutaribus propria; de his actibus in thesi est sermo. Sunt ergo actus naturales, qui naturali normae morum conformes sunt. Thesis non dicit omnes huiusmodi actus poni posse sine auxilio gratiae, sed solum esse tales, qui poni possint.

« Viribus naturalibus, sine auxilio gratiae »: Etiam in statu naturae lapsae vires physicae et morales adsunt, ut illi actus poni possint, sive: isti actus non excedunt vires physicas et morales hominis lapsi. Non ergo requiritur auxilium indebitum gratiae, quo physicae vel morales vires hominis lapsi augeantur.

« Potest »: Agitur solum de potentia, non de quaestione utrum

---

[189] Supra pag. 183 ss.

de facto tales actus inveniantur, an Deus semper gratia sua hominem adiuvet, quamvis hoc auxilium non sit necessarium.

Thesis statuitur ut moraliter certa [190].

Doc. Ecclesiae

S. Pius V, prop. Baii 37: « Cum Pelagio sentit, qui boni aliquid naturalis, hoc est, quod ex naturae solis viribus ortum ducit, agnoscit » [191].

Clemens XI, err. Paschasii Quesnel 2: « Iesu Christi gratia, principium efficax boni cuiuscumque generis, necessaria est ad omne opus bonum: absque illa non solum nihil fit, sed nec fieri po-

---

[190] Interdum adversarius huius thesis citatur *Vázquez* (supra, pag. 185 ss.), ubi tamen attendendum videtur. Quatenus thesis affirmat in natura lapsa inveniri vires physicas et morales ad actus naturaliter honestos, non videtur Vázquez adversari. Nam necessitas « cogitationis congruae » non orta est ex eo, quod natura humana per peccatum infirmata sit, sed in omni ordine inveniretur; neque haec cogitatio congrua secundum modum loquendi Vazquezii propterea rationem gratiae habet, quia homo praecise est in statu naturae lapsae, sed quia ex libera ordinatione Dei procedit, quod ea homini datur. Cum autem haec cogitatio conferatur in ordine ad finem supernaturalem, sicuti tota praesens providentia ad illum finem ordinatur, et cum Christus ipsum finem et omnia quae quocumque modo ad eum perducunt nobis promeritus sit, cogitatio congrua recte secundum ipsum gratia Christi appellari potest. Sed ita non negat hominem cum cogitatione, quae non est congrua, habere potentiam ponendi actum honestum, licet numquam eum positurus sit, sicuti etiam homo cum gratia mere sufficiente vere potentiam ad actum supernaturalem habet, licet cum ea numquam eum positurus sit. Quod autem homo, qui actum naturaliter honestum ponit, de facto habuit cogitationem congruam, non potest negari. Quaestio ergo cum Vazquezio in hac materia proprie ea videtur, utrum iure cogitatio congrua dicenda sit gratia et quidem gratia Christi. — *Ripalda* vero non est contra thesim, cum non neget potentiam, sed affirmet de facto numquam tales actus haberi, sed Deum in tali casu semper gratia sua ita adiuvare, ut actus evadat supernaturalis, salutaris.

[191] Denz 1037.

test »[192]. Error 39: « Voluntas, quam gratia non praevenit, nihil habet luminis nisi ad aberrandum, ardoris nisi ad se praecipitandum, virium nisi ad se vulnerandum, est capax omnis mali et incapax ad omne bonum »[193].

PATRES

S. AUGUSTINUS: « Verumtamen quia non usque adeo in anima humana imago Dei terrenorum affectuum labe detrita est, ut nulla in ea velut lineamenta extrema remanserint, unde merito dici possit etiam in ipsa impietate vitae suae facere aliqua legis vel sapere; si hoc est quod dictum est, quia Gentes quae legem non habent, hoc est, legem Dei, naturaliter quae legis sunt faciunt, et quia huiusmodi homines ipsi sibi sunt lex, et scriptum opus legis habent in cordibus suis, id est, non omni modo deletum est, quod ibi per imaginem Dei, cum crearentur impressum est: etiam sic illa differentia non perturbabitur, qua distat a Vetere Testamento Novum, eo quod per Novum scribitur lex Dei in corde fidelium, quae per Vetus in tabulis scripta est. Hoc enim illic scribitur per renovationem, quod non omni modo deletum est per vetustatem. Nam sicut ipsa imago Dei renovatur in mente credentium per Testamentum Novum, quam non penitus impietas aboleverat; nam remanserat utique id quod anima hominis nisi rationalis esse non potest: ita etiam ibi lex Dei non ex omni parte deleta per iniustitiam, profecto scribitur renovata per gratiam. Nec istam inscriptionem, quae iustificatio est, poterat efficere in Iudaeis lex in tabulis scripta, sed solum praevaricationem.

Nam et ipsi homines erant, et vis illa naturae inerat eis, qua legitimum aliquid anima rationalis et sentit et facit: sed pietas quae in aliam vitam transfert beatam et aeternam, legem habet immaculatam, convertentem animas[194], ut ex illo lumine renoventur, fiat-

---

192 Denz 1352.
193 Denz 1389.
194 Ps 18, 8.

que in eis, Signatum est super nos lumen vultus tui, Domine [195]. Unde aversi obsolescere meruerunt: renovari autem nisi gratia christiana, hoc est, nisi Mediatoris intercessione non possunt. Unus enim Deus, unus et mediator Dei et hominum homo Christus Iesus, qui dedit semetipsum redemptionem pro omnibus. A cuius gratia si alieni sunt illi de quibus agimus, qui secundum illum modum de quo superius satis diximus, naturaliter quae legis sunt faciunt; quid eis proderunt excusantes cogitationes, in die qua iudicabit Deus occulta hominum [196], nisi forte ut mitius puniantur? Sicut enim non impediunt a vita aeterna iustum quaedam peccata venialia, sine quibus haec vita non ducitur: sic ad salutem aeternam nihil prosunt impio aliqua bona opera, sine quibus difficillime vita cuiuslibet hominis pessimi invenitur » [197].

Agnoscit ergo s. Augustinus in gentibus opera honesta, quae sine gratia Christi facta sunt, et quae proinde non conferunt ad salutem; non solum potentiam, sed ipsum etiam factum talium actuum admittit. Eadem doctrina invenitur in textibus in antecedente thesi [198] citatis; cf. De peccatorum meritis et remissione, lib. 1 cap. 22 nr. 31 [199].

S. FULGENTIUS: « Illa quae lex factorum est, quae hominem iustificare non potest, quia ex operibus legis non iustificabitur omnis caro, potest quidem naturaliter esse et in corde gentium et in corde infidelium Iudaeorum, quae tamen sine fide Christi nullatenus iustificat sectatores suos, sed eos tenet vinculo impietatis obstrictos » [200].

---

195 Ps 4, 7.
196 Rom 2, 14-16.
197 De spiritu et littera nr. 48; ML 44, 230.
198 Pag. 192 s.
199 ML 44, 126.
200 Ep. 17, 27, 52; ML 65, 484; R 2245.

RATIO

Augustinenses concedunt potentiam ad actus, quatenus ex obiecto et fine proximo honesti sunt, idque videtur evidens; nam illi actus, utpote naturales, non excedunt physicas vires naturales; praeterea aliqui ex illis adeo faciles sunt, ut potentia quoque moralis ad illos ponendos negari nequeat. « Sane multis hominibus facilius est parentibus debitum amorem exhibere, vera loqui, indigenti ex misericordia eleemosynam dare quam contrarios malos actus ponere » [201]. Sed ipsa quoque ordinatio in ultimum finem quae in actu honesto requiritur adesse potest. Illa enim ordinatio iam sufficit, quae in eo est, quod homo agendo sequatur dictamen conscientiae [202].

Porro negari non potest, naturaliter possibilem esse explicitam quoque ordinationem in Deum finem ultimum. Nam sola naturali ratione homo Deum finem suum ultimum cognoscere potest ita, ut in homine oriatur obligatio Deum colendi, in eum tendendi; nulla autem apparet ratio negandi potentiam, consequenter ad hanc cognitionem actum in se honestum ordinandi in hunc finem ita ut dicendum sit omnes homines moraliter adeo esse corruptos, ut in actu per se honesto necessario avertere se debeant a Deo fine ultimo, eumque actum superbia vel malo amore sui vel alia ratione vitiare. Imago enim Dei non plane detrita est in homine.

Obiectiones

1) Afferuntur textus ss. Patrum, maxime s. Augustini et discipulorum eius, quibus dicitur arbitrium solum ad peccandum valere. E. gr. s. Augustinus: « Neque liberum arbitrium quidquam nisi ad peccandum valet, si lateat veritatis via; et cum id quod agendum et quo nitendum est, coeperit non latere, nisi etiam delectet et ametur, non agitur, non suscipitur, non bene vivitur. Ut autem diligatur, caritas Dei diffunditur in

---

[201] Pesch nr. 125.

[202] Cf. pag. 201 d.

cordibus nostris, non per liberum arbitrium, quod surgit ex nobis, sed per Spiritum sanctum, qui datus est nobis »[203].

Resp. Textus ex parte eo sensu intelligendi sunt, sicuti doctrina, quae dicit omnia quae infideles faciunt esse peccata[204]. Interdum vero talibus verbis enuntiatur hominem nisi gratia adiutus sit, certo pervenire ad peccatum[205].

2) Concilium arausicanum, can. 22: « De his, quae hominum propria sunt. Nemo habet de suo nisi mendacium et peccatum. Si quid autem habet homo veritatis atque iustitiae, ab illo fonte est, quem debemus sitire in hac eremo, ut ex eo quasi guttis quibusdam irrorati non deficiamus in via »[206].

Resp. Canon est sententia 323 ex illis, quas Prosper ex operibus s. Augustini delibavit[207]; invenitur in tractatu 5 in Ioannis evangelium: « Sicut Dominus voluit, ad diem promissionis nostrae pervenimus; praestabit etiam hoc, ut ad ipsius promissionis redditionem pervenire possimus. Tunc enim ea quae dicimus, et nobis et vobis si utilia sunt, ab ipso sunt; quae autem ab homine sunt, mendacia sunt; sicut ipse dixit Dominus noster Iesus Christus: Qui loquitur mendacium, de suo loquitur[208]. Nemo habet de suo, nisi mendacium et peccatum. Si quid autem homo habet veritatis atque iustitiae, ab illo fonte est, quem debemus sitire in hac eremo, ut ex eo quasi guttis quibusdam irrorati, et in hac peregrinatione interim consolati, ne deficiamus in via, venire ad eius requiem satietatemque possimus. Si ergo qui loquitur mendacium, de suo loquitur, qui loquitur veritatem, de Deo loquitur. Verax Ioannes, veritas Christus; verax Ioannes, sed omnis verax a veritate verax est: si ergo verax est Ioannes, et verax esse homo non potest, nisi a veritate; a quo erat verax, nisi ab eo qui dixit: Ego sum veritas? »[209].

De sensu canonis 22 inter catholicos disputatur[210]. Ernst eum vult intelligere secundum suam explicationem doctrinae s. Augustini omnia opera infidelium esse peccata[211]. — Scheeben censet, sermonem non esse speciatim de homine in statu naturae lapsae, sed de homine in genere,

---

203 De spir. et littera, c. 3 nr. 5; ML 44, 203; R 1729.

204 Supra pag. 201 s.

205 Cf. thesim sequentem.

206 Denz 195.

207 ML 45, 1887.

208 Io 8, 44.

209 ML 35, 1414.

210 Ernst, Die Werke und Tugenden der Ungläubigen nach S. Augustin, 1871, 228-253; Scheeben, Dogmatik, III § 298 nr. 557-567; De Blic, Sur le canon 22 du concile d'Orange. Gregorianum 7 (1926) 396-402.

211 Supra pag. 201 c.

et sensum esse: si homo de suo agit, id est secundum proprium iudicium et propriam voluntatem, et non secundum iudicium et voluntatem Dei, peccat; nam non est veritas neque bonitas, nisi dependenter et sub influxu fontis omnis veritatis et bonitatis, Dei. Hinc etiam canon 23: « De voluntate Dei et hominis. Suam voluntatem homines faciunt, non Dei, quando id agunt, quod Deo displicet; quando autem id faciunt, quod volunt, ut divinae serviant voluntati, quamvis volentes agant quod agunt, illius tamen voluntas est, a quo et praeparatur et iubetur quod volunt » [212]. — De Blic interpretatur: Id quod homo ut proprium habet, est solum peccatum; iustitia ipsi venit ex gratia [213].

De sententia P. Vázquez. Verum est in hac sententia, sine gratia congrua nullum fieri actum honestum; praeterea, sicut omnia quae in mundo sunt et accidunt, ita quoque sub providentia divina esse, si homo cogitationem congruam prae incongrua habet; porro cogitationem congruam maius bonum et maius beneficium esse, quam cogitationem non congruam. Et haec omnia ut patet a theologis conceduntur.

Sed quaeri potest, utrum haec iam sufficiant ad hoc, ut omnis cogitatio congrua vere sit gratia, donum indebitum, immo gratia, quam Christus in cruce nobis promeruit. Hoc generatim a theologis negatur, et iure quidem, si sermo est de cogitatione congrua, quae secundum communem cursum naturae oritur, id est de tali, quae non speciali interventu divino adducitur; si enim hoc obtineret, haberetur donum secundum modum supernaturale.

Multae autem cogitationes congruae in hominibus inveniuntur secundum communem omnino cursum naturae; plura enim sunt honesta, quae naturaliter homini adeo placent, ut ea facere quoque velit. Ita non videtur speciale et indebitum beneficium esse, si filii

---

212 Denz 196.

213 « Pour conclure cette étude sur le canon 22 d'Orange, on peut dire, semble-t-il, que, du fait du titre apposé à ce texte par saint Prosper, comme du fait de son contexte chez saint Augustin, il ne peut pas être considéré comme une déclaration touchant l'impuissance de l'homme à éviter le mal. Interprété strictement il ne signifie qu'une chose: L'homme n'a en propre que son péché. Sa justice lui vient de la grâce. En fait, quelle que soit la raison de ce fait, tout ce que nous faisons de bien, vient de Dieu; ce qui nous appartient, c'est le mal ». Pag. 402.

cognoscant parentes esse diligendos, et quod hoc tantum iis placeat, ut etiam de facto eos ament. Videretur monstrum esse homo, cui secundum communem cursum naturae nullum bonum honestum placeret; multo minus tale quid affirmari potest de toto genere humano. Pertinet ad providentiam naturaliter debitam, ut homini veniant cogitationes congruae et non solum incongruae. Ita ergo cogitatio congrua est aliquid, quod perfecte intra ordinem mere naturalem continetur, tum quoad substantiam, tum quoad modum quo oritur. Haec autem cogitatio congrua debita est non solum generi humano, sed etiam aliqua ratione singulis individuis.

Ex eo vero, quod a Deo petere possumus cogitationes congruas et pro illis ei gratias agere, non sequitur, ut sint gratiae sensu proprio; non enim omnia quae a Deo peti et pro quibus gratiae agi possunt, habent rationem gratiae sensu proprio. Ita potest quis petere sanitatem et alia bona physica, quae tamen propterea non debent esse gratia.

Verum est omnia in praesenti ordine providentiae aliqua ratione ordinari tandem aliquando ad finem supernaturalem, id quod etiam valet de cogitatione congrua. Sed sicuti propterea non omnia beneficia Dei sunt gratia, quae ex meritis Christi datur, ita neque cogitatio congrua.

Quae dicta sunt valent de cogitatione congrua sensu illo universali uti doctrinam suam statuit Vázquez; his tamen non affirmatur cogitationem congruam nunquam dari aut dari posse propter merita Christi; hoc concedi potest, ut Suárez dicit, si illa cogitatio congrua aliquomodo ad vitam aeternam conducit, sive per se, sive per accidens, removendo prohibens, e. gr. impediendo peccatum [214].

De sententia P. Ripalda [215]. In suo opere « De ente supernaturali » [216] ita statuit: « Quotiescumque homo agit quod sibi datum est, ut actum virtutis naturalem efficiat, iam adesse antecedenter

---

[214] De tota hac quaestione vide Suárez, De gratia, l. 1 c. 12 ss.

[215] Fusius de ea disputat, afferendo et diiudicando rationes pro et contra Palmieri, De gratia actuali, pag. 254-268.

[216] Disp. 20 sect. 2.

Deum auxilio intrinsece supernaturali gratiae, ut vel eum actum intrinsece naturalem, extrinsece supernaturalem ac subinde salutarem edat, vel simul cum actu intrinsece naturali etiam alium eiusdem virtutis intrinsece supernaturalem eliciat circa idem obiectum formale, quod utrique actui naturali ac supernaturali commune est: atque ita nullus sit conatus moraliter bonus naturae, quem aliqua gratia supernaturalis non praeveniat ». « In mea sententia absolute verum est, ad quodlibet bonum opus morale, sive ad quemlibet virtutis moralis actum necessarium esse per se naturae rationali elevatae auxilium theologicum gratiae, de quo Concilia ac Patres Ecclesiae adversus gratiae hostes disseruerunt » [217].

Palmieri de hac sententia iudicat: « Nobis sententia Ripalda accepta secundum amplissimam suam universalitatem nequit persuaderi... Si tamen ad solos fideles coarctetur: cum nulla argumenta obstent et pro hac hypothesi maxime valeant rationes Ripalda, eam censemus veram esse. Nec praeterea negamus auxilia naturalia gratuita gentibus semper praesto esse, quae sint extrinsece supernaturalia ex merito Christi data » [218]. Pesch [219] censet: « Facilius haec sententia admitti potest, si restringitur ad solos fideles, quam si extenditur etiam ad infideles; quia secus difficulter explicatur, cur nullus homo adultus sine fide proprie dicta iustificari possit ».

THESIS 11: ***Peccator adultus sine gratia non potest diu observare totam legem naturalem quoad substantiam; tales enim occurrunt tentationes, quas honeste propriis viribus superare nequit.***

Per peccatum Adae genus humanum donum integritatis perdidit; homo secundum corpus et animam in deterius commutatus est. Licet natura intrinsecus non sit corrupta, homo tamen vulneratus est in naturalibus, cum laesa sit illa harmonia, quae dono integritatis habebatur. Adeo infirmus est homo, ut sine gratia certo perveniat ad peccatum mortale. De hac infirmitate vel de necessitate gra-

---

217 Sect. 3.
218 Pag. 268.
219 Nr. 127.

tiae ad medendum huic infirmitati in praesente thesi sermo est. Gratia necessaria est, ut homo liber maneat a peccato mortali.

« Peccator adultus »: homo vere adultus, qui habet sufficientem cognitionem legis naturalis; qui est in statu peccati, et quidem proxime intelligitur peccatum originale; agitur enim de illa infirmitate, quae in praesenti ordine est ex peccato originali. Haec infirmitas per peccata personalia augeri potest.

« Totam legem naturalem »: Lex naturalis illa est, quae omnium hominum corde inscripta est, quam adultus ignorare non potest, quae se manifestat in dictamine conscientiae. Definiri solet: voluntas divina ordinem naturalem observare iubens, perturbare vetans. Vocatur lex naturalis, quia cum natura, per naturam, in natura datur; ita dicitur in distinctione ad legem positivam. Thesis agit de observanda hac lege tota; quia ad observandum unum vel alterum praeceptum non adest vel probari potest tanta difficultas.

« Observare quoad substantiam »: Lex observari dicitur quoad substantiam, cum observatur quoad id, quod praecipit, vel prohibet, sed non tali modo, illa perfectione, quae requiritur, ut opus sit salutare; hinc quoad substantiam observare est idem quod « mere honeste », sive « non salutariter » observare.

« Diu »: Ad diem et horam determinari non potest, sed significat tempus quod moraliter pro longiore tempore habetur, e. g. plures menses, vel annum.

« Non potest »: Non est sermo de impotentia physica; nam quod lex naturalis praescribit, non potest excedere vires physicas huius naturae. Agitur ergo de impotentia morali, id est de magna difficultate faciendi id, quod physice non est impossibile. Haec impotentia infra magis explicatur.

« Sine gratia »: Sine auxilio divino indebito. Non agitur de gratia inquantum dat posse physicum actus [220], sed de auxilio, quod iuvat contra illam impotentiam moralem, quae ex infirmitate naturae provenit; est ergo gratia medicinalis contra illam infirmitatem, et quatenus aliquo modo vulnerationem sanat, gratia sanans vocatur.

---

220 Gratia elevans.

Verba thesis hucusque explicata affirmant ipsum factum, in homine talem impotentiam inveniri. Moralis autem impotentia supponit difficultates speciales, quas superare non potest homo. Verba thesis quae sequuntur indicant, unde habeantur istae difficultates, vel in quo consistant.

« Tentatio » est sollicitatio ad peccandum, vel impediendo actum bonum faciendum, vel alliciendo ad actum malum committendum; oritur vel ab ipsa natura corrupta (concupiscentia rebellis), vel a mundo, vel a diabolo [221]. Potest esse tentatio tum ad peccatum mortale, tum ad veniale; in thesi intelligitur solum ad peccatum mortale.

« Gravis » illa tentiatio est, quae magnam parat difficultatem. Non ergo gravis dicitur ratione obiecti ad quod allicit, ac si esset gravis tentatio ea, quae est ad peccatum mortale, levis ea quae est ad veniale; sed potest esse tentiatio levis ad peccatum mortale, et tentatio gravis ad peccatum veniale. Haec magna difficultas in eo plerumque est, quod vehementer alliciat ad peccatum et simul diutius perduret; ergo magna est ratione intensitatis et durationis. « Igitur tentatio levis dicitur, quae vel ex parte intellectus parvam, vel inefficacem habet suasionem, vel ex parte appetitus debilem inclinationem, vel etiam est levis, quae ad momentum seu brevissimo tempore durat, quamvis alioquin intensa, seu vehemens videatur; gravis autem dicitur, quae pertinaciter suadet multo tempore, constanter, ac moleste, poteritque hoc titulo gravis censeri, etiam si pro singulis temporibus non sit admodum vehemens, dummodo aut suasio sit per se magna, aut cum passione aliqua, et inclinatione sit coniuncta. Hi autem gradus tentationum non possunt certa regula, vel gradu definiri, sed prudenti arbitrio pensandi sunt, et maxime considerandi sunt per comparationem ad eum, qui tentatur. Nam aliqua tentatio erit gravis uni, quae alteri esset levis, propter varias eorum complexiones, ingenia, mores, vel doctrinam, quae omnia ponderanda sunt » [222].

---

221 Conc. tridentinum s. 6, cap. 13; Denz 806; Iac 1, 4; Matth 4, 3; S. Th. 1, 2 q. 144 a. 2.

222 Suárez, De gratia lib. 1, cap. 23 nr. 2.

« Occurrunt »: non semper et continuo, sed intelligendum est simili modo quo supra « diu », scilicet nemo diu liber manet a tentatione.

« Videtur dubium manere, num revera omnis homo adultus interdum gravibus tentationibus incitetur ad transgrediendam legem divinam in re gravi. Nam videntur esse homines tam pacati, ut nullos vehementes passionum motus sentiant. Ad hoc dicendum est: Si excipimus eos, qui vel naturali indole vel ex morbo vel senio sunt tam imbecilli, ut nihil iis magnopere curae sit, omnes homines naturaliter suas habent vitiosas inclinationes, quibus data occasione commoventur, alius ad avaritiam, alius ad iram, alius ad delectationes carnales, alius ad prigritiam in explendis status sui officiis, alius ad laedendam caritatem lingua vel opere, alius ad alia peccata, ut de omnibus valeat: « Caro concupiscit adversus spiritum, spiritus autem adversus carnem » (Gal 5, 17; cf. Eph 6, 10 sqq.). « Labora sicut bonus miles Christi... Nam et qui certat in agone, non coronatur, nisi legitime certaverit » (2 Tim 2, 3. 5). Quare concilium tridentinum sess. 6, c. 13 omnes monet verbis apostoli: « Verumtamen qui se existimant stare, videant, ne cadant (1 Cor 10, 12), et cum timore ac tremore salutem suam operentur (Phil 2, 12)... Formidare enim debent, scientes, quod in spem gloriae et nondum in gloriam renati sunt, de pugna, quae superest cum carne, cum mundo, cum diabolo » (Denz. n. 806). Potest quidem accidere, ut quis per totam vitam immunem se servet a peccato gravi; potest etiam accidere, ut quis post pugnam diu fideliter superatam perveniat ad tantam quietem, ut non iam sentiat tentationes valde molestas. At hoc ipsum est speciale Dei donum, ut ait S. Augustinus: « O tu, qui dicis te non multa crimina commisisse, quare? quo regente?... Hoc tibi dicit Deus tuus: Regebam te mihi, servabam te mihi » (Serm. 99, c. 6; M 38,598) »[223].

« Honeste superare »: Tentatio superari potest

a) ex motivo malo; e. g. non se inebriare ad committendum homicidium: male superat; ad hoc neque requiritur neque datur gratia;

b) ex motivo honestatis supernaturalis, e. g. ex amore Dei: salutariter superat; ad hoc gratia elevans requiritur;

c) ex motivo honestatis naturalis; e. g. ex amore naturali bonitatis oppositae: honeste superat; de hoc est sermo in thesi.

---

223 Pesch, 5,133.

Haec de sensu thesis; quaedam adhuc remanent notanda vel ulterius explicanda.

1) Non quaeritur, utrum de facto unquam homo in tali tentatione sine auxilio necessario gratiae inveniatur; hoc non obtinere ostendetur in ultima parte tractatus, ubi de distributione gratiarum sermo est. Ergo ex experientia neque pro thesi neque contra eam stricte quidquam probari potest.

2) Ulterior explicatio impotentiae. Uti iam dictum est, impotentia non est physica; ea ab illis solum asseri posset, qui dicerent naturam humanam per peccatum originale intrinsecus corruptam esse. Est ergo impotentia moralis, magna difficultas ponendi actum, quae ex vehementia tentationis et eius diuturnitate oritur. Facile intelligitur hominem cuius cognitio omnis a sensu incipit et quae semper materiae ligata est, multo facilius et clarius sensibilia cognoscere, quam spiritualia et consequenter voluntatem magis inclinari et affici a bonis sensibilibus, quam a bonis pure spiritualibus. Hinc per se iam cognitio boni spiritualis eiusque amor cum aliqua difficultate coniunctus est, si comparatur cum cognitione et amore rerum sensibilium; inde iam incipere potest aliqua pugna inter carnem et spiritum, si bonum sensibile est homini illicitum. Si deinde illae res sensibiles illicitae maiore vivacitate et claritate proponuntur, specialis conatus necessarius est, ut homo ab his rebus sese avertat ad consideranda spiritualia, qui conatus iam satis difficilis esse potest. Crescit difficultas, si accedit directa sollicitatio ex parte hominum, vel etiam ex parte diaboli ita ut moraliter vix possibile sit homini perseverare in considerandis bonis spiritualibus. Fortasse homo fortis per breve tempus talem impugnationem vincere potest, sed si tentatio diu perdurat, iterum et iterum de novo exsurgit, fortitudo hominis minuitur, homo defatigatur, ita ut tandem summa sit difficultas, moralis impotentia diutius resistendi: homo cedit tentationi.

Haec est impotentia moralis antecedens; sed quamdiu iudicium hominis non vere turbatur, vel tollitur, et homo non est ad unum determinatus, tamdiu manet libertas et quamdiu haec adest, manet relate ad particularem actum possibilitas actus oppositi, et nondum affirmari potest impotentia absoluta.

Homo autem durante illa pugna defatigatur, intellectus obscuratur, voluntas debilitatur, et res eo pervenit, ut homo non amplius tanta voluntate resistat, quanta per se posset; voluntas contraria tentationi tam debilis fit, ut, quae in aliis circumstantiis fortasse sufficeret, non iam sufficiat in tam vehementi et diuturna impugnatione. Sic ultimo impotentia vincendi tentationem inde est, quod homo de facto non iam ita velit ut possit. Consequenter ad huiusmodi infirmam voluntatem adest absoluta impotentia. Ergo impotentia ut absoluta non est mere antecedens, sed consequens ad hanc infirmam liberam voluntatem. Ita S. Augustinus: « Tantum quippe Spiritu Sancto accenditur voluntas eorum (scl. sanctorum), ut ideo possint, quia sic volunt; ideo sic velint, quia Deus operatur, ut velint. Nam si in tanta infirmitate vitae huius, (in qua tamen infirmitate propter elationem reprimendam perfici virtutem oportebat), ipsis relinqueretur voluntas sua, ut in adiutorio Dei sine quo perseverare non possent, manerent si vellent, nec Deus in eis operaretur ut vellent, inter tot et tantas tentationes infirmitate sua voluntas ipsa succumberet, et ideo perseverare non possent, quia deficientes infirmitate nec vellent, aut non ita vellent infirmitate voluntatis, ut possent. Subventum est igitur infirmitati voluntatis humanae, ut divina gratia indeclinabiliter et insuperabiliter ageretur; et ideo quamvis infirma, non tamen deficeret, neque adversitate aliqua vinceretur » [224].

Ab hac quaestione, in quo scl. consistat impotentia et quomodo explicanda sit, omnino distinguenda est alia quaestio, unde sciamus omnes homines in praesenti ordine tam impotentes esse, ut sine auxilio gratiae peccarent. Hanc cognitionem haurimus ex revelatione; Deus enim scit, quid homines facturi essent sub variis conditionibus. Hinc bene Pesch: [225] « Nos quidem non omnium hominum voluntates tam perfecte cognoscimus, ut a priori possimus dicere nullum hominem satis velle, ut possit, sed hoc discimus ex revelatione divina. Neque tamen dicendum est hanc absolutam impotentiam esse solum consequentem ad praevisionem Dei, ut recte notat Suá-

---

224 De correptione et gratia, cap. 32, nr. 38; ML 44, 939 s.

225 5,167.

rez (l. 1, c. 24, n. 24 sq.), sed est consequens ad defectum fortitudinis humanae seu amoris boni honesti, nota autem est per praevisionem et revelationem Dei; praevisio enim Dei non facit impotentiam, sed manifestat ».

In explicatione data manet libertas hominis. Nam impotentia in quantum est antecedens, non est absoluta, et relinquit possibilitatem actus oppositi; absoluta autem impotentia, qua actus oppositus absolute excluditur, est consequens liberam infirmam voluntatem hominis; necessitas ergo succumbendi tentationi in nullo signo antecedente usum liberi arbitrii est absoluta, et ita libertas hominis non tollitur.

3) Quale auxilium requiritur? Sequitur ex natura impotentiae, quam auxilium debet sanare. Moralis illa infirmitas in eo fundatur, quod intellectus difficilius cognoscat spiritualia et magis inclinetur ad sensibilia; remedium oppositum ergo est facilior et clarior cognitio boni spiritualis et maior inclinatio voluntatis in illud. Si homo in tentatione fatigatus iam in eo est, ut non iam ita velit, ut possit, et in tali conditione eius attentio per specialem illuminationem intellectus ad consideranda bona spiritualia dirigitur, et in voluntate maior inclinatio ad tale bonum oritur, iam habetur remedium contra illam infirmitatem. Ergo auxilium est illuminatio intellectus et inspiratio voluntatis [226].

4) Qua ratione hoc auxilium est gratuitum? In hac quaestione supponitur esse de facto illud auxilium gratuitum, indebitum, esse veram gratiam Christi, id quod positive probatur. Non est per se necessarium, ut illud auxilium, illuminationes intellectus et inspirationes voluntatis, sit entitative supernaturale. Agitur enim non de actibus salutaribus, de tentatione superanda salutariter, sed mere honeste, et ipsa infirmitas hominis sanari potest per se in singulis actibus per auxilium entitative naturale; ergo ex eius entitativa su-

---

[226] Potest Deus providentia sua vitam alicuius hominis ita dirigere, ut non oriantur tentationes tales, quibus homo sine gratia succumberet; haec providentia sine dubio esset donum indebitum, sed non posset dici illa gratia, de qua nunc quaeritur, quae scl. requiritur, cum revera tentatio adest. — Huc non pertinet quaestio, utrum gratia habitualis requiratur vel sufficiat, quia agitur de tentatione a peccatore honeste superanda.

pernaturalitate gratuitas huius auxilii derivari per se non potest. Sed auxilium entitative naturale potest esse indebitum secundum modum, quo confertur: auxilium supernaturale secundum quid, et hinc vera gratia. Deus confert talem illuminationem intellectus et talem inspirationem voluntatis, quales sub concretis circumstantiis per cursum naturalem causarum naturalium non haberentur; ergo praeter communem et ordinarium cursum naturae illas cogitationes et inclinationes voluntatis indit; sunt ergo supernaturales quoad modum et ita indebitae. Cum quidquid habet rationem gratiae in praesenti ordine ex meritis Christi conferatur, illae quoque illuminationes intellectus et inspirationes voluntatis sunt vere gratia Christi Redemptoris.

Suárez: « Est ergo haec motio, ut hic breviter dicam, vel illuminatio intellectus, qua melius et fortius repraesentatur obiectum, quam per communem cursum causarum possit, vel motus aliquis voluntatis, quo Deus facit suavem illam resistentiam, vel terret ab illo malo, ut Augustinus dixit in homil. 24 et 50. Dixi autem motionem dari debere aliquo modo supernaturalem, quia ad effectum, de quo tractamus, non semper est necesse, ut sit supernaturalis in entitate sua, quia effectus non est adeo excellens. Sufficit ergo ut modo supernaturali conferatur; consistit autem ille modus in hoc, quod talis, ac tanta consideratio, vel affectio, aut inordinatio in tali occasione et puncto fieri non posset per communem cursum naturalium causarum, vel per humanam industriam eius, qui tentationem patitur, comparari. Et ideo illa motio habet veram rationem gratiae, praesertim si detur in ordine ad finem supernaturalem, sicut nunc datur » [227].

Ex eo, quod dictum est, auxilium medicinale non debere esse entitative supernaturale, non sequitur, ut illud non possit esse vel non sit de facto entitative supernaturale. Si autem auxilio entitative supernaturali tentatio vincitur, actus non solum naturaliter honestus est, sed salutaris. Ita Billot [227 bis] qui gratiam supernaturalem quoad modum tantum non putat esse admittendam, sed omne auxilium gratiae censet esse entitative supernaturale. Similiter Ripalda docuerat. Secundum alios vero gratia, quae fidelibus ad superandam

---

[227] De gratia l. 1 c. 24 nr. 20.

[227 bis] De gratia Christi, pag. 79 ss.

tentationem conceditur, semper est entitative supernaturalis; sed non videtur adesse sufficiens ratio hoc simpliciter negandi quoad eos, qui nondum credunt, sed potius assumendum est, illis quoque, saltem interdum, gratias entitative supernaturales concedi ad superandas tentationes. Si autem gratia est entitative supernaturalis, ergo non solum sanans, sed etiam elevans, multo magis apparet eam esse donum gratuitum.

Attamen in omni suppositione videtur illud auxilium aliquatenus esse debitum. Nam Deus debet homini dare illa auxilia, sine quibus homini absolute impossibile est legem naturalem observare, peccata personalia mortalia evitare. Agitur enim de aliqua impotentia quae in ipsa natura hominis fundatur, et quae eadem vel similis esset vel esse posset in statu naturae purae, in quo sine dubio tale auxilium naturae debitum fuisset.

Ad hoc aliqui theologi respondent, hanc infirmitatem, licet eadem vel similis in ordine naturae purae fuisset, in praesenti tamen ordine ex peccato provenire, et propterea provocari non posse ad ea, quae in statu naturae purae futura fuissent. In praesenti enim ordine per peccatum homo omnem exigentiam illius auxilii amisit, quod ei in statu naturae purae debitum fuisset.

Hoc responsum supponit, posse hominem propter solum peccatum originale essentialiter damnum pati in iis, quae ipsa natura exigit, et quae sic ad naturam pertinent. Sed oppositum principium verius videtur et longe communius a theologis adhibetur in quaestione de sequelis peccati originalis pro altera vita [228]. Consequenter ergo dicendum est, etiam in hac vita hominem propter solum peccatum originale iis non privari, quae natura ipsa per se exigit, sine quibus absolute impossibile est vitare peccatum personale mortale.

Ergo dicendum est: debitum est homini, qui est in solo peccato originali, qui nondum commisit peccata personalia, ut non sit in illa absoluta impotentia vitandi peccatum mortale; debet habere possibilitatem peccatum vitandi: debetur ei auxilium, quo possit peccatum vitare. Non autem debetur illi auxilium aliquod,

---

[228] Cf. doctrinam de limbo parvulorum.

quod sit secundum modum vel etiam entitative supernaturale, quale in praesenti ordine de facto datur. Hoc auxilium supernaturale, sive quoad modum, sive entitative, in praesenti ordine illud quoque praestat, quod in ordine naturae purae auxilium mere naturale praestitisset. Et sic verum manet illud auxilium medicinale, quod in praesenti ordine propter merita Christi datur, esse vere indebitum, vere gratiam. Quamdiu homo est in solo peccato originali, auxilium medicinale, gratia sanans, semper illi praesto est, et sic de facto tali homini non est impossibile, vitare peccatum mortale. Si autem homo peccata personalia commisit, per propriam culpam se indignum fecit favore divino; utrum autem et quousque etiam tali homini Deus gratiam suam offerat, dicendum est in ultima parte, quae est de distributione gratiae [229].

Adversantur thesi pelagiani de quibus s. Augustinus dixit: « Hi Dei gratiae... in tantum inimici sunt, ut sine hac posse hominem credant facere omnia divina mandata » [230].

Qualificatio huius thesis. Suárez: « Solet autem interrogari, quam sit certa haec assertio. In quo omnes theologi, praesertim moderni, docent, esse certam et indubitatam, quia contrarium multum accedit ad errorem Pelagii. Difficultas autem est, an simpliciter sit de fide; aliqui enim affirmant propter testimonia Pauli et conciliorum, quae adduximus. Ita sentit Medina ad art. 4 et 8 D. Thom. supra citatos, quem nonnulli moderni imitantur. At vero Soto dicto cap. 21 non putat esse de fide, quia testimonia adducta habent aliquam interpretationem non omnino improbabilem, et sequitur Torens. libro 1 Confessionis Augustinian. capite tertio. Et indicat etiam Valent. 2. tomo disput. 8. quaest. 1. punct. 5. § 2. quia solum ut opinionem Theologicam illam tradit. Et mihi etiam videtur, non esse simpliciter de fide, quia non invenio expressam et specificam Ecclesiae definitionem huius dogmatis sub his terminis propositi,

---

[229] Utrum sint et quot sint homines adulti in solo peccato originali, determinandum non est in hac thesi; sententia autem aliquorum priorum theologorum, hominem sub gravi esse obligatum sese convertendi ad Deum quam primum venit ad usum rationis, eumque graviter peccare, si hoc non fecerit, nulla ratione probari potest.

[230] Supra pag. 12.

scilicet de observatione omnium praeceptorum legis naturae solum quoad vitanda peccata illis contraria. Definitiones autem generales supra adductae habent evasiones supra etiam positas, quae licet sufficienter refellantur, non tamen ita evidenter, ut certum de fide sit, hoc particulare dogma sub illa generali definitione contineri. Ideoque satis est dicere, doctrinam hanc esse conclusionem theologicam adeo certam, ut contraria non solum iam temeraria sit, sed etiam errori proxima »[231]. Idem hodie dici potest: non constat certo de definitione; thesis, abstrahendo ab ulteriore explicatione inter theologos controversa, saltem ut theologice certa statuenda est.

Doc. Ecclesiae

Indiculus plura huc spectantia iam collegit: « Cap. 3. Neminem etiam baptismatis gratia renovatum idoneum esse ad superandas diaboli insidias et ad vincendas carnis concupiscentias, nisi per quotidianum adiutorium Dei perseverantiam bonae conversationis acceperit. Quod eiusdem antistitis (Innocentii I) in eisdem paginis[232] doctrina confirmat dicens: Nam quamvis hominem redemisset a praeteritis ille peccatis, tamen sciens iterum posse peccare, ad reparationem sibi, quemadmodum posset illum et post ista corrigere, multa servavit, quotidiana praestans illi remedia, quibus nisi freti confisique nitamur, nullatenus humanos vincere poterimus errores. Necesse est enim, ut quo auxiliante vincimus, eo iterum non adiuvante vincamur »[233].

« Cap. 7. Illud etiam, quod intra Cartaginensis synodi[234] decreta constitutum est, quasi proprium Apostolicae Sedis amplectimur, quod scilicet tertio capitulo definitum est: Ut quicunque dixerit, gratiam Dei, qua iustificamur per Iesum Christum Dominum nostrum, ad solam remissionem peccatorum valere, quae iam commissa sunt, non etiam ad adiutorium, ut non committantur, A. S.

---

231 De gratia l. 1, cap. 26, nr. 12.
262 Epist. 29 « In requirendis », nr. 6; ML 20, 586; vide supra pag. 10.
233 Denz 132.
234 Anno 418; supra pag. 10.

Et iterum quarto capitulo: Ut quisquis dixerit, gratiam Dei per Iesum Christum propter hoc tantum nos adiuvare ad non peccandum, quia per ipsam nobis revelatur et aperitur intelligentia mandatorum, ut sciamus, quid appetere et quid vitare debeamus, non autem per illam nobis praestari, ut quod faciendum cognovimus etiam facere diligamus atque valeamus, A. S. Cum enim dicat Apostolus: Scientia inflat, caritas vero aedificat, valde impium est, ut credamus, ad eam, quae inflat, nos habere gratiam Christi, et ad eam, quae aedificat, non habere, cum sit utrumque donum Dei, et scire, quid facere debeamus, et diligere, ut faciamus, ut aedificante caritate, scientia non possit inflare. Sicut autem de Deo scriptum est: Qui docet hominem scientiam, ita scriptum est etiam: Caritas ex Deo est.

Item quinto capitulo: Ut quisquis dixerit, ideo nobis gratiam iustificationis dari, ut, quod facere per liberum iubemur arbitrium, facilius possimus implere per gratiam, tanquam et si gratia non daretur, non quidem facile, sed tamen possimus etiam sine illa implere divina mandata, A. S. De fructibus enim mandatorum Dominus loquebatur, ubi non ait: Sine me difficilius potestis facere, sed ait: Sine me nihil potestis facere » [235].

Conc. arausicanum, can. 10: « Adiutorium Dei etiam renatis ac sanatis semper est implorandum, ut ad finem bonum pervenire, vel in bono possint opere perdurare » [236].

Conc. tridentinum de ipsis iustis dicit: « Formidare enim debent, scientes, quod in spem gloriae et nondum in gloriam renati sunt, de pugna, quae superest cum carne, cum mundo, cum diabolo, in qua victores esse non possunt, nisi cum Dei gratia Apostolo obtemperent dicenti: Debitores sumus non carni, ut secundum carnem vivamus. Si enim secundum carnem vixeritis, moriemini. Si autem spiritu facta carnis mortificaveritis, vivetis » [237].

In his textibus sine dubio dicitur hominem sine gratia Christi non posse observare mandata Dei, vincere in pugna. Non autem

---

235 Denz. 136 ss.
236 Denz 183 ss.
237 Denz. 806.

explicite distinguitur inter observare et vincere salutariter, et mere honeste. Attamen clare etiam apparet sensum esse, sine gratia hominem in ista pugna vinci, id est eum pervenire ad peccatum, id quod speciatim contra pelagianos statuendum erat, qui affirmabant hominem propriis suis viribus posse tentationem superare; hoc etiam clare docetur in concilio tridentino. Aliquibus locis sermo est directe de renatis et sanatis; si ergo illi non possunt superare, multo magis hoc valet de nondum renatis et sanatis. Qualis sit gratia, quae necessaria est, non ulterius determinatur; pluries tamen sermo est de remedio, auxilio quotidiano, id quod vix aliter intelligi potest, quam de auxilio actuali.

Ita in his textibus vere id continetur, quod thesis affirmat; sed ex dictis etiam intelligitur, cur plures theologi censeant, non certo constare de explicita definitione relate ad observationem mere honestam mandatorum et de tentationibus mere honeste superandis.

S. Scriptura

S. Scriptura clare docet, homini, etiam iustificato, gravem et periculosam pugnam subeundam esse contra inimicos salutis suae, in qua superare non potest sine auxilio divino: solis ergo viribus suis naturalibus succumbet.

Eph 6, 10 ss.: « De cetero fratres confortamini in Domino, et in potentia virtutis eius. Induite vos armaturam Dei, ut possitis stare (obsistere) adversus insidias (dolosas machinationes) diaboli; quoniam non est nobis colluctatio adversus carnem et sanguinem (adversus homines) sed adversus principes et potestates, adversus mundi rectores tenebrarum harum, contra spiritualia nequitiae in caelestibus (in caelo aëreo; cf. 2, 2). Propterea accipite armaturam Dei, ut possitis resistere in die malo (difficili, obnoxio insidiis diaboli), et in omnibus perfecti (omnia devincere, superare) stare (firmiter persistere, non cadere). State ergo succincti lumbos vestros in veritate, et induti loricam iustitiae, et calceati pedes in praeparatione evangelii pacis; in omnibus sumentes scutum fidei, in quo possitis (poteritis) omnia tela nequissimi ignea extinguere; et ga-

leam salutis assumite; et gladium spiritus, quod est verbum Dei, per omnem orationem et obsecrationem orantes omni tempore in spiritu; et in ipso vigilantes in omni instantia et obsecratione pro omnibus sanctis ».

1 Petr 5, 8 s.: « Sobrii estote et vigilate, quia adversarius vester diabolus tamquam leo rugiens circuit, quaerens quem devoret; cui resistite fortes in fide ».

Dominus docet nos orare: « Et ne nos inducas in tentationem » [238], cuius orationis sensum bene explicat Suárez: « Dico ergo postulare ne in noxiam tentationem incidamus; nam, ut dixi, hae posteriores petitiones sunt de malo cavendo; talis autem tentatio grave malum est; quae vero non est noxia, potius habet rationem boni. Dicitur autem tentatio noxia, quae nos est superatura; de tali autem verum est postulare nos, tum ne illa vincamur, tum etiam ne illam patiamur: tamen si quis consideret, haec duo respectu eiusdem tentationis in idem recidunt; nam qui tali tentatione impugnatur, vincitur, alioqui noxia non est; supponebatur autem futura noxia in praescientia Dei; ergo quia credimus ipsum optime nosse quae tentatio futura sit noxia, ideo petimus ut nos in illam non inducat. Et ita optime declaratur proprietas huius verbi; tunc enim maxime tribui solet Deo id quod permittit, ac si faceret, quando ex certa praescientia, et non obstante malo praeviso, illud permittit » [239].

Iterum monet Dominus: « Vigilate et orate ut non intretis in tentationem. Spiritus quidem promptus est, caro autem infirma » [240]. Vigilare quamvis hoc loco immediate dicitur sensu proprio, ut scilicet apostoli maneant vigiles, ut a somno se defendant; « tamen merito ex una actionum specie quae iis necessaria erat tum temporis et quam curam Christus recommendabat, infertur documentum generale omnibus propositum, ut vigilent, i. e. cauti sint ac solliciti et circumspecti atque assidui ad praecavenda pericula, ad removenda peccatorum incitamenta, ad praevidendas et discutien-

---

238 Matth 6, 13.
239 De religione, tr. 4 lib. 3 cap. 8 nr. 35.
240 Matth 26, 41.

das artes et fraudes eorum qui ad peccandum allicere student »[241]. Praeterea orandum esse monet Dominus, eo fine, ut non in tentationem intrent, quod est vel: ut non incurrant in tentationem, vel: ut non voluntatis assensu in tentationem intrent, i. e. ei consentiant, in ea succumbant. Addit deinde rationem Dominus: spiritus quidem promptus, caro autem infirma; ergo etiamsi spiritus quidem bonus sit, tamen orandum est, quia ex parte infirmae carnis venient difficultates, ad quas superandas auxilium divinum necessarium est. « Ut igitur vires adsint ad hanc carnis infirmitatem superandam et ut ea infirmitate non ipse spiritus infirmetur et a bono proposito misere excidat opus est oratione, qua vires illae necessariae coelitus impetrentur »[242].

Hanc pugnam, quae in ipso homine est inter spiritum et carnem, describit s. Paulus Rom 7 et docet solo auxilio gratiae hominem in illa non succumbere. Quidquid sit de explicatione singulorum versuum et verborum huius capitis, qua de re diversae sunt inter catholicos exegetas sententiae[243], hoc tamen patet, apostolum dicere in seipso, in membris suis, in carne esse aliquam legem, quae se opponit legi Dei. Hinc quam primum homo cognovit legem Dei, oritur in ipso pugna inter id quod faciendum cognovit et quod spiritus etiam facere vult (v. 16, 21, 22) et legem, quae est in membris (v. 23). Haec lex eum perducere vult ad peccatum eoque etiam perduceret, si non liberaretur et iuvaretur gratia Christi: sola hac gratia liber manere potest a peccato (indirecte, gratias agendo v. 25; directe 8, 2 ss.).

Quaeritur quis sit intelligendus ille ego: homo sub lege mosaica; homo christianus iustificatus (ita postea s. Augustinus)[244]. Dicendum videtur: homo sub lege mosaica. Sed lex mosaica hoc loco ab apostolo non consideratur inquantum praeter ea, quae lex naturalis praescribit, etiam praecepta caeremonialia dedit, sed quatenus praecise dicit: non concupisces; per hanc positivam legem

---

241 Knabenbauer in h. l.
242 Knabenbauer in h. l.
243 Cf. Commentatores.
244 Prat, La théologie de Saint Paul, t. 1, ed. 9, pag. 272 ss.

enim Iudaeus etiam cognitionem legis naturalis habebat. Id tamen quod apostolus de interna illa pugna dicit non solum de Iudaeis, sed etiam de gentibus valet; nam et illi secundum doctrinam apostoli (c. 2) habent cognitionem legis naturalis, et hinc quod ad illam pugnam attinet, non erant in meliore conditione quam Iudaei.

Ergo secundum doctrinam s. Scripturae homo in via salutis impugnatur a diabolo, a carne; occurrunt ei tentationes, quas sine auxilio divino non superabit.

Patres.

S. Ioannes Chrysostomus: « Fidelis Deus, qui non patietur vos tentari supra id quod potestis. Ergo sunt tentationes quae ferri non possunt. Et quaenam illae? Omnes, ut ita dicam; potestas enim in Dei auxilio sita est, quam per voluntatem nostram attrahimus. Quamobrem, ut discas accurate quod non solum illas quae nostram superant potestatem, sed neque hasce humanas possimus sine illius auxilio facile ferre, subiunxit: Sed faciet cum tentatione proventum, ut possitis sustinere »[245]. — « Noli paralyticum laude privare, nec illum nec alium hominem quemvis qui tentetur et patienter ferat. Quantumvis enim saepe philosophemur, quamvis omnium robustissimi simus ac validissimi, si Dei absit auxilium, ne mediocri quidem poterimus tentationi resistere. Sed quid ego de nobis vilibus et abiectis loquar? Licet Paulus sit aliquis aut Petrus, licet Iacobus aut Ioannes, subsidio caelesti privatus facile vincitur et supplantatur et concidit... Neque tantum in periculis, quae vires nostras excedunt, sed in ipsis etiam quae non excedunt, caelesti auxilio indigemus, ut generose possimus obsistere »[246].

S. Ambrosius: « Si consideres, quia iustus vix salvus fit, intelligis profecto et ipsius nonnumquam titubare vestigia, et auctorem declinationis eorum Deum videri; quia ipse quoque patitur iustos saepe tentari, quo magis probentur tentationibus eruditi. Quis est

---

245 In epist. 1 ad Cor. hom. 24, 1; MG 61, 198; R 1191.

246 Homil. in paralyticum. 2; MG 51, 51; R 1210.

autem tam fortis, ut nequaquam in tentatione moveatur, nisi Dominus adiutor ei assistat »[247].

S. Hieronymus: « Salvator in passione ab angelo confortatur, et Critobulus meus non indiget auxilio Dei, habens liberi arbitrii potestatem... Quid, inquit dormitis? Surgite et orate, ne intretis in tentationem. Debuit iuxta vos dicere: Quid dormitis? surgite et resistite, liberum enim habetis arbitrium, et semel vobis concessa a Domino potestate, nullius alterius indigetis auxilio. Si enim hoc feceritis, non intrabitis in tentationem »[248].

S. Augustinus: « Acute autem sibi videntur dicere (Pelagiani), quasi nostrum hoc ullus ignoret, quod si nolumus, non peccamus; nec praeciperet Deus homini, quod esset humanae impossibile voluntati. Sed hoc non vident, quod ad nonnulla superanda, vel quae male cupiuntur, vel quae male metuuntur, magnis aliquando et totis viribus opus est voluntatis, quas nos non perfecte in omnibus adhibituros praevidit »[249].

« Magnum aliquid pelagiani se scire putant, quando dicunt: Non iuberet Deus, quod sciret non posse ab homine fieri. Quis hoc nesciat? Sed ideo iubet aliqua quae non possumus, ut noverimus quid ab illo petere debeamus. Ipsa est enim fides, quae orando impetrat quod lex imperat. Denique ipse qui dixit: Si volueris, conservabis mandata, in eodem libro Ecclesiastico aliquanto post dicit: Quis dabit in ore meo custodiam, et super labia mea signaculum astutum, ne forte cadam ab eo, et lingua mea perdat me?[250]. Iam certe mandata acceperat: Cohibe linguam tuam a malo, et labia tua ne loquantur dolum[251]. Cum ergo verum sit quod dixit: Si volueris, conservabis mandata, quare quaerit in ore suo dare custodiam; similis ei qui dicit in Psalmo: Pone, Domine, custodiam ori meo?[252] Quare non ei sufficit mandatum Dei et voluntas sua; quandoquidem si voluerit, conservabit mandata? Quam multa Dei mandata sunt

[247] Enar. in Ps 43, 71; ML 14, 1123; R 1263.
[248] Dial. adversus Pelagianos 2, 16; ML 23, 552; R 1404; cf. 1406.
[249] De peccatorum meritis et remissione 2, 3, 3; ML 44, 152; R 1718.
[250] Eccli 22, 33.
[251] Ps 33, 14.
[252] Ps 140, 3.

contra superbiam: iam novit ea; si voluerit, conservabit ea. Quare ergo paulo post dicit: Domine Pater et Deus vitae meae, elationem oculorum ne dederis mihi? Iam dixerat ei lex: Non concupisces [253]: velit ergo, et faciat quod iubetur; quoniam si voluerit, conservabit mandata. Quare sequitur et dicit: Concupiscentiam averte a me? Contra luxuriam Deus quam multa mandavit: faciat ea, quia si voluerit, conservabit mandata. Quid est quod clamat ad Deum: Ventris appetitio et concubitus ne apprehendat me? [254] Si haec ei praesenti diceremus, rectissime nobis responderet et diceret: Ex ista oratione mea, qua haec a Deo peto, intelligite quomodo dixerim: Si volueris, conservabis mandata. Certum est enim nos mandata servare, si volumus; sed quia praeparatur voluntas a Domino, ab illo petendum est, ut tantum velimus, quantum sufficit ut volendo faciamus. Certum est nos velle, cum volumus; sed ille facit ut velimus bonum, de quo dictum est, quod paulo ante posui: Praeparatur voluntas a Domino [255]; de quo dictum est: A Domino gressus hominis dirigentur, et viam eius volet [256]; de quo dictum est: Deus est qui operatur in vobis et velle [257]. Certum est nos facere, cum facimus; sed ille facit, ut faciamus, praebendo vires efficacissimas voluntati, qui dixit: Faciam ut in iustificationibus meis ambuletis, et iudicia mea observetis et faciatis. Cum dicit: faciam ut faciatis, quid aliud dicit, nisi: auferam a vobis cor lapideum, unde non faciebatis; et dabo vobis cor carneum, unde faciatis? Et hoc quid est, nisi: Auferam cor durum, unde non faciebatis, et dabo cor obediens, unde faciatis? Ille facit ut faciamus, cui dicit homo: Pone, Domine, custodiam ori meo. Hoc est enim dicere: Fac ut ponam custodiam ori meo; quod beneficium Dei iam fuerat consecutus, qui dixit: Posui ori meo custodiam » [258].

---

253 Exod 20, 17.
254 Eccli 23, 4-6.
255 Prov 8, 35; LXX.
256 Ps 36, 23.
257 Phil 2, 13.
258 Ps 38, 2. - De gratia et libero arbitrio, cap. 16 nr. 32; ML 44, 900 s.

THEOLOGI

S. THOMAS: « Antequam hominis ratio, in qua est peccatum mortale, reparetur per gratiam iustificantem, potest singula peccata mortalia vitare, et secundum aliquod tempus; quia non est necesse, quod continuo peccet in actu; sed quod diu maneat absque peccato mortali, esse non potest. Unde et Gregorius dicit super Ezechiel, quod peccatum, quod mox per poenitentiam non deletur, suo pondere ad aliud trahit. Et huius ratio est, quia sicut rationi subdi debet inferior appetitus, ita etiam ratio subdi debet Deo, et in ipso constituere finem suae voluntatis; per finem autem oportet quod regulentur omnes actus humani, sicut per rationis iudicium regulari debent motus inferioris appetitus. Sicut ergo inferiori appetitu non totaliter subiecto rationi, non potest esse quin contingant inordinati motus in appetitu sensitivo, ita etiam ratione hominis non totaliter exsistente subiecta Deo, consequens est ut contingant multae inordinationes in ipsis actibus rationis. Cum enim homo non habet cor suum firmatum in Deo, ut pro nullo bono consequendo vel malo vitando ab eo separari vellet, occurrunt multa, propter quae consequenda vel vitanda homo recedit a Deo, contemnendo praecepta ipsius; et ita peccat mortaliter; praecipue quia in repentinis homo operatur secundum finem praeconceptum, et secundum habitum praeexistentem, ut Philosophus dicit in 3 Ethicorum; quamvis ex praemeditatione rationis homo possit aliquid agere praeter ordinem finis praeconcepti, et praeter inclinationem habitus. Sed quia homo non potest semper esse in tali praemeditatione, non potest contingere ut diu permaneat, quin operetur secundum convenientiam voluntatis deordinatae a Deo, nisi cito per gratiam ad debitum ordinem reparetur »[259].

In illis, quae thesis affirmat, theologi conveniunt; sed in ulteriore explicatione dissentiunt, ut in exponenda thesi indicatum est.

---

259 S. Th. 1, 2. q. 109 a. 8; De veritate q. 24 a. 12; paulo aliter In 2 dist. 28 q. unica, a. 2 et 3.

Si quoad tentationes quaestio ita ponitur, utrum homo possit gravem tentationem propriis viribus superare, aliqui negant, saltem si intelligitur de omnibus gravibus tentationibus collective sumptis; alii putant hoc negandum esse etiam pro singulis tentationibus gravibus. Attamen statim occurrit quaestio, quomodo definienda sit tentatio gravis; si definitur ea, quam homo viribus propriis non potest superare, responsum negativum pro singulis tentationibus necessarium est; talis autem negatio est tautologia. Si autem concipitur tentatio gravis ea, quae magnam parat difficultatem, forte difficilius est stricte probare absolutam impotentiam eas singulas superandi.

Obiectiones

1) Absoluta impossibilitas tollit libertatem; atqui etiam in statu naturae lapsae homo est liber; ergo absoluta impossibilitas non habetur.

Resp. Dist. Mai: impossibilitas absoluta simpliciter antecedens tollit libertatem, tr.; absoluta impossibilitas non simpliciter antecedens, sed consequens ad infirmam volitionem ipsius hominis, nego.

2) Deus non iubet impossibilia; atqui iubet observare legem naturalem; ergo haec observatio est possibilis.

Resp. Dist. Mai.: non iubet impossibilia, id est ea, quae neque cum auxilio divino, neque sine illo possibilia sunt, conc.; quae sine auxilio divino impossibilia sunt, subd.: si hoc auxilium sine peccato personali hominis negaret, tr.; si hoc auxilium homini concedit, nego. In hac re valent etiam ea, quae dicit conc. trid.: « Nam Deus impossibilia non iubet, sed iubendo monet et facere quod possis, et petere quod non possis, et adiuvat ut possis » [260]. Conc. minor. Dist. cons.: observatio legis naturalis possibilis est cum auxilio divino, conc.; sine illo, nego.

3) Atqui tale auxilium homini est debitum; ergo non est gratia. Prob. min. subs.: Debetur homini illud, sine quo non potest non peccare; atqui tale est auxilium de quo in thesi; ergo est debitum. Maior videtur evidens; nam impossibile est Deum sub poena aeternae damnationis praecipere homini aliquid, quod omnibus hominibus est absolute impossibile.

Resp.: Nego min. subs.; ad eius probationem, dist. Mai.: debitum esset homini auxilium mere naturale, sine quo non posset non peccare, conc. vel trans.; auxilium supernaturale, nego. Contradist. min.: est auxilium naturale, nego; supernaturale, conc.

---

[260] Denz 804.

Atqui in hoc responso continetur, auxilium supernaturale, quod de facto conceditur, ea quoque praestare, quae in alio ordine praestaret auxilium naturale; ergo hoc auxilium eatenus debitum dici potest, quatenus praecise locum istius auxilii mere naturalis tenet.

Resp.: Conceditur totum, secundum doctrinam supra [261] expositam; inde tamen non sequitur, ut auxilium supernaturale, quod datur, sit debitum, et non sit gratia.

Aliae difficultates facile solvuntur, si attenditur auxilium sufficiens omnibus praesto esse, et proinde de facto homini observationem legis naturalis non esse impossibilem. Multas obiectiones vide apud Beraza n. 282 ss., 297 ss.

Utrum homo lapsus solis viribus naturalibus possit diligere Deum super omnia.

Non quaeritur, utrum distinguendus sit amor Dei naturalis et amor supernaturalis, id quod probatum est in tractatu de caritate [262]; oppositum damnatum est contra Baium, prop. 34: « Distinctio illa duplicis amoris, naturalis videlicet, quo Deus amatur ut auctor naturae, et gratuiti, quo Deus amatur ut beatificator, vana est et commentitia et ad illudendum sacris Litteris et plurimis veterum testimoniis excogitata » [263]. Sed quaeritur utrum actus naturalis amoris, quo Deus super omnia diligatur, homini lapso possibilis sit. Talem amorem homini innocenti in ordine mere naturali possibilem esse facile conceditur. Amor super omnia intelligitur non intensive, sed appretiative, id est amor, quo Deus omni enti creato praefertur. Huiusmodi amor necessario includit voluntatem non peccandi, implendi ea quae Deus vult. Non agitur de amore super omnia effective, id est tali, quo homo de facto etiam in suis operibus Deum omnibus creaturis praeferat; hunc amorem naturaliter impossibilem esse thesi antecedenti probatum est. Sed sermo est de amore super omnia affective, id est, utrum talis affectus ab homine viribus naturalibus elici possit. Et quidem de sola possibilitate quaeritur, non utrum talis actus revera inveniatur. Potentia autem non intelligitur physica, quae iterum conceditur, sed moralis,

---

261 Pag. 219.

262 De virtutibus theologicis n. 528.

263 Denz 1034.

scilicet utrum fortasse in tali actu tanta inveniatur difficultas, ut homini lapso absolute impossibilis sit. Ex fontibus positivis res decidi nequit; quia cum in illis de necessitate gratiae ad diligendum Deum sermo est, dilectio salutaris intelligitur: theologorum autem sententiae in hac quaestione sunt divisae. Ratio autem videtur esse pro affirmanda illa potentia.

Homo enim naturali rationis lumine cognoscere potest Deum esse finem suum ultimum, eum esse infinite bonum et summe amabilem; neque apparet ratio cur talem cognitionem sequi non possit affectus amoris erga Deum; in hoc enim actu qua tali non videtur esse extraordinaria difficultas, ut dicendus sit moraliter impossibilis. Neque ratione propositi non peccandi, quod ut dictum est, in illo actu amoris includitur, videtur impossibilis esse. Licet verum sit, hominem naturalibus viribus non posse exsequi illud propositum, inde tamen non sequitur, ut numquam habere possit, ne pro brevi quidem tempore, actum talis propositi. Aliud enim est propositum opere exsequi, et aliud, actum propositi habere. Non necessarium est, ut homo qui elicit illum actum amoris et sic illud propositum habet, simul etiam semper de omnibus difficultatibus cogitet, quae exsecutioni propositi obstant; praeterea non videtur probatum esse, hominem non posse habere serium propositum de aliqua re, quam propriis viribus efficere non potest.

Hinc praeferenda videtur sententia, quae actum amoris Dei super omnia dicit homini lapso moraliter non absolute impossibilem. Sed cum actus sit mere naturalis, patet, eum non esse salutarem, et propterea non positive disponere ad gratiam, multo minus immediate esse iustificantem [264].

---

[264] Cf. de hac quaestione Beraza, nr. 302-309; pro opposita sententia Schiffini, nr. 99 obi. IV.

PARS TERTIA

DE HOMINE ADULTO IN STATU IUSTIFICATIONIS

Postquam prima parte sermo fuit de ipsa iustificatione, in secunda vero de homine adulto ante iustificationem, in hac tertia parte tractatus dicendum est de homine adulto in statu iustificationis. Cum prima et secunda pars maiore ex parte ea tractant, quae in concilio tridentino dicebantur prima iustificatio, haec pars de iis agit, quae dicebantur « secunda iustificatio », et quae in cap. 10-13 continentur. Cum his coniungimus, quia principaliter hominem in statu iustificationis respicit, quaestionem de fructu iustificationis, id est de merito (in concilio cap. 16). Hinc duae sectiones: 1) De secunda iustificatione; 2) de merito.

SECTIO I.

De secunda iustificatione

Post iustificationem acceptam homo non est liber ab omni ulteriore obligatione erga Deum, neque eo ipso quod iustificatus est, iam certo omnino habebit vitam aeternam. Deus vult, ut iustus totam suam vitam ita ordinet, ut decet filium Dei adoptivum; debet vivere secundum voluntatem Patris caelestis, eius mandata observare et ita magis magisque in gratia crescere. Etiam homini iusti-

ficato manent pugnae contra carnem, mundum, diabolum, neque certus est se in illis superaturum esse, se perseveraturum esse in gratia usque ad mortem. Potest iterum mortaliter peccare et ita gratiam iustificationis amittere, neque certo sibi novam post peccatum mortale iustificationem promittere potest. Hinc possibile est, aliquem, qui fuit aliquando iustificatus et filius Dei, in aeternum tamen perire. Sed Deus paratus est iuvare iustum, ut tentationes superare possit, peccatum vitare et ita in gratia perseverare. Speciale autem beneficium Dei est actu perseverare usque in finem, et mori in statu filiationis divinae.

Haec ergo tribus thesibus sequentibus consideranda sunt: 1) Iustus debet vivere secundum voluntatem Dei et ita in iustitia crescere et perseverare; 2) potest tamen post iustificationem iterum mortaliter peccare; 3) donum finalis perseverantiae est speciale beneficium. Additur: 4) liberum manere ab omni peccato veniali est speciale privilegium.

THESIS 12: ***Homo iustus potest et debet cum divina gratia per observationem mandatorum in accepta iustitia perseverare et crescere.***

Haec thesis tres continet affirmationes principales:

1) Iustitia non est aequalis in omnibus et est augmenti capax: potest et debet crescere.

2) Iustus obligatur legem Dei observare: per observationem mandatorum.

3) Hoc iusto possibile est, non quidem propriis viribus naturalibus, sed solum cum auxilio gratiae, quod tamen nemini negatur: cum auxilio gratiae potest perseverare.

I. Iustitia non est in omnibus aequalis, et est augmenti capax.

Novatores saeculi 16 unam tantum agnoverunt iustitiam, scl. iustitiam Christi, quae hominibus extrinsecus imputatur; sic omnes qui (extrinsecus) iusti sunt, eadem hac iustitia Christi iusti sunt. In hac sententia logice iam vix sermo esse potest de inaequalitate

iustitiae neque de eius augmento. A iustificatione distinguunt sanctificationem; haec autem neque est iustitia neque ad eam pertinet [1].

Saeculo 4 Iovinianus inaequalitatem bonorum operum et peccatorum, inaequalitatem meriti et praemii caelestis negavit.

Contra haec ergo affirmatur in thesi: ipsa iustitia interna, quae, ut antea probavimus est ipsa interna sanctificatio et renovatio hominis, adultis diverso gradu confertur et in ipsis eadem haec iustitia augeri potest; aliis verbis; gratia sanctificans et virtutes infusae non sunt in omnibus hominibus adultis aequales et possunt in illis crescere.

---

[1] Formula Concordiae. II pars. Sol. Declaratio. III. De iustitia fidei coram Deo, nr. 18: « Cum autem vocabulum regenerationis pro vocabulo iustificationis usurpetur, necesse est, ut illud dextre et proprie explicetur, ne renovatio, quae iustificationem sequitur, cum iustificatione fidei confundatur, sed haec recte a se invicem discernantur ». — Nr. 23: « Et qui mere gratia (ut diximus) propter unicum Mediatorem Christum, tantum per fidem, sine omnibus operibus et meritis coram Deo iusti sunt, hoc est, in gratiam Dei recipiuntur: his etiam Spiritus Sanctus datur, qui eos renovat atque sanctificat, in ipsis dilectionem erga Deum et proximum operatur. Cum autem inchoata illa renovatio in hac vita sit imperfecta, et peccatum adhuc in carne, etiam in renatis, habitet: iustitia fidei coram Deo in gratuita et benignissima imputatione iustitiae Christi (absque ulla nostrorum operum additione) consistit, quod videlicet peccata nobis remissa et tecta sint, neque nobis imputentur, Rom 4, 6 sqq. ». — Nr. 28: « Similiter et renovatio seu sanctificatio, quamvis et ipsa sit beneficium Mediatoris Christi et opus Spiritus Sancti, non tamen ad articulum aut negotium iustificationis coram Deo pertinet, sed eam sequitur, quia propter carnis nostrae corruptionem in hac vita imperfecta est, et nondum omnibus numeris absoluta ». — Nr. 39: « Denique has formulas teneamus, ut neque renovatio neque sanctificatio, virtutes aut bona opera, tamquam forma aut pars aut causa iustificationis aut sub qualicumque praetextu, titulo aut nomine, articulo iustificationis, tamquam ad eam rem necessaria aut pertinentia, immisceantur; sed ut fidei iustitia tantummodo in remissione peccatorum (ex mera gratia, propter solum Christi meritum) consistat, quae bona in promissione evangelii nobis offerantur, et sola fide recipiantur, apprehendantur nobisque applicentur ». J. T. Müller, Die symbolischen Bücher der evangelisch-lutherischen Kirche, Gütersloh, 1912, 613 ss.; cf. supra pag. 48; 77.

Doc. Ecclesiae

Conc. tridentinum, Cap. 7: Adulti in iustificatione recipiunt iustitiam « unusquisque suam, secundum mensuram, quam Spiritus Sanctus partitur singulis prout vult, et secundum propriam cuiusque dispositionem et cooperationem »[2]. Haec autem dispositio et cooperatio non in omnibus est aequalis.

Cap. 10: « Sic ergo iustificati et amici Dei ac domestici[3] facti, euntes de virtute in virtutem[4] renovantur (ut Apostolus inquit) de die in diem[5], hoc est, mortificando membra carnis[6] suae et exhibendo ea arma iustitiae[7] in sanctificationem per observationem mandatorum Dei et Ecclesiae: in ipsa iustitia per Christi gratiam accepta, cooperante fide bonis operibus[8] crescunt atque magis iustificantur, sicut scriptum est: Qui iustus est, iustificetur adhuc[9], et iterum: Ne verearis usque ad mortem iustificari[10], et rursus: Videtis, quoniam ex operibus iustificatur homo et non ex fide tantum[11]. Hoc vero iustitiae incrementum petit sancta Ecclesia, cum orat: Da nobis, Domine, fidei, spei et caritatis augmentum »[12].

Can. 24: « Si quis dixerit, iustitiam acceptam non conservari atque etiam non augeri coram Deo per bona opera, sed opera ipsa fructus solummodo et signa esse iustificationis adeptae, non etiam ipsius augendae causam: A. S. »[13].

---

[2] Denz 799.
[3] Io 15, 15; Eph 2, 19.
[4] Ps 83, 8.
[5] 2 Cor 4, 16.
[6] Col 3, 5.
[7] Rom 6, 13. 19.
[8] Iac 2, 22.
[9] Apoc 22, 11.
[10] Eccli 18, 22.
[11] Iac 2, 24.
[12] Dom. 13 post Pentec. — Denz 803.
[13] Denz 834; cf. can. 32.

S. Scriptura

Plures textus concilium tridentinum adduxit: 2 Cor 4, 16: « Licet is, qui foris est, noster homo corrumpatur: tamen is, qui intus est, renovatur de die in diem ». — Apoc 22, 11: « Qui nocet, noceat adhuc; et qui in sordibus est, sordescat adhuc; et qui iustus est, iustificetur (iustitiam faciat) adhuc; et sanctus sanctificetur adhuc ». — Eccli 18, 22: « Ne verearis usque ad mortem iustificari, quoniam merces Dei manet in aeternum ». In versione LXX hoc versu sermo est de implendo voto, quod quis Deo fecit. — Iac 2, 24: « Videtis quoniam ex operibus iustificatur homo, et non ex fide tantum ». Haec verba, si cum concilio intelliguntur de operibus post iustificationem factis, significant per talia opera hominem ulterius iustificari. Praeterea citari solent a theologis Prov 4, 18; 2 Cor 9, 10; 2 Petr 3, 18.

Patres

S. Hieronymus contra Iovinianum qui inter alia dixerat: « varia quidem luctae genera, sed una corona victorum est. Inter eum fratrem qui semper cum patre fuerat, et qui postea poenitens est receptus, nulla diversitas est » dicit: « Qui parce seminat, parce et metet, et qui seminat in benedictionibus, de benedictionibus et metet [14]. Certe et qui plus et qui minus seminat, de parte sunt dextra. Et cum unum sementis genus sit, tamen mensura et numero differunt. Scribit ad Ephesios idem Paulus: Ut nota fieret nunc principatibus et potestatibus in caelis per Ecclesiam, multiplex et varia sapientia Dei [15]. Cernis quod in diversis agminibus Ecclesiae, varia et multiplex sapientia Dei praedicetur? Necnon in eadem epistula: Unicuique autem nostrum data est gratia, iuxta mensuram gra-

[14] 2 Cor 5, 10.
[15] Eph 3, 10.

tiae Christi: non quod mensura Christi diversa sit; sed tantum gratiae eius infunditur, quantum valemus haurire »[16].

S. AUGUSTINUS: « Haec similitudo (qua Stoici utebantur), ubi stultitia velut aqua, et sapientia velut aer ponitur, ut animus a praefocatione stultitiae tamquam emergens, in sapientiam repente respiret, non mihi videtur satis accomodata nostrarum Scripturarum auctoritati: sed illa potius, ut vitium vel stultitia tenebris, luci autem virtus vel sapientia comparetur, quantum ista similia de corporalibus ad intelligibilia duci possunt. Non itaque sicut de aquis in aerem surgens, ubi earum summum transierit, repente quantum sufficit inspiratur; sed sicut de tenebris in lucem procedens, paulatim progrediendo illuminatur. Quod donec plenissime fiat, iam eum tamen dicimus tamquam de abditissima spelunca egredientem, vicinia lucis afflatum, tanto magis, quanto magis propinquat egressui: ut illud quod in eo lucet, sit utique ex lumine quo progreditur; illud autem quod adhuc obscurum est, sit ex tenebris unde egreditur. Itaque et non iustificabitur in conspectu Dei omnis vivens[17]; et tamen iustus ex fide vivit[18]. Et induti sunt sancti iustitia[19] alius magis, alius minus: et nemo hic vivit sine peccato, et hoc alius magis, alius minus; optimus autem est qui minimum »[20].

« Cum igitur qui ubique est, non in omnibus habitet; etiam in quibus habitat, non aequaliter habitat. Nam unde est illud quod Elisaeus poposcit, ut dupliciter fieret in eo Spiritus Dei qui erat in Elia? Et unde in omnibus sanctis sunt alii aliis sanctiores, nisi abundantius habendo habitatorem Deum? »[21].

S. PROSPER: « Iustificatus itaque homo, id est, ex impio pius factus, nullo praecedente bono merito, accipit donum, quo dono acquirat et meritum: ut, quod in illo inchoatum est per gratiam Christi, etiam per industriam liberi augeatur arbitrii; numquam

---

[16] Adversus Iovinianum lib. 2 nr. 23; ML 23, 320.
[17] Ps 142, 2.
[18] Habac 2, 4.
[19] Iob 29, 14.
[20] Epist. 167 (Hieronymo), nr. 13; ML 33, 738.
[21] Epist. 187, 17; ML 33, 383. Cf. ep. 186, 10; ML 33, 819; R 1446.

remoto adiutorio Dei, sine quo nec proficere nec permanere in bono quisquam potest » [22].

THEOLOGI

S. THOMAS quaerit: Utrum gratia sit maior in uno quam in alio [23]. Probat ex Eph 4, 7: « Unicuique data est gratia secundum mensuram donationis Christi: quod autem mensurate datur, non omnibus aequaliter datur; ergo non omnes aequalem gratiam habent ». Et ulterius explicat: « Sicut supra dictum est [24], habitus duplicem magnitudinem habere potest: unam ex parte finis vel obiecti, secundum quod dicitur una virtus alia nobilior, in quantum ad maius bonum ordinatur; aliam vero ex parte subiecti, quod magis vel minus participat habitum inhaerentem. Secundum igitur primam magnitudinem gratia gratum faciens non potest esse maior et minor; quia gratia secundum sui rationem coniungit hominem summo bono, quod est Deus. Sed ex parte subiecti gratia potest suscipere magis vel minus; prout scilicet unus perfectius illustratur a lumine gratiae quam alius. Cuius diversitatis ratio quidem est aliqua ex parte praeparantis se ad gratiam; qui enim magis se ad gratiam praeparat, pleniorem gratiam accipit. Sed ex hac parte non potest accipi prima ratio huius diversitatis; quia praeparatio ad gratiam non est hominis, nisi inquantum liberum arbitrium eius praeparatur a Deo. Unde prima causa huius diversitatis accipienda est ex parte ipsius Dei, qui diversimode suae gratiae dona dispensat ad hoc, quod ex diversis gradibus pulchritudo et perfectio Ecclesiae consurgat; sicut etiam diversos gradus rerum instituit, ut esset universum perfectum; unde Apost. ad Ephes. 4, postquam dixerat: Unicuique data est gratia secundum mensuram donationis Christi, enumeratis diversis gratiis subiungit: Ad consummationem sanctorum in aedificationem corporis Christi ».

---

22 Resp. ad cap. obiect. Gall., ad obiect. 6; ML 51, 161; R 2027.
23 S. Th. 1, 2 q. 112 a. 4.
24 1, 2 q. 52 a. 1.

Quod ad factum augmenti gratiae attinet, theologi conveniunt; quomodo vero habitus infusi augeantur, diversae sunt sententiae, de quibus conferantur, quae « De virtutibus theologis », nr. 637, indicantur.

II. Iustificatus tenetur ad observanda mandata.

In doctrina de iustificatione sola fide, secundum quam opera hominis omnino a negotio iustificationis excluduntur, difficile erat assignare ad quid opera bona; praeterea secundum Lutherum opera etiam iustorum proprie sunt peccata, quae tamen Deus iustis non imputat. Inde facilis consequentia erat, hominem iustum non amplius esse sub aliqua lege, quae ei obligationes imponeret. Christus a lege nos liberavit et attulit libertatem filiorum Dei, quae cum servitute sub lege componi non potest. Et ita revera brevi postquam novum evangelium praedicari coeptum est, Protestantes inter se iam de hac re disputare debuerunt contra aliquos, qui supra indicatam consequentiam facientes libertatem ab observanda lege divina defendebant (controversiae antinomisticae). Melanchthon imprimis legem et necessitatem aliquam operum defendebat contra Ioannem Agricolam; sed ut patet illa opera nullo modo spectant ipsam iustificationem [25].

Error, christianos non obligatos esse ad bona opera, iam antea propositus erat. S. Iacobus fortasse tales tendentias in sua epistula respicit [26]. Medio aevo habebatur sententia fratrum et sororum spiritus libertatis, homines perfectos non teneri ad bona opera, quae opinio in concilio viennensi damnata est.

---

[25] Ergo dici non debet, novatores negasse opera bona esse facienda, et quidem propter mandatum, voluntatem Dei. Bona opera fidem sequuntur, sicuti fructus bonae arboris. Sed illa opera non ingrediuntur iustificationem, neque sunt meritoria, sed pertinent ad renovationem hominis, quae a iustificatione distinguitur. Cf. supra pag. 42 doctrinam Lutheri; pag. 46 art. 6 Confessionis Augustanae; pag. 46 eiusdem Confessionis art. 20; pag. 48 Formula Concordiae, et quae pag. 235 ex eadem Formula citantur. De historia huius controversiae vide Hergenröther-Kirsch, Handbuch der allgemeinen Kirchengeschichte, III, ed. 6 (1925) 554 ss.

[26] Supra pag. 146.

DOC. ECCLESIAE

CONC. VIENNENSE damnavit errores Beguardorum et Beguinarum. Err. 2: « Quod ieiunare non oportet hominem nec orare, postquam gradum perfectionis huiusmodi fuerit assecutus; quia tunc sensualitas est ita perfecte spiritui et rationi subiecta, quod homo potest libere corpori concedere quidquid placet ». — 3: « Quod illi, qui sunt in praedicto gradu perfectionis et spiritu libertatis, non sunt humanae subiecti obedientiae, nec ad aliqua praecepta Ecclesiae obligantur; quia (ut asserunt) ubi spiritus Domini, ibi libertas ». — 6: « Quod se in actibus exercere virtutum est hominis imperfecti, et perfecta anima licentiat a se virtutes » [27].

CONC. TRID. sess. 6 cap. 11: « Nemo autem, quantumvis iustificatus, liberum se esse ab observatione mandatorum putare debet... Qui enim sunt filii Dei, Christum diligunt: qui autem diligunt eum, (ut ipsemet testatur) servant sermones eius, quod utique cum divino auxilio praestare possunt... Itaque nemo sibi in sola fide blandiri debet, putans fide sola se heredem esse constitutum hereditatemque consecuturum, etiamsi Christo non compatiatur, ut et conglorificetur [28]. Nam et Christus ipse (ut inquit Apostolus), cum esset Filius Dei, didicit ex iis, quae passus est, obedientiam, et consummatus factus est omnibus obtemperantibus sibi causa salutis aeternae [29]. Propterea Apostolus ipse monet iustificatos dicens: Nescitis, quod ii, qui in stadio currunt, omnes quidem currunt, sed unus accipit bravium? Sic currite, ut comprehendatis. Ego igitur sic curro, non quasi in incertum, sic pugno, non quasi aerem verberans, sed castigo corpus meum et in servitutem redigo, ne forte, cum aliis praedicaverim ipse reprobus efficiar [30]. Item princeps Apostolorum Petrus: Satagite, ut per bona opera certam vestram vocationem et electionem faciatis; haec enim facientes non peccabitis aliquan-

---

[27] Denz 472, 473, 476.
[28] Rom 8, 17.
[29] Hebr 5, 8 s.
[30] 1 Cor 9, 24 ss.

do »[31]. — Can. 19: « Si quis dixerit, nihil praeceptum esse in Evangelio praeter fidem, cetera esse indifferentia, neque praecepta, neque prohibita, sed libera, aut decem praecepta nihil pertinere ad Christianos: A. S. ». — Can. 20: « Si quis hominem iustificatum et quantumlibet perfectum dixerit non teneri ad observantiam mandatorum Dei et Ecclesiae, sed tantum ad credendum, quasi vero Evangelium sit nuda et absoluta promissio vitae aeternae, sine conditione observationis mandatorum: A. S. ». — Can. 21: « Si quis dixerit, Christum Iesum a Deo hominibus datum fuisse ut redemptorem, cui fidant, non etiam ut legislatorem cui obediant: A. S. »[32].

S. Scriptura

Christus legem suam exponit in sermone montano Matth 5-7. — 7, 21: « Non omnis, qui dicit mihi, Domine, Domine, intrabit in regnum caelorum, sed qui facit voluntatem Patris mei, qui in caelis est, ipse intrabit in regnum caelorum ». Cf. 7, 24. — Matth 19, 17: « Si autem vis ad vitam ingredi, serva mandata ». — Io 13, 34: « Mandatum novum do vobis: ut diligatis invicem, sicut dilexi vos, ut et vos diligatis invicem ». — Io 14, 15: « Si diligitis me: mandata mea servate ». Cf. 14, 21. 23; 15, 10. 12. 14. — Matth 28, 18 ss.: « Data est mihi omnis potestas in caelo et in terra; euntes ergo docete omnes gentes, baptizantes eos... docentes eos servare omnia quaecumque mandavi vobis ».

Rom 7, 6: « Nunc autem soluti sumus a lege mortis, in qua detinebamur, ita ut serviamus in novitate spiritus, et non in vetustate litterae ». Cf. 8, 12 ss. — Apostolus est « in lege Christi » 1 Cor 9, 21. — Gal 5, 13 s.: « Vos enim in libertatem vocati estis fratres: tantum ne libertatem in occasionem detis carnis, sed per caritatem Spiritus servite invicem. Omnis enim lex in uno sermone impletur: Diliges proximum tuum sicut te ipsum ». — Gal 6, 2: « Alter alterius onera portate, et sic adimplebitis legem Christi ».

---

[31] 2 Petr 1. 10. — Denz 804.

[32] Denz 829 ss.; cf. 863; 864.

Iac 1, 22: « Estote autem factores verbi, et non auditores tantum: fallentes vosmetipsos ». — Iac 1, 25: « Qui autem perspexerit in legem perfectam libertatis, et permanserit in ea, non auditor obliviosus factus, sed factor operis, hic beatus in facto suo erit ». — Iac 2, 8 ss.: « Si tamen legem perficitis regalem secundum Scripturas: diliges proximum tuum sicut te ipsum, bene facitis... Quicumque autem totam legem servaverit, offendat autem in uno, factus est omnium reus... Sic loquimini, et sic facite sicut per legem libertatis incipientes iudicari... Quid proderit fratres mei si fidem quis dicat se habere, opera autem non habeat? Numquid poterit fides salvare eum »? — Fides sine operibus mortua est (2, 20. 26). — Cf. textus a conc. trid. citatos Rom 8, 17; Hebr 5, 8 s.; 1 Cor 9, 24 ss.; 2 Petr 1, 10.

Si dicitur Christus finis legis (Rom 10, 4), vel legem non iam esse (Gal 3, 25; 4, 5), vel fideles non esse sub lege (Rom 6, 14), sub servitute (Gal 5, 1. 13) ex contextu apparet sermonem esse de lege vetere, quae revera abrogata est; sensus autem non est, iustos nullo modo esse sub aliqua lege, neque debere observare mandata divina.

In re adeo clara opus non est afferre textus SS. Patrum. Omnibus temporibus inveniuntur adhortationes ad bonam vitam christianam, tamquam omnibus christianis necessariam.

III. Iustus cum speciali auxilio gratiae in iustitia perseverare potest.

Hac parte thesis quaeritur, qua ratione homini iusto possibile sit omnia mandata Dei observare.

« Iustus » intelligitur de omnibus iustis.

« Perseverare » est manere in statu filiationis divinae, in statu gratiae; et cum gratia, ut postea ostenditur, omni peccato mortali amittatur, idem est atque non committere peccatum mortale.

« Potest »: agitur solum de potentia perseverandi, a qua bene distinguenda est actualis perseverantia finalis, donum perseverantiae, de quo in thesi 14. Affirmatur ergo quilibet iustus habere potentiam physicam et moralem, ad vitandum peccatum.

« Cum auxilio gratiae »: gratia requiritur, sine illa est impossibile. Cum perseverare practice idem sit quod non succumbere tentationi, non peccare, sensus huius partis est: ne iustus quidem sine auxilio gratiae vitare potest peccata mortalia, idque non intelligitur de brevi quolibet tempore, sed « diu », uti in thesi 11 de peccatoribus dictum est; simili quoque modo concipienda est impotentia hominis et necessitas et natura auxilii.

« Cum auxilio speciali » id est praeter gratiam sanctificantem et virtutes infusas aliud adhuc auxilium gratiae requiritur. Nam etiam post iustificationem manet in homine concupiscentia rebellis, ipse adhuc manet in mundo et potest adhuc tentari a diabolo; hinc ipsi quoque occurrunt similes difficultates, de quibus thesi 11 sermo erat, ad quas superandas hoc auxilio speciali indiget. Est ergo auxilium medicinale contra infirmitatem moralem, et eodem modo intelligendum est sicut auxilium sanans, de quo in thesi 11, id est consistit in illuminatione intellectus et inspiratione voluntatis. Facile intelligitur, iustis dari auxilia, quibus non solum honeste, sed salutariter vincere possint tentationes et observare mandata, quia sic crescere debent in iustitia; est ergo auxilium illis collatum supernaturale non solum secundum modum, sed entitative. Sed in hac parte thesis gratia imprimis consideratur in quantum sanans est.

Continet ergo haec pars duo asserta: 1) iusti indigent gratia ad perseverandum; 2) omnes iusti possunt perseverare, habent gratiam necessariam.

Hinc etiam duplex classis eorum qui sunt contra hanc partem:

1) contra illud: « cum speciali auxilio » sunt, qui affirmant hominem sine gratia posse servare legem divinam et perseverare in gratia: Pelagiani, secundum quos auxilium divinum non est nisi ad facilius posse[33].

2) contra « potest » illi sunt, qui concedunt quidem gratiam necessariam esse; sed negant eam omnibus iustis a Deo dari: Baius (cf. prop. damn. 54: « Definitiva haec sententia, Deum homini nihil impossibile praecepisse, falso tribuitur Augustino, cum

---

[33] Semipelagianos ea negasse quae in hac parte dicuntur, non videtur certo affirmari posse.

Pelagii sit ») [34]; Iansenius [35], cuius sententia ut haeretica damnata est ab Innocentio X [36].

In quantum hac parte necessitas gratiae sanantis affirmatur, qualificatio eadem est, ut in thesi 11 [37]; in quantum dicitur omnes iustos habere auxilium sufficiens, unde omnibus possibile est in gratia perseverare, doctrina est de fide definita.

Doc. Ecclesiae

1) Speciali auxilio indigent: Indiculus, cap. 3 [38], Araus. can. 10 [39]; ibidem in conclusione: « Hoc etiam secundum fidem catholicam credimus, quod post acceptam per baptismum gratiam omnes baptizati, Christo auxiliante et cooperante, quae ad salutem animae pertinent, possint et debeant, si fideliter laborare voluerint, adimplere » [40].

Conc. trid. sess. 6 cap. 13 [41]; can. 22: « Si quis dixerit, iustificatum vel sine speciali auxilio Dei in accepta iustitia perseverare posse, vel cum eo non posse: A. S. » [42].

2) Cum auxilio divino omnibus est possibile: Conc. arausicanum, textus modo citatus. Conc. tridentinum, cap. 11: « Nemo temeraria illa et a Patribus sub anathemate prohibita voce uti (debet), Dei praecepta homini iustificato ad observandum esse impossibilia. Nam Deus impossibilia non iubet, sed iubendo monet, et

---

[34] Denz 1054.
[35] Supra pag. 67 s.
[36] Denz 1092.
[37] Pag. 220 s.
[38] Denz 132; supra pag. 221.
[39] Denz 183; supra pag. 222.
[40] Denz 200.
[41] Denz 806; supra pag. 222.
[42] Denz 832. — De sensu huius canonis cf. Straub, Ueber den Sinn des 22. Kanons der 6. Sitzung des Konzils von Trient. Zeitschrift für kath. Theologie (1897) 107 ss.; Beraza, nr. 228-230.

facere quod possis, et petere quod non possis [43], et adiuvat ut possis; cuius mandata gravia non sunt [44], cuius iugum suave est et onus leve [45]. Qui enim sunt filii Dei, Christum diligunt; qui autem diligunt eum, (ut ipsemet testatur) servant sermones eius [46], quod utique cum divino auxilio praestare possunt... Quo fit, ut iusti ipsi eo magis se obligatos ad ambulandum in via iustitiae sentire debeant, quo liberati iam a peccato, servi autem facti Deo [47], sobrie et iuste et pie viventes [48] proficere possunt per Christum Iesum, per quem accessum habuerunt in gratiam istam [49]. Deus namque sua gratia semel iustificatos non deserit, nisi ab eis prius deseratur » [50]. — Cap. 15 agens de peccatis lethalibus dicit: « a quibus cum divinae gratiae adiumento abstinere possunt » [51].

Can. 18: « Si quis dixerit, Dei praecepta homini etiam iustificato et sub gratia constituto esse ad observandum impossibilia: A. S. » [52]. Can. 22 vide supra pag. 245.

Pius V damnavit propositionem 54 Baii [53].

Innocentius X ut haereticam damnavit Iansenii propositionem: « Aliqua Dei praecepta hominibus iustis volentibus et conantibus, secundum praesentes, quas habent vires, sunt impossibilia: deest quoque illis gratia, qua possibilia fiant » [54].

Pius XI hanc doctrinam applicat in encyclica « Casti connubii »: « Cavendum omnino est, ne funestae externarum rerum con-

---

[43] Cf. s. August., De natura et gratia, c. 43, n. 50: « Non igitur Deus impossibilia iubet, sed iubendo admonet et facere quod possis, et petere quod non possis », ML 44, 271; R 1795.

[44] 1 Io 5, 3.

[45] Matth 11, 30.

[46] Io 14, 23.

[47] Rom 6, 22.

[48] Tit 2, 12.

[49] Rom 5, 2.

[50] Cf. s. August., De natura et gratia, c. 26 nr. 29; ML 44, 261; R 1792. — Denz 804.

[51] Denz 808.

[52] Denz 828.

[53] Denz 1054.

[54] Denz 1092; cf. supra pag. 72.

ditiones multo funestiori errori occasionem praebeant. Nullae enim exsurgere possunt difficultates, quae mandatorum Dei, actus ex interiore natura sua malos vetantium, obligationi derogare queant; in omnibus vero rerum adiunctis semper possunt coniuges, gratia Dei roborati, suo munere fideliter fungi et castitatem a turpi hac macula illibatam in coniugio conservare; nam stat fidei christianae veritas, synodi tridentini magisterio expressa: Nemo temeraria[55]... Eademque doctrina iterum solemniterque praecepta est ab Ecclesia et confirmata in damnatione haeresis iansenianae, quae contra Dei bonitatem haec blasphemare erat ausa: Aliqua Dei praecepta... »[56].

S. Scriptura

1) Speciali auxilio indigent: Eph 6, 10 ss.; 1 Petr 5, 8; Matth 6, 13; 26, 41. Hi textus, in priore thesi iam allati, sunt universales; immo Eph, 1 Petr, Matth 26 directe sermo est de iis, qui iam conversi sunt. Illi ergo adhuc pro salute sua pugnare debent (cf. 1 Cor 9, 26; 1 Tim 6, 12; 2 Tim 2, 3), in qua pugna sine auxilio divino non superabunt; auxilium autem tale est, quod petere debent; ergo non illa dona, quae iusti iam receperunt.

2) Cum auxilio divino omnibus possibile est: 1 Cor 10, 13: In exemplo Israelitarum ostendit apostolus fideles ex eo, quod magna bona a Deo acceperunt, speciatim propter receptum baptismum et coenam eucharisticam, nondum securos esse a futuro aliquo lapsu; Israelitae quoque acceperunt multa bona a Deo, baptismo aliquo baptizati erant, manducaverant escam spiritualem et potum spiritualem biberant, et tamen peccaverunt et graviter a Deo puniti sunt. Haec, dicit apostolus, « scripta sunt autem ad correptionem nostram, in quos fines saeculorum devenerunt. Itaque qui se existimat stare, videat ne cadat. Tentatio vos non apprehendat (apprehendit scl. hucusque) nisi humana (humanis viribus adaptata, non excedens vires vestras); fidelis autem Deus est, qui non patietur

[55] Citat cap. 11.

[56] Citat prop. Iansenii 1; Denz 2241.

vos tentari supra id, quod potestis, sed faciet etiam cum tentatione proventum (prosperum eventum) ut possitis sustinere (ferre) ».

Immo iis qui Christum sequuntur non adeo difficile est observare mandata: Matth 11, 30: « Iugum enim meum suave est, et onus meum leve ». — 1 Io 5, 3: « Haec est enim caritas Dei, ut mandata eius custodiamus: et mandata eius gravia non sunt. Quoniam omne, quod natum est ex Deo, vincit mundum: et haec est victoria, quae vincit mundum, fides nostra ». — Hinc christiani ad perseverantiam admonentur: Io 15, 4: « manete in me »; v. 9: « manete in dilectione mea ». — 1 Cor 9, 24: « Sic currite ut comprehendatis (ut praemium consequamini) ». — 2 Petr 1, 10: « Quapropter fratres magis satagite, ut per bona opera certam vestram vocationem et electionem faciatis: haec enim facientes, non peccabitis aliquando ». — Apoc 2, 10: « Esto fidelis usque ad mortem, et dabo tibi coronam vitae ». — Apoc 3, 11: « Tene quod habes, ut nemo accipiat coronam tuam ».

Patres

1) Speciali auxilio indigent: S. Augustinus: « Ipse autem Deus, cum per mediatorem Dei et hominum hominem Iesum Christum[57] spiritualiter sanat aegrum vel vivificat mortuum, id est, iustificat impium, et cum ad perfectam sanitatem, hoc est ad perfectam vitam iustitiamque, perduxerit, non deserit si non deseratur, ut pie semper iusteque vivatur. Sicut enim oculus corporis etiam plenissime sanus, nisi candore lucis adiutus, non potest cernere: sic et homo etiam perfectissime iustificatus, nisi aeterna luce iustitiae divinitus adiuvetur, recte non potest vivere »[58].

S. Leo Magnus: « Gratiae Dei obedientia se humana non subtrahat, nec ab illo bono, sine quo non potest bona esse, deficiat; ac si quid sibi impossibile aut arduum in mandatorum effectibus experitur, non in se remaneat, sed ad iubentem recurrat, qui ideo dat praeceptum, ut excitet desiderium et praestet auxilium, dicente

[57] 1 Tim 2, 5.

[58] De natura et gratia, c. 26 nr. 29; ML 44, 261; R 1792.

propheta: Iacta in Deum cogitationem tuam, et ipse te enutriet [59]. An forte quisquam ita insolenter superbit, et ita se illaesum, ita immaculatum esse praesumit, ut nullius iam renovationis indigeat? Fallitur prorsus ista persuasio, et nimia vanitate veterascit quicumque inter tentationes huius vitae ab omni se vulnere credit immunem » [60].

2) Cum auxilio divino omnibus est possibile: S. IOANNES CHRYSOSTOMUS: « Non licet dicere: Non possum; id enim est accusare creatorem. Nam si nos fecit imbecilles et iubeat, ipsius est accusatio. Quomodo ergo, inquit, multi non possunt? Quia nolunt. Quomodo non volunt? Prae desidia; nam si voluerint, poterunt omnino... Habemus enim Deum cooperantem et nobiscum agentem; solum eligamus, solum ad rem tamquam ad opus accedamus, solum simus solliciti, solum mentem adhibeamus, et omnia sequuntur » [61].

S. AUGUSTINUS: « Si ergo volumus animos ad recte vivendum frigidos et pigros christianis exhortationibus excitare et accendere, primitus exhortemur ad fidem, qua christiani fiant, et eius nomini subiciantur, sine quo salvi esse non possunt. Si autem iam christiani sunt, et recte vivere negligunt, verberentur terroribus, et praemiorum laudibus erigantur: ita sane, ut non solum ad bonas actiones, verum etiam ad pias orationes eos exhortari meminerimus, atque hac instruere sanitate doctrinae, ut et illinc gratias agant, cum instituerint bene vivere, quod aliquid sine difficultate fecerint; et ubi difficultatem aliquam sentiunt, fidelissimis et perseverantissimis precibus et misericordiae promptis operibus facilitatem a Domino impetrare persistant. Sic autem proficientes, ubi et quando plenissima iustitia perficiantur, non nimis curo: ubicumque autem et quandocumque perfecti fuerint, nonnisi gratia Dei per Iesum Christum Dominum nostrum perfici posse confirmo. Sane quando liquido cognoverint nullum peccatum se habere, non se dicant habere peccatum, ne veritas in eis non sit; sicut in eis veritas non est, qui cum habeant, non habere se dicunt.

---

59 Ps 54, 23.

60 Sermo 43, 1; ML 54, 281; R 2201. Praeterea vide textus in praecedente thesi allatos.

61 In epist. ad Hebr. homil. 16, 4; MG 63, 127; R 1220.

Valde autem bona sunt praecepta, si legitime his utamur[62]. Eo quippe ipso quo firmissime creditur, Deum iustum et bonum impossibilia non potuisse praecipere, hinc admonemur, et in facilibus quid agamus, et in difficilibus quid petamus. Omnia quippe fiunt facilia caritati: cui uni Christi sarcina levis est[63], aut ea una est sarcina ipsa quae levis est. Secundum hoc dictum est: Et praecepta eius gravia non sunt[64], ut cui gravia sunt, consideret non potuisse divinitus dici, gravia non sunt, nisi quia potest esse cordis affectus cui gravia non sunt, et petat quo destituitur, ut impleat quod iubetur. Et quod dicitur ad Israel in Deuteronomio, si pie, si sancte, si spiritualiter intelligatur, hoc idem significat: quia utique cum hoc testimonium commemorasset Apostolus: Prope te est verbum in ore tuo, et in corde tuo... hoc est, inquit, verbum fidei quod praedicamus[65]. Conversus ergo quisque, sicut ibi praecipitur, ad Dominum Deum suum ex toto corde, et ex tota anima sua, mandatum Dei non habebit grave. Quomodo est enim grave, quod cum sit dilectionis mandatum? Aut enim quisque non diligit, et ideo grave est; aut diligit, et grave esse non potest. Diligit autem, si quod illic admonetur Israel, conversus fuerit ad Dominum Deum suum ex toto corde suo, et ex tota anima sua. Mandatum, inquit, novum do vobis, ut vos invicem diligatis[66]; et: Qui diligit proximum, legem implevit; et: Plenitudo legis caritas[67]. Secundum hoc et illud dictum est: Si ambularent semitas bonas, invenissent utique semitas iustitiae leves[68]. Quomodo ergo dicitur: Propter verba labiorum tuorum ego custodivi vias duras[69], nisi quia utrumque verum est? Durae sunt timori, leves amori »[70].

---

[62] 1 Tim 1, 8.
[63] Matth 11, 30.
[64] 1 Io 5, 3.
[65] Deut 30, 14; Rom 10, 8.
[66] Io 13, 34.
[67] Rom 13, 8. 10.
[68] Prov 2, 20; LXX.
[69] Ps 16, 4.
[70] De natura et gratia nr. 82 s.; ML 44, 288 ss.; cf. supra pag. 246, nota 43; De gratia et libero arbitrio, cap. 16 nr. 32; supra pag. 227 s.

THEOLOGI

S. THOMAS 1, 2 q. 109 a. 9 quaerit: « Utrum ille, qui iam consecutus est gratiam, per seipsum possit operari bonum et vitare peccatum absque auxilio gratiae », et respondet: « Homo ad recte vivendum dupliciter auxilio Dei indiget: uno quidem modo quantum ad aliquod habituale donum, per quod natura humana corrupta sanetur et etiam sanata elevetur ad operanda opera meritoria vitae aeternae, quae excedunt proportionem naturae; alio modo indiget homo auxilio gratiae, ut a Deo moveatur ad agendum. Quantum igitur ad primum auxilii modum homo in gratia exsistens non indiget alio auxilio gratiae, quasi aliquo alio habitu infuso; indiget tamen auxilio gratiae secundum alium modum, ut scilicet a Deo moveatur ad recte agendum. Et hoc propter duo: primo quidem ratione generali propter hoc, quod, sicut supra dictum est, nulla res creata potest in quemcumque actum prodire, nisi virtute motionis divinae; secundo ratione speciali propter conditionem status humanae naturae, quae quidem, licet per gratiam sanetur quantum ad mentem, remanet tamen in ea corruptio et infectio quantum ad carnem, per quam servit legi peccati, ut dicitur ad Rom 7; remanet etiam quaedam ignorantiae obscuritas in intellectu, secundum quam, ut etiam dicitur Rom 8: Quid oremus, sicut oportet, nescimus. Propter varios enim rerum eventus, et quia etiam nos ipsos non perfecte cognoscimus, non possumus ad plenum scire, quid nobis expediat, secundum illud Sap 9: Cogitationes mortalium timidae, et incertae providentiae nostrae; et ideo necesse est nobis, ut a Deo dirigamur et protegamur, qui omnia novit et omnia potest. Et propter hoc etiam renatis in filios Dei per gratiam convenit dicere: Et ne nos inducas in tentationem; et: Fiat voluntas tua, sicut in caelo, et in terra, et caetera, quae in oratione Dominica continentur ad hoc pertinentia ».

THESIS 13: ***Iustus omni et solo peccato mortali iustitiam amittit.***

Calvinus docuit solos praedestinatos habere veram fidem iustificantem, eos solos habere spiritum adoptionis, eosque numquam amittere iustitiam; reprobi autem numquam in tota sua vita erant iustificati neque habebant veram fidem. Secundum ipsum ergo iustitia est inamissibilis [71].

---

[71] « Scio quibusdam durum videri ubi fides reprobis tribuitur, quum Paulus (1 Thess 1, 4) eam fructum electionis esse asserat. Qui tamen nodus facile solvitur: quia etsi in fidem non illuminantur, nec evangelii efficaciam vere sentiunt, nisi qui praeordinati sunt ad salutem; experientia tamen ostendit reprobos interdum simili fere sensu atque electos affici, ut ne suo quidem iudicio quidquam ab electis differant. Quare nihil absurdi est quod coelestium donorum gustus ab apostolo, et temporalis fides a Christo illis ascribitur: non quod vim spiritualis gratiae solide percipiant ac certum fidei lumen, sed quia Dominus, ut magis convictos et inexcusabiles reddat, se insinuat in eorum mentes, quatenus sine adoptionis spiritu gustari potest eius bonitas. Si quis obiciat, nihil igitur amplius restare fidelibus unde certo adoptionem suam aestiment, respondeo, quamvis magna sit similitudo et affinitas inter Dei electos, et qui fide caduca ad tempus donantur, vigere tamen in solis electis fiduciam illam quam celebrat Paulus (Gal 4, 6), ut pleno ore clament, abba, pater. Ergo, ut solos electos semine incorruptibili Deus in perpetuum regenerat, ut nunquam dispereat semen vitae eorum cordibus insitum, ita solide in illis obsignat adoptionis suae gratiam, ut stabilis ac rata sit. Sed hoc minime obstat quin illa inferior spiritus operatio cursum suum habeat etiam in reprobis. Interea docentur fideles, sollicite et humiliter se ipsos excutere, ne pro fidei certitudine obrepat carnis securitas. Adde quod reprobi nunquam sensum gratiae nisi confusum percipiunt, ut umbram potius apprehendant quam solidum corpus: quia peccatorum remissionem spiritus proprie in solis electis obsignat, ut eam speciali fide in usum suum applicent. Merito tamen dicuntur reprobi Deum credere sibi propitium, quia donum reconciliationis, licet confuse nec satis distincte, suscipiunt: non quod eiusdem vel fidei, vel regenerationis participes sint cum filiis Dei, sed quia commune cum illis fidei principium habere videntur, sub integumento hypocriseos. Nec vero nego quin hucusque eorum mentes irradiet Deus, ut eius gratiam agnoscant; sed sensum illum a peculiari testimonio quod reddit suis electis, ita distinguit, ut ad solidum effectum et fruitionem non perveniant. Non enim ideo se propitium illis demon-

Inamissibilitatem iustitiae antea iam docuerat I o v i n i a n u s, de quo s. Hieronymus: « Secunda propositio (Ioviniani) est, eos qui fuerint baptizati, a diabolo non posse tentari. Et ne hoc stulte dixisse videretur, adicit: Quicumque autem tentati fuerint, ostendi eos aqua tantum, et non spiritu baptizatos, quod in Simone Mago legimus. Unde et Ioannes dicit: Omnis qui natus est ex Deo, peccatum non facit: quoniam semen ipsius in eo manet: et non potest peccare, quia ex Deo natus est. Et in hoc manifesti fiunt filii Dei et filii diaboli [72]. Et in fine Epistolae: Omnis qui natus est ex Deo non peccat; sed generatio Dei conservat eum, et malignus non tangit eum » [73].

L u t h e r u s secundum doctrinam suam de fide fiduciali docuit, iustitiam, sicut per fidem apprehenditur, ita eadem fide fiduciali retineri; quam primum hanc fidem homo relinquit, a iustitia excidit. Et quidem sic solum iustitia amittitur. Iustus in omni opere peccat, quae peccata in se sunt mortalia; iustis autem a Deo non imputantur et ita illis sunt venialia. Per ea iustitia non amittitur.

Contra utrumque errorem statuitur thesis.

« Iustus... amittit »: Iustitia accepta est amissibilis. Ergo possibile est, iustificatum iterum fieri inimicum Dei, peccatorem, et si in tali statu moritur, damnari; ergo aliquis reprobus per aliquod tempus potest esse in statu gratiae et filius Dei. Haec contra Calvinum.

« Omni peccato mortali »: Ergo non sola infidelitate, sed etiam aliis peccatis anima vita supernaturali privari potest, quae peccata propterea mortalia vocantur [74]. Haec contra Lutherum.

---

strat, quia vere ex morte ereptos in custodiam suam recipiat, sed tantum illis manifestat praesentem misericordiam. Viva autem fidei radice solos electos dignatur, ut in finem usque perseverent ». Institutio religionis christianae, lib. 3 cap. 2. Corp. Ref. 30, 406 s.

[72] 1 Io 3, 9.

[73] 1 Io 5, 18. — Alversus Iovinianum, lib. 2, 1; ML 23, 281 s.

[74] De natura illorum peccatorum vide tractatus de peccatis; e. g. Pesch, tom. 9 pag. 209 ss., qui prop. 24 ita describit peccatum mortale: « Peccatum mortale actuale est actus moraliter et perfecte liber, quo homo se ita convertit ad bonum creatum lege divina prohibitum, ut se simpliciter avertat a Deo fine ultimo » (pag. 212); et peccatum veniale

« Solo »: Sunt quaedam peccata minora, quae in iusto inveniri possunt quin cesset esse iustus; sunt praecise illa quae dicuntur venialia.

« Iustitia »: intelligitur proxime de illo dono, quo homo formaliter iustus constituitur, scl. de gratia sanctificante, cum Spiritu Sancto inhabitante [75]. Quod ad virtutes infusas attinet, in tractatu de virtutibus infusis [76] probatum est, virtutem caritatis simul cum gratia sanctificante amitti, ergo omni et solo peccato mortali; virtutem spei, per peccatum ipsi directe oppositum, et virtutem spei et fidei per peccatum fidei directe oppositum. Haec amissio gratiae non sic intelligenda est, ac si homo per peccatum physice gratiam destrueret; sed sicut a Deo habitus supernaturales infunduntur, ita etiam a Deo physice destruuntur, si homo impedimentum contra illum habitum ponit.

Thesis est definita in concilio tridentino.

Tres sunt partes thesis: 1) iustitia amitti potest; 2) omni peccato mortali; 3) solo peccato mortali.

I. Iustitia amitti potest.

Doc. Ecclesiae

Conc. tridentinum, cap. 12: « Nemo quoque, quamdiu in hac mortalitate vivitur, de arcano divinae praedestinationis mysterio usque adeo praesumere debet, ut certo statuat, se omnino esse in numero praedestinatorum, quasi verum esset, quod iustificatus aut amplius peccare non possit, aut, si peccaverit, certam sibi resipiscentiam promittere debeat. Nam, nisi ex speciali revelatione, sciri

---

prop. 30: « Peccatum veniale est actus humanus moraliter malus, quo non tollitur habitualis conversio ad finem ultimum per caritatem » (pag. 252).

[75] Secundum eos, qui gratiam sanctificantem realiter identicam habent cum caritate, intelligendum est de caritate.

[76] Nr. 646 ss.

non potest, quos Deus sibi elegerit »[77]. Cap. 13: « Similiter de perseverantiae munere... nemo sibi certi aliquid absoluta certitudine polliceatur... in spem gloriae et nondum in gloriam renati sunt...[78]. — Cap. 14: « Qui vero ab accepta iustificationis gratia per peccatum exciderunt, rursus iustificari poterunt, cum excitante Deo per poenitentiae sacramentum merito Christi amissam gratiam recuperare procuraverint... »[79]. — Can. 23: « Si quis hominem semel iustificatum dixerit amplius peccare non posse, neque gratiam amittere atque ideo eum, qui labitur et peccat, numquam vere fuisse iustificatum... A. S. »[80].

Clemens XI damnavit errorem Paschasii Quesnel 43: « Primus effectus gratiae baptismalis est facere, ut moriamur peccato, adeo ut spiritus, cor, sensus non habeant plus vitae pro peccato, quam homo mortuus habeat pro rebus mundi »[81].

S. Scriptura

Rom 11, 20 ss.: « Tu autem fide stas: Noli altum sapere, sed time. Si enim Deus naturalibus ramis non pepercit: ne forte nec tibi parcat. Vide ergo bonitatem et severitatem Dei: in eos quidem, qui ceciderunt, severitatem: in te autem bonitatem Dei, si permanseris in bonitate, alioquin et tu excideris ». — 1 Cor 9, 27: « Castigo corpus meum, et in servitutem redigo, ne forte cum aliis praedicaverim, ipse reprobus efficiar ». — 1 Cor 10, 12: « Qui se existimat stare, videat ne cadat ». — Apoc 3, 11: « Tene quod habes, ut nemo acccipiat coronam tuam ».

Patres vide in parte sequente.

---

77 Denz 805.
78 Denz 806.
79 Denz 807. — Cf. doctrinam de sacramento poenitentiae, quae tota possibilitatem amissionis gratiae supponit.
80 Denz 833. Cf. can. 29, Denz 839.
81 Denz 1393.

II. Omni peccato mortali.

DOC. ECCLESIAE

CONC. TRID. cap. 15: « Adversus etiam hominum quorumdam callida ingenia, qui per dulces sermones et benedictiones seducunt corda innocentium [82], asserendum est, non modo infidelitate, per quam et ipsa fides amittitur, sed etiam quocumque alio mortali peccato, quamvis non amittatur fides, acceptam iustificationis gratiam amitti: divinae legis doctrinam defendendo, quae a regno Dei non solum infideles excludit, sed et fideles quoque fornicarios, adulteros, molles, masculorum concubitores, fures, avaros, ebriosos, maledicos, rapaces [83], ceterosque omnes, qui letalia committunt peccata, a quibus cum divinae gratiae adiumento abstinere possunt et pro quibus a Christi gratia separantur » [84]. — Can. 27: « Si quis dixerit, nullum esse mortale peccatum nisi infidelitatis, aut nullo alio quantumvis gravi et enormi praeterquam infidelitatis peccato semel acceptam gratiam amitti: A. S. » [85].

Sess. 7, De Baptismo, can. 6: « Si quis dixerit, baptizatum non posse, etiamsi velit, gratiam amittere, quantumcumque peccet, nisi nolit credere: A. S. » [86].

S. SCRIPTURA

S. Paulus plura enumerat peccata, quae a regno Dei excludunt: 1 Cor 6, 9 (cit. in Concilio Tridentino); Gal 5, 19-21; Eph 5, 5; similiter Apoc 21, 8 (« pars illorum erit in stagno ardenti igne, et sulphure: quod est mors secunda »).

---

82 Rom 16, 18.
83 1 Cor 6, 9 s.
84 Denz 808.
85 Denz 837.
86 Denz 862.

Iac 1, 15: « Peccatum vero cum consummatum fuerit (perfectum, perfecte commissum), generat mortem ».

PATRES

S. ATHANASIUS: « Quocirca cum aliquis vitio aliquo a Spiritu defecerit, illa quidem gratia apud eos qui voluerint irrevocabiliter permanet, si modo ipsos postquam ceciderint, paeniteat; verumtamen ille qui cecidit non amplius in Deo est, eo quod sanctus et paracletus Spiritus, qui in Deo est, ab ipso recesserit » [87].

S. HIERONYMUS, explicans verba Ioannis, quae obiecerat Iovinianus: « Propterea, inquit, scribo vobis, filioli mei: Omnis qui natus est ex Deo non peccat, ut non peccetis, et tamdiu sciatis vos in generatione Domini permanere, quamdiu non peccaveritis. Immo qui in generatione Domini perseverant, peccare non possunt. Quae enim communicatio luci et tenebris? Christo et Belial? [88]. Quomodo dies et nox misceri nequeunt, sic nec iustitia et iniquitas, peccatum et bona opera, Christus et Antichristus. Si susceperimus Christum in hospitio nostri pectoris, illico fugamus diabolum. Si peccaverimus, et per peccati ianuam ingressus fuerit diabolus, protinus Christus recedet » [89].

S. AUGUSTINUS: « Si autem iam regeneratus et iustificatus in malam vitam sua voluntate relabitur, certe iste non potest dicere: Non accepi, quia acceptam gratiam Dei suo in malum libero amisit arbitrio » [90].

---

87 Adv. Arianos or. 3, 24; MG 26, 373; R 770.
88 2 Cor 6, 14.
89 Adversus Iovinianum lib. 2 nr. 2; ML 23, 283.
90 De correptione et gratia 6, 9; ML 44, 921; R 1944.

III. Solo peccato mortali.

Doc. Ecclesiae

Conc. trid. cap. 11: « Licet enim in hac mortali vita quantumvis sancti et iusti in levia saltem et quotidiana, quae etiam venialia dicuntur, peccata quandoque cadant, non propterea desinunt esse iusti. Nam iustorum illa vox est et humilis et verax: Dimitte nobis debita nostra » [91]. — Sess. 14, cap. 5, De confessione: « Nam venialia, quibus a gratia Dei non excludimur et in quae frequentius labimur... » [92].

S. Scriptura

Iac 3, 2: « In multis enim offendimus omnes ». Certo non vult dicere, omnes esse spiritualiter mortuos et separatos a Christo. — Omnes debent orare: « Dimitte nobis debita nostra », Matth 6, 12.

Plura de hac parte vide in thesi 15, ubi ostenditur singulare privilegium esse, posse in tota vita peccata venialia vitare; non autem est singulare privilegium, in iustitia accepta permanere; id enim omnis iustus potest (cf. thes. 12 part. 3).

Thesis 14: ***Perseverantia finalis est magnum Dei donum.***

Iustus potest in iustitia perseverare, potest cum speciali auxilio divino vitare peccata mortalia (thes. 12); sed potest iterum peccare et gratiam amittere (thes. 13); ergo non omnis, qui potest perseverare, eoipso iam de facto perseverat usque ad finem vitae et aeternam beatitudinem consequitur. Actu perseverare sine dubio maius

---

[91] Matth 6, 12. — Denz 804; cf. conc. carthag. can. 7; Denz 107.
[92] Denz 899.

bonum est quam posse perseverare. Finalis perseverantia in thesi dicitur magnum Dei donum ad significandum 1) revera eam esse donum Dei neque identicum cum illis donis, quae quilibet iustus habet unde potest perseverare; 2) hoc donum propterea dicitur magnum, quia qui illud accipit, aeternam consequetur beatitudinem.

Sermo in thesi non est de virtute perseverantiae, quae est virtus annexa fortitudini et inclinat ad prosequendum in opere bono non obstantibus difficultatibus, quae praecise ex diuturnitate operis oriuntur.

Perseverantia in thesi intelligitur permansio in iustitia accepta. Est temporalis, si iustus per aliquod tempus manet in iustitia, sed deinde iterum peccat; hanc practice quilibet iustus habet, cum vix inveniatur homo, qui immediate post iustificationem statim peccet; sed patet maius esse donum, si quis per diuturnius tempus a peccato liber manet, quam si solum per breve tempus.

Perseverantia finalis ea est, quae post ultimam iustificationem perdurat usque ad finem vitae. Per se non debet diu perdurare, quia possibile est aliquem mori brevissime post acceptam iustificationem.

Perseverantia finalis potest esse potentialis, id est potentia perseverandi, quam secundum thesim 12 omnis iustificatus habet; actualis vero illa est, quae actum perseverandi includit; est ergo actualis permansio in iustitia accepta usque ad mortem. Hanc potest ille habere, qui modo quidem peccator est, sed qui se convertet et deinde in gratia manet et in ea moritur; potest eadem deesse in aliquo qui nunc in statu gratiae est, qui tamen postea peccabit et in peccato morietur. Hinc iam apparet elementum principale in perseverantia actuali finali esse ipsam mortem in statu gratiae, quae vocari solet perseverantia finalis passiva; perseverantia vero activa intelligitur permansio in bene operando ab ultima iustificatione usque ad mortem.

Utrumque complectitur donum perseverantiae finalis; possunt tamen esse casus, in quibus perseverantia finalis est solum passiva; ita in infantibus baptizatis, qui ante usum rationis moriuntur; et in adultis, qui statim vel brevi post ultimam iustificationem moriuntur.

Ex dictis patet, cur haec perseverantia iure magnum Dei donum dicatur, quod non ipsa iustificatione ut tali confertur: 1) ratione perseverantiae passivae: finis vitae hominis est sub providentia divina; ab homine non pendet, quod cum sit in statu peccati mortalis non moriatur, sed ei tempus ad iustificationem adhuc concedatur et quod deinde in gratia moriatur; 2) ratione perseverantiae activae: ad posse perseverare iam speciale auxilium divinum requiritur; sine dubio autem longe maius beneficium est accipere a Deo gratias cum quibus non solum perseverare potest, non autem de facto perseverabit (gratiae vere et mere sufficientes), sed cum quibus de facto cooperabitur, peccatum vitabit et perseverat in gratia (gratiae efficaces); 3) addi potest specialis providentia, qua Deus hominem liberum servat a tentationibus, quibus succumberet; sed hoc aliqua ratione ad 2) reduci potest.

Adversantur thesi praeter pelagianos semipelagiani, quorum sententiam Hilarius ita S. Augustino exponit: « Quod autem dicit Sanctitas tua, neminem perseverare, nisi perseverandi virtute percepta, hactenus accipiunt, ut quibus datur, inerti licet, praecedenti tamen proprio arbitrio tribuatur; quod ad hoc tantum liberum asserunt, ut velit vel nolit admittere medicinam. Caeterum et ipsi abominari se et damnare testantur, si quis quidquam virium in aliquo remansisse, quo ad sanitatem progredi possit, existimet. Nolunt autem ita hanc perseverantiam praedicari, ut non vel suppliciter emereri, vel amitti contumaciter possit. Nec ad incertum voluntatis Dei deduci se volunt, ubi eis quantum putant ad obtinendum vel admittendum, evidens est qualecunque initium voluntatis. Illud etiam testimonium, quod posuisti: Raptus est ne malitia mutaret intellectum eius [93], tamquam non canonicum definiunt omittendum. Unde illam praescientiam sic accipiunt, ut propter fidem futuram intelligendi sint praesciti: nec cuiquam talem dari perseverantiam, a qua non permittatur praevaricari, sed a qua possit sua voluntate deficere et infirmari... Caeterum quidquidlibet donatum sit praedestinatis, id posse et amitti et retineri propria voluntate contendunt; quod tunc falsum esset, si verum putarent eam quosdam per-

---

93 Sap 4, 11.

severantiam percepisse, ut nisi perseverantes esse non possint »[94].

Error in eo consistere videtur, quod negent, esse donum aliquod perseverantiae, quod libera voluntate hominis non possit actu frustrari effectu suo, sive quod infallibiliter mortem in gratia includat. Si quis enim habet donum perseverantiae, sicuti supra explicatum est, metaphysice repugnat, eum non actu perseverare.

Doc. Ecclesiae

Conc. trid. cap. 12 dicit iustum, si peccaverit non posse sibi certam resipiscentiam promittere, quia sine revelatione sciri non potest, quos Deus sibi elegerit; ergo ab electione Dei pendet[95]. Cap. 13: Munus perseverantiae « de quo scriptum est: Qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit[96]... aliunde haberi non potest, nisi ab eo, qui potens est eum, qui stat, statuere[97], ut perseveranter stet, et eum, qui cadit, restituere... »[98]; ergo finalis perseverantia est munus Dei. Can. 16 vocatur « magnum illud usque in finem perseverantiae donum »[99].

S. Scriptura

Secundum s. Scripturam mors in statu amicitiae cum Deo est donum divinum: Sap 4, 11: « Raptus est, ne malitia mutaret intellectum eius »; 4, 14: « Placita enim erat Deo anima illius; propter hoc properavit educere illum de medio iniquitatum ». — Monet Dominus ut constanter orent ad consequendam hanc perseverantiam: Luc 21, 34 ss.: « Attendite autem vobis, ne forte graventur corda vestra in crapula, et ebrietate, et curis huius vitae: et super-

---

94 Epist. 226, nr. 4; 6; ML 33, 1009; 1010.
95 Denz 805.
96 Matth 10, 22; 24, 13.
97 Rom 14, 1.
98 Denz 806.
99 Denz 826.

veniat in vos repentina dies illa: tamquam laqueus enim superveniet in omnes, qui sedent super faciem omnis terrae. Vigilate itaque, omni tempore orantes, ut digni habeamini, fugere ista omnia, quae futura sunt, et stare ante Filium hominis ».

Patres

S. Augustinus fuse hanc quaestionem tractat in libro « De dono perseverantiae [100]. Initio ostendit quid sit haec perseverantia: « Iam de perseverantia diligentius disputandum est: nam et in priore libro [101], cum ageremus de initio fidei, etiam de hac aliqua diximus. Asserimus ergo donum Dei esse perseverantiam qua usque in finem perseveratur in Christo. Finem autem dico, quo vita ista finitur, in qua tantummodo periculum est ne cadatur. Itaque utrum quisque hoc munus acceperit, quamdiu hanc vitam duxit, incertum est. Si enim priusquam moriatur cadat, non perseverasse utique dicitur, et verissime dicitur. Quomodo ergo perseverantiam, qui non perseveravit, accepisse vel habuisse dicendus est? Nam si habeat aliquis continentiam, et ab ea decidat atque incontinens fiat, si iustitiam similiter, si patientiam, si ipsam fidem, recte dicitur habuisse et non habere: continens enim fuit, vel iustus fuit, vel patiens, vel fidelis fuit, quamdiu fuit: cum vero esse destitit, non est quod fuit: qui vero non perseveraverit, quomodo perseverans fuit; cum perseverando quisque ostendat se perseverantem, quod iste non fecit? Sed ne quisquam reluctetur et dicat: si ex quo fidelis quisque factus est, vixit, verbi gratia, decem annos, et eorum medio tempore a fide lapsus est, nonne quinque annos perseveravit? Non contendo de verbis, si et illa perseverantia putatur esse dicenda, tamquam temporis sui: hanc certe de qua nunc agimus perseverantiam, qua in Christo perseveratur usque in finem, nullo modo habuisse dicendus est, qui non perseveraverit usque in finem; potiusque hanc habuit unius anni fidelis, et quantum infra cogitari potest,

---

[100] Supra pag. 22 s.
[101] De Praedestinatione Sanctorum.

si: donec moreretur fideliter vixit, quam multorum annorum, si exiguum temporis ante mortem a fidei stabilitate defecit. Quo constituto, videamus, utrum haec perseverantia, de qua dictum est: Qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit[102], donum Dei sit »[103].

Deinde multis probat perseverantiam non esse ex viribus liberi arbitrii, ex meritis nostris, sed gratuitum donum Dei, ubi inter alia valde in eo insistit, quod perseverantia sit obiectum orationis (nr. 3: « Cur autem perseverantia ista poscitur a Deo, si non datur a Deo? »)[104], quod argumentum iam fuse propositum invenit apud Cyprianum (nr. 4-9).

Cap. 7, nr. 15: « A quo enim, nisi ab illo accipimus, a quo iussum est ut petamus? Prorsus in hac re non operosas disputationes exspectet Ecclesia: sed attendat quotidianas orationes suas. Orat, ut increduli credant; Deus ergo convertit ad fidem. Orat, ut credentes perseverent: Deus ergo donat perseverantiam usque in finem »[105].

Cap. 17, nr. 41: « Restat in his bonis usque in finem perseverantia, quae frustra quotidie a Domino poscitur, si non eam Dominus per gratiam suam in illo, cuius orationes exaudit, operatur. Videte iam a veritate quam sit alienum, negare donum Dei esse perseverantiam usque in finem huius vitae: cum vitae huic, quando voluerit, ipse det finem; quem si dat ante imminentem lapsum, facit hominem perseverare usque in finem »[106].

Versus finem libri ostendit, se haec non nova docere, sed iam antea eadem docuisse, cap. 21, nr. 55: « Et ego quidem in illo libro, cuius est titulus De correptione et gratia, qui sufficere non potuit omnibus dilectoribus nostris, puto me ita posuisse donum Dei esse, etiam perseverare usque in finem[107], ut hoc antea, si me non fallit oblivio, tam expresse atque evidenter, vel nusquam, vel pene nusquam scripserim. Sed ita hoc nunc dixi, ut non ante me nemo di-

---

102 Matth 10, 22.
103 De dono perseverantiae nr. 1; ML 45, 993 ss.
104 ML 45, 996.
105 ML 45, 1002.
106 ML 45, 1018.
107 De correptione et gratia, c. 6 nr. 10; ML 44, 921 s.

xerit. Beatus quippe Cyprianus in Oratione Dominica, sicut iam ostendimus, petitiones nostras ita exposuit, ut in ipsa prima petitione perseverantiam nos diceret poscere; id nos orare asserens, dicendo, Sanctificetur nomen tuum [108], cum iam in Baptismate sanctificati fuerimus; ut in eo quod esse coepimus, perseveremus. Videant tamen ii, quibus amantibus me, ingratus esse non debeo, qui praeter hoc quod in quaestionem venit, omnia mea, sicut scribitis, se profitentur amplecti: videant, inquam, utrum in primi libri posterioribus partibus, eorum duorum quos mei episcopatus initio, antequam Pelagiana haeresis appareret, ad Simplicianum Mediolanensem episcopum scripsi [109], remanserit aliquid quo vocetur in dubium, gratiam Dei non secundum merita nostra dari: et utrum ibi non satis egerim, etiam initium fidei esse donum Dei: et utrum ex iis quae ibi dicta sunt, non consequenter eluceat, etsi non sit expressum, etiam usque in finem perseverantiam non nisi ab eo donari, qui nos praedestinavit in suum regnum et gloriam. Deinde ipsam epistolam, quam iam contra Pelagianos ad sanctum Paulinum Nolanum episcopum feci [110], cui epistolae contradicere modo coeperunt, nonne ante annos plurimos edidi? Eam quoque inspiciant, quam dedi ad Sixtum Romanae Ecclesiae presbyterum [111], quando adversus Pelagianos acerrima conflictatione certavimus; et talem reperient, qualis illa est ad Paulinum. Unde recolant, adversus haeresim Pelagianam iam ante aliquot annos ista dicta esse atque conscripta, quae nunc eis displicere mirandum est.

Quamvis neminem velim sic amplecti omnia mea, ut me sequatur, nisi in iis in quibus me non errasse perspexerit. Nam propterea nunc facio libros, in quibus opuscula mea retractanda suscepi, ut nec me ipsum in omnibus me secutum fuisse demonstrem, sed proficienter me existimo Deo miserante scripsisse, non tamen a perfectione coepisse: quandoquidem arrogantius loquor quam verius, si vel nunc dico me ad perfectionem sine ullo errore scribendi iam

---

108 Matth 6, 9.
109 De diversis quaestionibus, ad Simplicianum (396-397).
110 Epist. 186 (417).
111 Epist. 194 (418).

in ista aetate venisse. Sed interest quantum et in quibus rebus erretur; et quam facile quisque corrigat, vel quanta pertinacia suum defendere conetur errorem. Bonae quippe spei est homo, si eum sic proficientem dies ultimus huius vitae invenerit, ut adiciantur ei quae proficienti defuerunt, et perficiendus quam puniendus potius iudicetur » [112].

THEOLOGI

Quamvis diversae sint theologorum sententiae de praedestinatione, de gratia efficaci eiusque natura, tamen in eo omnes conveniunt, perseverantiam finalem esse magnum Dei donum. S. THOMAS: « Perseverantia tripliciter dicitur: Quandoque enim significat habitum mentis, per quem homo firmiter stat, ne removeatur ab eo, quod est secundum virtutem, per tristitias irruentes; ut sic se habeat perseverantia ad tristitias, sicut continentia ad concupiscentias et delectationes, ut Philosophus dicit in 7 Eth. Alio modo potest dici perseverantia habitus quidam, secundum quem homo habet propositum perseverandi in bono usque in finem: et utroque istorum modorum perseverantia simul cum gratia infunditur, sicut et continentia et caeterae virtutes. Alio modo dicitur perseverantia continuatio quaedam boni usque ad finem vitae; et ad talem perseverantiam habendam homo in gratia constitutus non quidem indiget aliqua alia habituali gratia, sed divino auxilio ipsum dirigente et protegente contra tentationum impulsus, sicut ex praecedenti quaestione apparet. Et ideo, postquam aliquis est iustificatus per gratiam, necesse habet a Deo petere praedictum perseverantiae donum, ut scilicet custodiatur a malo usque ad finem vitae. Multis enim datur gratia, quibus non datur perseverare in gratia » [113].

Si quaeritur, in quo proprie donum perseverantiae consistat, patet iam ex dictis, non consistere in donis, quae in ipsa iustificatione conferuntur, ergo neque in gratia quae sacramentalis dicitur,

---

112 ML 45, 1027 s.
113 S. Th. 1, 2 q. 109 a. 10.

quocumque modo illa explicetur; praeterea non, uti s. Thomas supra animadvertit, in alio quodam habitu infuso; immo in nullo dono particulari, sed in complexu donorum, quae iam indicata sunt, scl. directione divina per providentiam, protectione per gratias efficaces, et morte in statu gratiae [114]. Qui habet donum perseverantiae, aliquo sensu est impeccabilis, quae impeccantia est externa, cum non sit in ipso subiecto ratio, qua peccatum a subiecto est exclusum.

Distinguendum est a dono perseverantiae finalis donum confirmationis in gratia, quod aliquibus sanctis a Deo concessum est. In quo autem differentia consistit, diverso modo a theologis explicatur, quae explicatio magna ex parte dependet a diversis sententiis de praedestinatione et de natura gratiae efficacis [115].

THESIS 15: ***Iustus sine speciali Dei privilegio non potest in tota sua vita omnia peccata venialia vitare.***

« Iustus »: Thesis agit de iustificatis; si autem de illis valet, a fortiori idem dicendum est de reliquis hominibus.

« Omnia peccata venialia »: Quid sit peccatum veniale, vide supra pag. 253, nota 74. Potest peccatum esse veniale sive ex natura obiecti sive ex defectu deliberationis; haec ultima vocantur peccata subreptitia. Thesis per se loquitur de omnibus peccatis venialibus, deliberatis et subreptitiis, sed imprimis intelligitur de peccatis subreptitiis, licet liberum manere ab omni peccato veniali deliberato iam sit magnum omnino Dei donum. Porro thesis agit de peccatis venialibus collective sumptis, non de singulis peccatis per se sumptis.

« In tota vita »: ita ipsa thesis, et hoc sensu est definita; facile autem inde fit conclusio, iustum ne diu quidem posse liberum manere a peccato veniali, diu eo sensu intelligendo, quo intelligitur in thesi 11.

---

114 Suárez, De gratia l. 10, c. 5.

115 De hac quaestione cf. Suárez, De gratia. l. 10, c. 8; Gummersbach, Unsündlichkeit und Befestigung in der Gnade, Frankfurt, 1933, pag. 308-340.

« Sine privilegio »: Privilegium definitur: exceptio a lege generali et odiosa. Si ergo vitare omne peccatum veniale est privilegium, exsistere debet aliqua lex, secundum quam omnes homines, etiam iusti, committunt peccata venialia. Hoc autem non ita intelligendum est, ac si Deus statuisset legem, ut omnes homines committerent peccata venialia; sed Deus in praesenti ordine iustis non vult dare illas gratias, cum quibus omnia peccata venialia vitabunt, sed vult permittere, ut talia peccata a iustis fiant. Uti in tractatu de providentia ostenditur, Deus hoc potest permittere, quia étiam peccatum externe ordinari potest ad aliquod bonum [116].

« Speciale privilegium » illud est, quod non nisi rarissime conceditur. Hoc privilegium de facto concessum est Beatae Virgini, ut per totam suam vitam libera maneret ab omni peccato veniali. Patet magnum esse privilegium, si quis « diu » liber manet ab omni peccato veniali.

« Non potest »: intelligendum est simili modo quo in thesi 11, non de physica, sed de morali impotentia.

Adversantur thesi Pelagiani, de quibus s. Augustinus dixit: « In id etiam progrediuntur, ut dicant, vitam iustorum in hoc saeculo nullum omnino habere peccatum, et ex his Ecclesiam Christi in hac mortalitate perfici, ut sit omnino sine macula et ruga; quasi non sit Christi Ecclesia, quae toto terrarum orbe clamat ad Deum: Dimitte nobis debita nostra » [117].

Praeterea Beguardi putabant hominem posse venire ad talem gradum perfectionis, ut sit omnino impeccabilis.

Doc. Ecclesiae

Conc. viennense damnavit errorem Beguardorum 1: « Quod homo in vita praesenti tantum et talem perfectionis gradum potest acquirere, quod reddetur penitus impeccabilis et amplius in gratia

---

[116] De Deo uno, nr. 344.
[117] Vide supra pag. 13.

proficere non valebit: nam, ut dicunt, si quis semper posset proficere, posset aliquis Christo perfectior inveniri »[118].

CONC. TRIDENTINUM, can. 23: « Si quis hominem semel iustificatum dixerit... posse in tota vita peccata omnia etiam venialia vitare, nisi ex speciali Dei privilegio, quemadmodum de beata Virgine tenet Ecclesia: A. S. »[119].

S. Scriptura

S. Scriptura omnino universaliter de omnibus iustis dicit vel supponit, esse in iis peccata, quae cum non possint intelligi mortalia (sunt enim iusti), intelligi debent venialia; ergo in praesenti ordine Deus non vult dare iustis illas gratias, cum quibus omnia peccata venialia vitabunt; ergo si in casu quodam speciali tamen tales gratias concedit, habetur exceptio ab illa lege universali.

Textus sunt iidem qui in thesi 13 parte III allati sunt, Jac 3,2: « In multis offendimus omnes », et Matth 6,12: omnes debent orare: « dimitte nobis debita nostra ».

Patres

S. GREGORIUS NAZIANZENUS: « Illud cognitum habeamus, quod omni vitio carere vere hominis modulum excedit, soliusque Dei est »[120].

S. AUGUSTINUS: « Propter omnia peccata baptismus inventus est; propter levia, sine quibus esse non possumus, oratio inventa. Quid habet oratio? Dimitte nobis debita nostra, sicut et nos dimittimus debitoribus nostris. Semel abluimur baptismate, cotidie abluimur oratione »[121]. — « Sicut enim non impediunt a vita aeterna

---

118 Denz 471.

119 Denz 833. — Cf. Conc. carthag. can. 6-8; Denz 106-108.

120 Orat. 16, 15; MG 35, 953; R 981.

121 De symbolo sermo ad catechumenos 1, 7, 15; ML 40, 636; R 1536.

iustum quaedam peccata venialia, sine quibus haec vita non ducitur, sic ad salutem aeternam nihil prosunt impio aliqua bona opera, sine quibus difficillime vita cuiuslibet pessimi hominis invenitur » [122].

« Excepta itaque sancta virgine Maria, de qua propter honorem Domini nullam prorsus, cum de peccatis agitur, haberi volo quaestionem — unde enim scimus, quid ei plus gratiae collatum fuerit ad vincendum omni ex parte peccatum, quae concipere ac parere meruit quem constat nullum habuisse peccatum? — hac ergo virgine excepta, si omnes illos sanctos et sanctas, cum hic viverent, congregare possemus et interrogare utrum essent sine peccato, quid fuisse responsuros putamus? Utrum hoc quod iste (Pelagius) dicit, an quod Ioannes apostolus? Rogo vos, quantalibet fuerint in hoc corpore excellentia sanctitatis, si hoc interrogari potuissent, nonne una voce clamassent: Si dixerimus quia peccatum non habemus, nos ipsos decipimus, et veritas in nobis non est? » [123]. — « Non potest homo, quamdiu carnem portat, nisi habere vel levia peccata » [124].

Theologi

S. Thomas: « In statu autem naturae corruptae indiget homo gratia habituali sanante naturam ad hoc, quod omnino a peccato abstineat; quae quidem sanatio primo fit in praesenti vita secundum mentem, appetitu carnali nondum totaliter reparato; unde Apostolus ad Rom 7 in persona hominis reparati dicit: Ego ipse mente servio legi Dei, carne autem legi peccati; in quo statu potest homo abstinere ab omni peccato mortali, quod in ratione consistit, ut supra habitum est (1, 2 q. 74 a. 5.), non autem potest homo abstinere ab omni peccato veniali propter corruptionem inferioris appetitus sensualitatis, cuius motus singulos quidem ratio reprimere potest, et ex hoc habent rationem peccati et voluntarii; non autem omnes,

---

122 De spiritu et littera 27, 48; ML 44, 229; R 1733.

123 1 Io 1, 8. — De natura et gratia 36, 42; ML 44, 267; R 1794.

124 In epistulam Ioannis ad Parthos tractatus 1, 6; ML 35, 1924; R 1846. Plura vide apud R ser. 316.

quia dum uni resistere nititur, fortassis alius insurgit, et etiam, quia ratio non semper potest esse pervigil ad huiusmodi motus vitandos, ut supra dictum est (1, 2 q. 74 a. 10) »[125].

SECTIO II.

De merito

Doctrinam de merito concilium tridentinum definivit contra novatores saeculi 16. Lutherum negasse meritum ex iis quae pag. 38 s. citata sunt patet. Neque oblivioni dandum, quod secundum ipsum omnia opera etiam iustorum sunt peccata, quae tamen ipsis a Deo non imputantur. Vidimus quoque novatores aliquam necessitatem bonorum operum post iustificationem affirmare, sed ea nullo modo meritoria esse quoad iustitiam. Hoc maxime apparebat in controversia antinomistica, in qua aliqui meritum aliquo modo concedebant, uti Melanchthon, sed sensu omnino restricto. In Apologia confessionis augustanae haec scribit: « Atque hic addimus etiam de praemiis et de merito. Docemus operibus fidelium proposita et promissa esse praemia. Docemus bona opera meritoria esse, non remissionis peccatorum, gratiae aut iustificationis (haec enim tantum fide consequimur), sed aliorum praemiorum corporalium et spiritualium in hac vita et post hanc vitam, quia Paulus inquit: Unusquisque recipiet mercedem iuxta suum laborem. Erunt igitur dissimilia praemia propter dissimiles labores... Itaque quia iustificationem non meremur operibus nostris, qua efficimur filii Dei et coheredes Christi, non meremur vitam aeternam operibus nostris. Fides enim consequitur, quia fides iustificat nos, et habet placatum Deum. Debetur autem iustificatis iuxta illud: Quos iustificavit, eosdem et glorificavit. Paulus commendat nobis praeceptum de honorandis parentibus, mentione praemii, quod additur illi praecepto,

125 S. Th. 1, 2 q. 109 a. 8.

ubi non vult, quod obedientia erga parentes iustificet nos coram Deo; sed postquam fit in iustificatis, meretur alia magna praemia » [126].

Calvinus de merito docet: « Quid promereantur omnia opera nostra, scriptura ostendit quum Dei conspectum ferre posse negat, quia immunditiae sint plena; quid deinde promeritura sit perfecta legis observatio (si qua reperiri posset), quum praecipit ut nos inutiles servos reputemus quum fecerimus omnia quae praecipiuntur nobis (Luc 17, 10); quia nihil gratuitum impenderimus Domino, sed debitis obsequiis tantum defuncti simus, quibus non est habenda gratia. Dominus tamen, quae in nos contulit bona opera, et nostra appellat, et non tantum accepta sibi esse testatur, sed remunerationem etiam habitura. Nostrum est vicissim tanta promissione animari, animosque colligere, ne bene agendo defatigemur, et tantam Dei benignitatem vera gratitudine prosequi. Gratiam Dei esse non dubium est quidquid in operibus est quod laudem mereatur; nullam esse guttam quam proprie nobis adscribere debeamus. Id si re vera serioque agnoscimus, evanescit quaelibet meriti non fiducia tantum, sed opinio. Bonorum, inquam, operum laudem non (ut sophistae faciunt) inter Deum et hominem partimur; sed totam, integram ac illibatam Domino servamus. Tantum hoc homini assignamus, quod ea ipsa, quae bona erant, sua impuritate polluit et contaminat. Nihil enim ab homine exit, quantumvis perfecto, quod non sit aliqua macula inquinatum. Vocet igitur Dominus in iudicium quae in humanis operibus optima sunt: suam in illis quidem iustitiam agnoscet, hominis vero dedecus et probrum. Placent itaque Deo bona opera, nec suis auctoribus sunt infructuosa; quin magis amplissima Dei beneficia remunerationis loco referunt: non quia ita merentur, sed quia divina benignitas hoc illis ex se ipsa pretium statuit. Quae autem ista est malignitas, non contentos illa Dei largitate, quae nihil tale merentia opera indebitis praemiis muneratur, sacrilega ambitione ultra contendere, ut operum meritis videatur rependi quod divinae totum est munificentiae? » [127].

---

126 Apol. conf. august., art. 3, 73, 75 s. I. T. Müller, Die symbolischen Bücher der evangelisch-lutherischen Kirche, 120 s.

127 Inst. rel. christ. lib. 3 cap. 15, 3; Corp. Ref. 30, 580 s.

Baius[128] docuit conversationem sanctam, perseverantiam usque ad finem vitae, corporis resurrectionem proprie non nisi meritis Christi adscribenda esse. Consecutio autem vitae aeternae secundum ipsum non meritis Christi neque proposito gratiae Dei deputanda est, sed naturali institutioni generis humani adscribenda. Reicit sententiam eorum qui dicunt meritum ex operantis dignitate (filius Dei etc.) metiendum esse, sed tota meriti ratio ex eo metienda est, quod opera sint obedientia mandatorum.

Iansenius[129] negavit ad opus meritorium requiri libertatem a necessitate.

THESIS 16: ***Iustificatus bonis operibus, quae ab eo per Dei gratiam et Iesu Christi meritum (cuius vivum membrum est) fiunt, vere meretur augmentum gratiae, vitam aeternam et ipsius vitae aeternae (si tamen in gratia decesserit) consecutionem, atque etiam gloriae augmentum.***

Verba thesis desumpta sunt ex can. 32 concilii tridentini.

« Iustificatus »: Ut homo possit mereri debet esse in statu gratiae, vitaliter coniunctus cum Christo. Io 15, 4: « Sicut palmes non potest ferre fructum, nisi manserit in vite, sic nec vos, nisi in me manseritis ». Peccator non habet meritum stricte dictum apud Deum. Praeterea debet homo esse in statu viae[130].

« Bonis operibus »: Bona opera ea sunt, quibus homo mandata vel consilia Dei observat, quibus agit secundum voluntatem Dei. Tale autem opus, ut sit meritorium, debet esse liberum; nam opus meritorium est retributione dignum; ergo in opere debet homo de suo aliquid tribuere, id quod tantum potest, in quantum est liber. Non sufficit libertas a coactione, sed requiritur libertas a necessitate, uti contra Iansenium definitum est[131], sive libertas indifferentiae, eaque vel exercitii, vel specificationis, saltem si est inter actus

[128] Vide supra pag. 56 ss.

[129] Supra pag. 63 s.

[130] Cf. tractatum de Novissimis.

[131] Prop. 3; Denz 1094.

diversae bonitatis moralis. Utrum sufficiat ad meritum, si non adest libertas exercitii, sola libertas specificationis inter actus eiusdem bonitatis moralis, disputatur; sed melius videtur negandum, quia non apparet, quomodo in tali suppositione homo revera de suo possit aliquid tribuere [132]. Proprie meritorius est per se solus actus voluntatis, nam ille solus est intrinsecus liber et moralis, reliqui actus solum extrinsecus et in sua dependentia ab actu voluntatis; sed patet actus externos posse augere meritum eo, quod augent intensitatem et durationem actus interni.

« Per Dei gratiam et Iesu Christi meritum »: Propriis viribus nostris naturalibus nullum meritum proprie dictum apud Deum habemus; tota possibilitas merendi est ex gratia divina, quae nobis conceditur propter meritum Christi, et sic totum nostrum meritum essentialiter fundatur et dependet a merito Christi. « Cum enim ille ipse Christus Iesus tamquam caput in membra [133] et tamquam vitis in palmites [134] in ipsos iustificatos iugiter virtutem influat, quae virtus bona eorum opera semper antecedit, comitatur et subsequitur, et sine qua nullo pacto Deo grata et meritoria esse possent: nihil ipsis iustificatis amplius deesse censendum est quominus... promeruisse censeantur » [135].

« Vere meretur »: Quid sit meritum explicatum est pag. 135 ss. Meritum, de quo hoc loco concilium loquitur, intelligendum esse meritum de condigno elucet tum ex ipsa historia definitionis [136], tum ex ipsis verbis; nam vere mereri est sensu proprio mereri, id quod dici non potest de merito de congruo; citat concilium verba S. Pauli de corona a « iusto iudice » reddenda [137]; meritum autem, cui respondet merces ex iustitia est meritum de condigno.

Ut opus aliquod sit meritorium de condigno requiritur aequalitas inter opus et praemium, quod praemium ex iustitia dari debet,

---

132 De hac disputatione cf. Ripalda, De ente supernaturali, disp. 74, sect. 3. De Lugo, De Incarnatione, disp. 26, sect. 10, nr. 136 s.

133 Eph 4, 5.

134 Io 15, 5.

135 Conc. trid. cap. 16; Denz 809.

136 Rivière, Dict. de Théol. 10, 735-761.

137 2 Tim 4, 8.

si opus acceptatum est. Haec in bonis operibus iustorum verificantur. Adest aequalitas non quidem quantitativa, quae non requiritur, sed proportionis. Praemium est gloria caelestis; homo iustus autem est consors naturae divinae, filius Dei adoptivus, et sic in eodem ordine supernaturalitatis, in quo est praemium; hac sua dignitate dignificantur quoque actus, opera quae ut filius Dei adoptivus facit; praeterea ipsa haec opera etiam secundum entitatem suam sunt in eodem ordine, quia sunt actus entitative supernaturales. Sicuti ergo proportio est inter gratiam, quae nos facit filios Dei et heredes vitae aeternae, et ipsam hanc vitam aeternam, ita eadem proportio est inter opera supernaturalia filiorum Dei et vitam aeternam. Dignitas operum iustorum in praesenti ordine inde adhuc crescit, quod iustus ut vivum membrum intime coniunctus est Christo, quod ex Christi merito habet, ut possit mereri, et quod per nostra opera meritoria merita Christi nobis applicantur. Alterum quod ad meritum de condigno requiritur, est acceptatio; haec in casu habetur per ipsam promissionem Dei, se velle vitam aeternam dare tamquam praemium pro bonis operibus.

Ergo vita aeterna iustis post mortem datur non solum titulo hereditatis, sed etiam ut condignum praemium, titulo alicuius iustitiae. Haec autem iustitia videtur esse aliquomodo iustitia legalis, maxime autem distributiva; secundum s. Thomam etiam iustitia quaedam commutativa ibi habetur [138], id quod recte dici potest propter promissionem Dei ante opus praestitum factam. Licet autem vera intercedat iustitia in reddendo praemio, tamen non ibi habetur rigor iustitiae; nam cum opera, quae ex nostris propriis viribus facere possumus, nullam habeant proportionem ad praemium aeternum, tota possibilitas merendi nititur in donis gratuito a Deo nobis collatis. « Cum Deus coronat merita nostra, ita s. Augustinus, nihil aliud coronat, quam munera sua ».

« Augmentum gratiae »: Intelligitur gratia sanctificans. Thesi 12 iam ostensum est iustitiam iusti crescere per opera bona quae

---

[138] « Illa forma divini iudicii attenditur secundum rationem iustitiae commutativae, prout scilicet recompensantur praemia meritis et supplicia peccatis ». S. Th. 2, 2 q. 61 a. 4 ad 1.

facit; nunc accuratius dicitur illud augmentum gratiae dari praecise tamquam merces pro bono opere. Ergo bona opera iusti non solum se habent ut dispositio, qua praesente Deus augeret gratiam, sed sunt meritoria huius augmenti, ita ut augmentum gratiae vere habeat rationem praemii pro bono opere. Hinc ea quae valent relate ad dispositionem, non eo ipso applicari possunt ad augmentum, quod homo sibi promeruit.

« Vitam aeternam, vitae aeternae consecutionem, gloriae augmentum »: Vita aeterna, quamvis sit gratia, hereditas filii adoptivi, eadem tamen etiam est merces pro opere meritorio: « Atque ideo bene operantibus usque in finem [139] et in Deo sperantibus proponenda est vita aeterna, et tamquam gratia filiis Dei per Christum Iesum misericorditer promissa, et tamquam merces ex ipsius Dei promissione bonis ipsorum operibus et meritis fideliter reddenda » [140]. Cum praemium augmenti gratiae iam in hac vita conferri possit, praemium vitae aeternae non nisi in altera vita conceditur; meretur ergo homo vitam aeternam « suo etiam tempore consequendam » [141]; condicio enim est: « si tamen in gratia decesserit ». Cum iustus mereatur per bona opera augmentum gratiae, et cum gloria detur secundum gradum gratiae et sanctitatis, patet, per bona opera haberi etiam meritum augmenti gloriae; hoc per se intelligitur de gloria essentiali, quamvis gloriae accidentalis augmentum non excludatur.

Doc. Ecclesiae

Conc. arausic. can. 18: « Nullis meritis gratiam praeveniri. Debetur merces bonis operibus, si fiant; sed gratia quae non debetur, praecedit, ut fiant » [142].

Conc. tridentinum saepius de merito loquitur; praeter textus principales, cap. 16 et can. 32 cf. can. 2; can. 24 (bona opera sunt iustificationis augendae causa); can. 26.

---

139 Matth 10, 22.

140 Conc. trid. cap. 16; Denz 809.

141 Conc. trid. ibid.

142 Denz 191.

Pius V damnavit propositiones Baii: Prop. 2: « Sicut opus malum ex natura sua est mortis aeternae meritorium, sic bonum opus ex natura sua est vitae aeternae meritorium »[143]. Cf. prop. 3-6; 8; 10: « ... corporis resurrectio proprie nonnisi meritis Christi adscribenda est ». Prop. 11: « Quod pie et iuste in hac vita mortali usque in finem vitae conversati vitam consequimur aeternam, id non proprie gratiae Dei, sed ordinationi naturali statim initio creationis constitutae iusto Dei iudicio deputandum est: neque in hac retributione bonorum ad Christi meritum respicitur, sed tantum ad primam institutionem generis humani, in qua lege naturali constitutum est, ut iusto Dei iudicio obedientiae mandatorum vita aeterna reddatur ». — 12: « Pelagii sententia est: opus bonum, citra gratiam adoptionis factum, non est regni caelestis meritorium ». — 13: « Opera bona, a filiis adoptionis facta, non accipiunt rationem meriti ex eo, quod fiunt per spiritum adoptionis inhabitantem corda filiorum Dei, sed tantum ex eo, quod sunt conformia legi, quodque per ea praestatur obedientia legi ». Similia in prop. 14, 15. — 17: « Sentiunt cum Pelagio, qui dicunt, esse necessarium ad rationem meriti, ut homo per gratiam adoptionis sublimetur ad statum deificum ». — 18: « Opera catechumenorum, ut fides et poenitentia ante remissionem peccatorum facta, sunt vitae aeternae merita: quam vitam ipsi non consequentur, nisi prius praecedentium delictorum impedimenta tollantur ».

S. Scriptura

S. Scriptura eam affirmat inter opera iustorum viatorum et vitam aeternam relationem, quae est inter opus vere meritorium et eius praemium. Vocat enim aeternam vitam mercedem, bravium, coronam; vita aeterna est remuneratio, retributio; datur pro bonis operibus et secundum mensuram operum; datur a iusto iudice. Acceptatio autem Dei in eo continetur, quod Deus vitam aeternam ut mercedem etc. pro bonis operibus promiserit.

---

143 Denz 1002.

M e r c e s : Matth 5, 11 s.: « Beati estis cum maledixerint vobis, et persecuti vos fuerint, et dixerint omne malum adversum vos mentientes, propter me: gaudete, et exsultate, quoniam merces vestra copiosa est in caelis ». Cf. 5, 46; 6, 1; 10, 42. — 1 Cor 3, 8: « Unusquisque autem propriam mercedem accipiet secundum suum laborem ». — V. 14: « Si cuius opus manserit quod superaedificavit, mercedem accipiet ». — 2 Io 8: « Videte vosmetipsos, ne perdatis quae operati estis: sed ut mercedem plenam accipiatis ». — Apoc 11, 18: « Et advenit ira tua, et tempus mortuorum iudicari, et reddere mercedem servis tuis Prophetis, et sanctis, et timentibus nomen tuum pusillis, et magnis, et exterminandi eos, qui corruperunt terram ». — 22, 12: « Ecce venio cito, et merces mea mecum est, reddere unicuique secundum opera sua ». Merces autem est illud, quod aliquis per opus alteri praestitum meretur et quod ei iuste solvitur: Matth 20, 8 parabola de operariis in vinea: « Voca operarios et redde illis mercedem », de qua cum ipsis convenerat v. 2; cf. v. 14: « Tolle quod tuum est et vade ». Cf. Luc 10, 7; 1 Tim 5, 18; Iac 5, 4.

R e m u n e r a t i o : Hebr. 10, 35: « Nolite itaque amittere confidentiam vestram, quae magnam habet remunerationem ». Cf. 11, 6. 26; 2 Cor 6, 13. Remuneratio (μισθαποδοσία) est solutio mercedis.

B r a v i u m : Phil 3, 14: « Ad destinatum persequor (versus scopum, metam curro), ad bravium supernae vocationis Dei in Christo Iesu ». Bravium est praemium, quod arbiter certaminis in ludis publicis victori certaminis dat; cf. 1 Cor 9, 24: « Nescitis quod ii, qui in stadio currunt, omnes quidem currunt, sed unus accipit bravium? Sic currite ut comprehendatis ».

C o r o n a : 2 Tim 4, 7 s.: « Bonum certamen certavi, cursum consummavi, fidem servavi. In reliquo reposita est mihi corona iustitiae (corona, iustitiae praemium, Zorell) quam reddet mihi Dominus in illa die iustus iudex: non solum autem mihi, sed et iis, qui diligunt adventum eius ». Cf. 2 Tim 2, 3. 5. — Iac 1, 12: « Beatus vir, qui suffert tentationem: quoniam cum probatus fuerit, accipiet coronam vitae, quam repromisit Deus diligentibus se ». — Apoc 2, 10: « Esto fidelis usque ad mortem, et dabo tibi coronam vitae ».

Retributio: Col 3, 23 s.: « Quodcumque facitis, ex animo operamini sicut Domino, et non hominibus: scientes quod a Domino accipietis retributionem hereditatis ».

Pro bonis operibus: Matth 25, 34 s.: « Possidete paratum vobis regnum a constitutione mundi; esurivi enim et dedistis mihi manducare... ». — 2 Cor 4, 17; 5. 10.

Secundum opera: Matth 16, 27: « Filius enim hominis venturus est in gloria Patris sui cum angelis suis: et tunc reddet unicuique secundum opera eius ». — Rom 2, 6; 1 Cor 3, 8; Apoc 22, 12. — 2 Cor 9, 6: « Qui parce seminat, parce et metet: et qui seminat in benedictionibus (ἐπ' εὐλογίαις. Εὐλογία hic significat largitatem; hinc ἐπ' εὐλογίαις in oppositione ad « parce » significat « large »; Zorell) de benedictionibus et metet ».

Iustus iudex: 2 Tim 4, 7 s.

Patres

S. Iustinus: « Poenas et supplicia et bonas remunerationes secundum meritum actionum cuiusque reddi per prophetas edocti, et verum manifestamus » [144].

S. Theophilus: « Lege studiose propheticas scripturas, et ipsae tutius te ducent, ut effugias aeterna supplicia et aeterna Dei bona consequaris. Nam qui dedit os ad loquendum, et aures finxit ad audiendum, et oculos fecit ad videndum, excutiet omnia et iustum feret iudicium, suam cuique pro meritis mercedem tribuens » [145].

S. Irenaeus: « Pretiosam arbitremur coronam, videlicet quae per agonem nobis acquiritur, sed non ultro coalitam. Et quanto per agonem nobis advenit, tanto est pretiosior, quanto autem pretiosior, tanto eam semper diligamus. Sed neque similiter diliguntur ea quae ultro adveniunt, quam illa quae cum multa sollicitudine adinveniuntur » [146].

---

144 Apologia 1, 43; MG 6, 392; R 123.
145 Ad Autolycum 1, 14; MG 6, 1045; R 176.
146 Adversus haereses 4, 37, 7; MG 7, 1104; R 246.

TERTULLIANUS: « Bonum factum Deum habet debitorem, sicut et malum, quia iudex omnis remunerator est causae »[147].

S. HIPPOLYTUS: « Cuius (Dei Verbi) iudicio adstantes omnes, homines, angeli, daemones, unam hanc vocem emittent, sic dicentes: Iustum iudicium tuum. Cuius vocis aequitatem retributio utrisque facta ostendit; cum bene facientibus iuste fruitio aeterna retribuatur, malorum vero cupidis aeternum supplicium reddatur »[148].

S. CYPRIANUS: « Eme tibi albam vestem, ut, qui secundum Adam nudus fueras et horrebas ante deformis, indumento Christi candido vestiaris. Et quae matrona locuples et dives es, unge oculos tuos non stibio diaboli sed collyrio Christi, ut pervenire ad videndum Deum possis, dum Deum et moribus et operibus promereris »[149].

S. CYRILLUS HIEROSOLYMITANUS: « Radix totius bonae operationis est spes resurrectionis; namque mercedis exspectatio animam roborat ad bona opera suscipienda. Etenim ad labores perferendos operarius quisque paratus est, si laborum praemium prospexerit; iis vero, qui nulla proposita mercede laborant, animus una cum corpore ante concidit »[150].

S. BASILIUS: « Dic mihi, quaeso, quorumnam temporum mercedem exposces, eorumne quibus vixisti, an eorum quae post mortem secuta sunt? Sed quo tempore vivebas, voluptatibus vitae deditus et deliciis diffluens ne aspicere quidem egenos sustinuisti; iam autem quaenam actio est mortui? quae quoque operis merces debetur? Ostende opera et reposce remunerationem »[151].

S. AMBROSIUS: « Pendet singulis nostrorum statera meritorum, atque exiguis vel boni operis vel degeneris flagitii momentis huc atque illuc saepe inclinatur... In die iudicii aut nostra opitulabuntur nobis opera, aut ipsa nos in profundum, tamquam molari depressos lapide, mergent »[152].

---

147 De paenitentia, 2; ML 1, 1230; R 311.
148 Adversus Graecos 3; MG 10, 801; R 396.
149 De opere et eleemosynis 14; ML 4, 612; R 564; cf. 599.
150 Catechesis 18, 1; MG 33, 1017; R 836.
151 Homilia 7, 8; MG 31, 301; R 966; cf. 962.
152 Epist. 2, 16; ML 16, 883; R 1247.

S. HIERONYMUS: « Liberi arbitrii nos condidit Deus nec ad virtutes nec ad vitia necessitate trahimur. Alioquin ubi necessitas, nec corona est » [153]. — « Iam nostri laboris est, pro diversitate virtutum diversa nobis praemia praeparare » [154].

S. AUGUSTINUS: « Indulgentiam donavit, coronam reddet: donator est indulgentiae, debitor coronae. Unde debitor? Accepit aliquid?... Debitorem Dominus ipse se fecit, non accipiendo, sed promittendo. Non ei dicitur: Redde quod accepisti; sed: Redde quod promisisti » [155]. — « Praecipitur ut recte vivamus, hac utique mercede proposita ut in aeternum beate vivere mereamur. Sed quis potest recte vivere et bene operari, nisi iustificatus ex fide? » [156].

« Nec dicat sibi: Si ex fide, quomodo gratis? Quod enim fides meretur, cur non potius redditur quam donatur? Non dicat ista homo fidelis, quia, cum dixerit: Ut merear iustificationem habeo fidem, respondetur ei: Quid enim habes, quod non accepisti [157]? Cum ergo fides impetrat iustificationem, sicut unicuique Deus partitus est, etiam ipsius mensuram fidei [158], non gratiam Dei aliquid meriti praecedit humani, sed ipsa gratia meretur augeri, ut aucta mereatur et perfici, comitante non ducente, pedissequa non praevia voluntate » [159].

« Debitor enim factus est (Deus), non aliquid a nobis accipiendo, sed quod ei placuit promittendo. Aliter enim dicimus homini: Debes mihi quia dedi tibi; et aliter dicimus: Debes mihi quia promisisti mihi... Illo ergo modo possumus exigere Dominum nostrum, ut dicamus: Redde quod promisisti, quia fecimus quod iussisti; et hoc tu fecisti, quia laborantes iuvisti » [160].

---

[153] Adversus Iovinianum 2, 3; ML 23, 286; R 1380.
[154] Ibidem 2, 32; ML 23, 329; R 1383.
[155] Enarr. in Psalm. 83, 16; ML 37, 1086; R 1477.
[156] De diversis quaestionibus ad Simplicianum 1, 2, 21; ML 40, 126; R. 1575.
[157] 1 Cor 4, 7.
[158] Rom 12, 3.
[159] Epist. 186, 3, 10; ML 33, 819; R 1446.
[160] Sermo 158, 2, 2; ML 38, 863; R 1511.

« Quae igitur sua merita iactaturus est liberatus, cum si digna suis meritis redderentur, non esset nisi damnatus? Nullane igitur sunt merita iustorum? Sunt plane, quia iusti sunt. Sed ut iusti fierent, merita non fuerunt » [161]. — « Quod est ergo meritum hominis ante gratiam, quo merito percipiat gratiam, cum omne bonum meritum nostrum non in nobis faciat nisi gratia, et, cum Deus coronat merita nostra, nihil aliud coronet quam munera sua » [162]. — « Cum enim dixisset: Stipendium peccati mors [163], quis non eum congruentissime et consequenter addere iudicaret, si diceret: Stipendium autem iustitiae vita aeterna? Et verum est; quia, sicut merito peccati tamquam stipendium redditur mors, ita merito iustitiae tamquam stipendium vita aeterna » [164].

S. Prosper: « Iustificatus itaque homo, id est, ex impio pius factus, nullo praecedente bono merito, accipit donum, quo dono acquirat et meritum » [165]. — Idem (?): « Abunde, quantum arbitror, his testimoniis, quamvis et alia documenta aggregari potuerint, demonstratum est fidem, qua iustificatur impius, nisi ex Dei munere non haberi, eamque nullis meritis praecedentibus tribui, sed ad hoc donari, ut principium possit esse meritorum, et, cum ipsa data fuerit non petita, ipsius iam petitionibus bona cetera consequantur » [166].

S. Fulgentius: « Qui ergo nobis dedit quod reddendo debeamus, ipse nobis donabit facultatem qua possimus reddere quod debemus. Ille igitur auctor est debiti qui auctor est doni, nam et se ipsum sua largitate dignatus est facere debitorem, non quia indigens ab aliquo accepit, sed quoniam abundans largiter tribuit » [167].

S. Gregorius Magnus: « Bonum quod agimus et Dei est et nostrum: Dei per praevenientem gratiam, nostrum per obsequentem liberam voluntatem. Si enim Dei non est, unde ei gratias in aeter-

---

161 Epist. 194, 3, 6; ML 33, 876; R 1449.
162 Ibidem 5, 19; ML 33, 880; R 1452.
163 Rom 6, 23.
164 Ibidem 5, 20; ML 33, 881; R 1453; cf. R 1498, 1502, 1807, 1937.
165 Resp. ad cap. obiect. Gall. 6; ML 51, 161; R 2027.
166 De vocatione omnium gentium 1, 24; ML 51, 679; R 2045.
167 Ad Monimum, Prol.; ML 65, 151; R 2253.

num agimus? Rursum si nostrum non est, unde nobis retribui praemia speramus? Quia ergo non immerito gratias agimus, scimus quod eius munere praevenimur; et rursum quia non immerito retributionem quaerimus, scimus quod obsequente libero arbitrio bona elegimus quae ageremus »[168].

Theologi

Patet theologos in iis quae thesis affirmat convenire. Movent tamen aliquas quaestiones speciales, in quibus diversae habentur sententiae:

Utrum solum augmentum gloriae, an etiam prima gloria sit obiectum meriti.

Prima gratia sanctificans non est obiectum meriti, sed solum augmentum gratiae; nam quamdiu homo est sine gratia sanctificante, est iniustus, peccator, et talis non potest habere meritum de condigno coram Deo. Similis autem ratio non valet relate ad gloriam caelestem. Praeterea in s. Scriptura vita aeterna simpliciter proponitur tamquam merces, tamquam obiectum meriti iustorum, et non solum eius augmentum. Hinc plures theologi censent, ipsam primam gloriam dari non solo titulo hereditatis, sed etiam titulo meriti. Ita Suárez[169], Vázquez[170] et alii. Negant vero De Lugo[171], Ripalda[172], alii, secundum quos prima gloria solo titulo hereditatis datur.

Aliqui putant solutionem quaestionis pendere a sententia, utrum ultimus actus disponens ad iustificationem effective procedat a gratia sanctificante an non[173]; solum in priore suppositione dici posse

---

168 Moralia 33, 21, 40; ML 76, 699; R 2316; cf. 2326, 2328.
169 De gratia lib. 12 cap. 28.
170 In 1, 2 disp. 219, c. 2.
171 De incarn. disp. 6 sect. 3.
172 De ente supernaturali disp. 89.
173 Vide supra pag. 150.

primam gloriam esse obiectum meriti. S. Bellarmino autem ostendit inde repeti non posse solutionem, sed a quaestione, utrum unum idemque possit debitum esse ex variis titulis, id quod omnino affirmandum videtur. Ita Christo gloria corporis debita erat ratione unionis hypostaticae, et etiam erat obiectum meriti. « At si concedatur, quod nos contendimus, et quod s. Thomas docet in 3 Sent. dist. 18 quaest. 1 art. 5 rem unam et eandem variis titulis posse deberi, sine dubio ultima illa dispositio post infusionem gratiae continuata meritoria erit vitae aeternae, ut s. Thomas confirmat in 1, 2 quaest. 112 art. 2 ad 1 » [174]. Utrum haec sententia provocare possit ad concilium tridentinum, quod vitam aeternam et augmentum gloriae obiecta meriti esse dicit, non est certum, cum in historia huius definitionis non appareat, concilium hanc questionem tangere vel definire voluisse.

II. Quo sensu opus meritorium procedere debet ex fide?

Actus meritorius est entitative supernaturalis. Qui ergo dicunt actum supernaturalem habere necessario obiectum formale ipsi proprium, quod inattingibile sit viribus naturalibus, necessario quoque id affirmare debent de actu meritorio. Eo autem quod quis, ut nos fecimus, hanc sententiam non habet pro vera, res in praesenti materia nondum est decisa. Potuit enim per se Deus pro actu meritorio eam statuere condicionem, ut debeat procedere ex aliquo motivo, quod ex fide cognitum est [175] e. g. motivum acquirendi supernaturalem beatitudinem; in hac suppositione actus ita ex tali motivo procedere deberet, ut homo actu suo in istum finem tendere vellet.

Qui necessitatem motivi ex fide cogniti affirmant per se concedere debent, in homine iusto inveniri posse actus, qui sint neque

---

[174] Bellarmino, De iustificatione lib. 5 cap. 20.

[175] Bene attendendum: non est idem dicere: motivum alicuius actus ex revelatione, per fidem cognitum est, et dicere: obiectum formale alicuius actus tale est, quod non nisi actu entitative supernaturali attingi potest.

peccata, neque meritoria, sed relate ad vitam aeternam indifferentia, illi scilicet actus, qui procedunt quidem ex motivo honesto, sed non per intentionem hominis ad finem fide cognitum, Deum, vitam aeternam, ordinantur.

Qui autem illam necessitatem negant dicunt: Quilibet iustus habet fidem, se ipsum ad Deum, ad finem supernaturalem, ad vitam aeternam ordinavit; per habitus supernaturales potest actus entitative supernaturales ponere. Si nunc ex aliquo motivo honesto, non praecise fide cognito, elicit actum moraliter bonum, ipse manet in sua ordinatione et tendentia ad suum finem, et eo ipso in via ad hunc finem procedit, quin necessarium sit, actum speciali intentione in Deum vel assecutionem vitae aeternae ordinare. Quilibet enim finis honestus de facto est ordinatus ad finem supremum eique subordinatus; homo autem agens Deum finem suum ultimum elegit, quando factus est fidelis et iustificatus, et sic etiam ratione subiecti actus illum ordinem ad Deum, ad vitam aeternam habet, qui requiritur.

De hac re plurimae sunt disputationes; Lange[176] optimum exhibet conspectum recentiorum controversiarum, et tandem concludit[177]: « Historice et speculative nostra quaestio difficulter solvitur. Necessitatem alicuius motivi fidei plerique theologi affirmant. Multa quoque Patrum testimonia id postulare videntur. Sed disputari potest, quando fides in opera satis influat ».

Ceterum etiam quaeri potest, utrum sententiae, licet speculative, id est in ipsa explicatione, differant, realiter adeo diversae sint. Nam illi quoque, qui necessitatem « bonae intentionis » exigunt, concedunt, eam non debere esse actualem et explicitam, sed sufficere virtualem et implicitam. E. g. Pesch ita scribit[178] « Ex dictis manifestum est, quomodo ad singula opera salutaria fides necessaria sit, quomodo non sit. Fides enim ad hoc imprimis requiritur, ut homo possit habere intentionem finis supernaturalis et versus eum moveatur. Ergo in singulis operibus eatenus fides effi-

---

176 De gratia nr. 725.

177 Ib. n. 726.

178 Praelectiones dogmaticae, 5, 408 ss.

caciam habeat necesse est, ut homo gradiatur intra viam et non faciat gressus extra viam. Ad hoc autem opus non est, in singulis operibus elici actum fidei aut renovare intentionem finis supernaturalis. Sed sicut is, qui peregrinationem instituens in longinquam civitatem, ab initio firmum propositum elicit illuc eundi et vi huius propositi tamdiu procedit in itinere, quamdiu actum contrarium vel explicite vel implicite non posuerit..., ita christianus, qui semel elicuit firmum propositum actibus suis acquirendi vitam aeternam, tamdiu ex hoc proposito agit, quamdiu illud non revocat neque negative neque positive, neque explicite neque implicite, qualis revocatio adest in omni gravi peccato. Si vero revocaverit, nova conversio ad finem requiritur... Neque necessaria est in quolibet bono opere cogitatio hunc actum in specie a Deo revelatum esse ut salutarem, cum christiani sciant a Deo etiam observationem legis naturalis nobis propositam esse ut viam ad finem supernaturalem, ut e. g. in sermone in monte... Si vero christianus opera naturaliter honesta solummodo faceret ob mundi huius honestatem, ita ut per ea nullo modo tenderet ad finem supernaturalem, non solum non bene ageret, sed peccaret, quia nollet se conformare divinae ordinationi... Vehemens illa disputatio, quae de hac re inter posteriores theologos agitatur, inde orta esse videtur, quod alii non semper satis attendebant, quid requireretur, ut intentio finis in electionem mediorum influeret eamque dignificaret, et ideo nimium postulabant; alii vero hunc exaggeratum conceptum in malam partem interpretabantur et ita chimaeram impugnabant. Sane quivis bonus christianus interrogatus, cur bona opera faciat, respondebit: Quia volo in caelum venire. Haec habitualis intentio plane sufficit, ut quis ex motivo fidei agat. Quare tales homines non sunt inquietandi circa motiva bonorum operum suorum sed simpliciter exhortandi, ut bonam intentionem saepius renovent. Haec intentio in communibus hominibus vix umquam procedit ex philosophica consideratione naturalis honestatis, sed potius ex doctrina fidei de regno caelesti meritis adipiscendo ». Multo minus etiam in sententia opposita non videtur requiri.

Quaestio proposita de eo tantum agit, quid absolute requiratur ad actum meritorium; per se patet, actum meliorem et magis meri-

torium esse, quo perfectius « bona intentio » adest et in actum influit.

III. Utrum actus meritorius procedere debeat ex caritate.

Praemittendum est Ecclesiam sequentes propositiones contra Quesnel damnasse: Prop. 53: « Sola caritas christiano modo facit (actiones christianas) per relationem ad Deum et Iesum Christum ». — 54: « Sola caritas est, quae Deo loquitur; eam solam Deus audit ». — 55: « Deus non coronat nisi caritatem: qui currit ex alio impulsu et ex alio motivo, in vanum currit ». — 56: « Deus non remunerat nisi caritatem: quoniam caritas sola Deum honorat » [179]. Hinc iam dicendum videtur, non solos actus a caritate elicitos esse meritorios. Neque concilium tridentinum restringit meritum ad actus caritatis, sed loquitur universaliter de operibus bonis.

Aliqui theologi censent, actum virtutis non esse meritorium [180], nisi imperative vel virtualiter ex actu caritatis antea elicito procedat. Ita plures thomistae et augustinenses; praeterea s. Bonaventura [181], s. Bellarmino [182]. Sed neque de hac condicione concilium tridentinum loquitur, quod tamen omnia indicavit, quae ad meritum requiruntur [183]. Postulat statum gratiae et bona opera. Num dici potest actum virtutis non imperatum a caritate non esse bonum opus?

Hinc praeferenda est sententia, quae a plurimis theologis defenditur, et quam Suárez ita enuntiat: « actus virtutum infusarum factos ab homine grato esse meritorios de condigno supernaturalis beatitudinis, ex vi suae bonitatis et connaturalis ponderis seu relationis in illum finem absque alia relatione quasi extrinseca, quae per actum caritatis praeteritum vel praesentem illis adveniat » [184].

---

179 Denz 1403 ss.

180 Disputatio est de merito essentiali, non de accidentali.

181 In 2 dist. 41 a. 1 q. 3.

182 De iustificatione lib. 5 cap. 15.

183 Cf. cap. 16: « nihil ipsis iustificatis amplius deesse credendum est ».

184 De gratia lib. 12 cap. 10 nr. 4.

Haec sententia perfecte correspondet iis, quae docet concilium tridentinum, neque ad condiciones meriti a concilio statutas novam adicit. Quodsi opponitur concilium postulare ut opera « in Deo » facta sint, respondendum est: « in Deo » non est idem quod « ex caritate »; opera bona quae ab homine iusto fiunt sub influxu Christi, cum auxilio gratiae, fiunt in Deo. Neque s. Scriptura dicit ad hoc, ut opus aliquod sit meritorium requiri, ut procedat ex caritate; cf. e. g. Matth 5 de beatitudinibus. Ergo alia ordinatio « ad finem caritatis » in opere meritorio non requiritur, nisi illa, quae in eo est, quod homo operans sit in statu gratiae et caritatis, et ut filius Dei adoptivus faciat id quod Deus vult et quod Deo placet; sic in ipso opere ordinatio ad finem ultimum habetur. Si condicio, quam alia sententia statuit, tam necessaria esset, ut sine illa opus non esset meritorium, Deus hoc clare manifestasset.

Cum actus caritatis sit nobilissimus actus virtutum et maxime meritorius, patet actus aliarum virtutum meliores esse, quo magis caritas in eos influit.

IV. Utrum augmentum gratiae sanctificantis statim conferatur.

In hac quaestione supponimus omnem actum virtutis supernaturalem in iustis esse meritorium; solum quaeritur, utrum augmentum gratiae, quod quis per tales actus sibi promeruit, iam statim post meritum conferatur. Sunt enim aliqui theologi, qui putant hoc augmentum statim haberi solum, si homo dispositus est ad recipiendum hoc augmentum. Haec sententia videtur orta esse maxime ex iis, quae s. Thomas 1, 2 q. 114 a. 8 ad 3 dicit. Secundum aliquos illa dispositio tunc adest in homine, si actus virtutis aeque vel magis intensus est, quam habitus gratiae; alii putant augmentum gratiae, quod quis per actus remissos sibi promeruit, non nisi in altera vita dari.

In fontibus revelationis nihil pro hac sententia invenitur. Augmentum habitus supernaturalis non debet simpliciter comparari cum augmento habitus naturalis, in quo ipse actus ut causa physica in augmentum habitus influit. Hoc autem nullo modo obtinet in ope-

re meritorio relate ad habitum supernaturalem; sed augmentum habitus physice operatur Deus et quidem tamquam praemium, retributionem. Nulla autem apparet ratio, cur Deus non possit et velit tale augmentum ut praemium dare, si actus meritorius sit minus intensus. Videtur in hac sententia non satis attendi ad magnam differentiam, quae est inter dispositionem et meritum. Omnino ergo praeferenda est sententia, quae dicit augmentum gratiae semper conferri statim post actum meritorium, etiam si ille actus sit minus intensus. Concilium tridentinum simpliciter dicit iustos per bona opera, per observationem mandatorum, crescere in iustitia accepta, ire de virtute in virtutem, de die in diem renovari, neque umquam indicat eos non in iustitia crescere, nisi actus sint aeque vel magis intensi, quam habitus.

Sunt qui dicant, saltem pro praxi tutiorem esse sententiam priorem; putant enim periculum esse, ne quis in iudicio se inveniat deceptum, cum credat per omnes illos actus se acquisivisse augmentum gratiae, quod tamen non obtinet. Haec fortasse dici possent, si illa sententia fundamenta haberet in fontibus revelationis. Cum haec autem non inveniantur, neque periculum illud adest. Valet enim etiam hoc loco illud, quod antea dictum est: Si maior intensio actus esset condicio adeo necessaria, uti affirmatur, Deus hoc manifestasset.

Cum autem meritum crescat cum bonitate actus, hortandi sunt fideles ad maiorem semper fervorem, non quidem, ut omnino augmentum gratiae mereantur, sed ut maius meritum habeant et magis Deo placeant.

Tangi adhuc posset hoc loco quaestio utrum actus meritorius procedere debeat ex gratia actuali; melius tamen videtur de hac re dicendum in parte quarta, ubi de natura gratiae actualis.

Obiectiones

Plurimae obiectiones novatorum contra doctrinam catholicam de merito inveniuntur apud s. Bellarmino, De iustificatione, lib. 5.

1) Cum vita aeterna in s. Scriptura merces dicitur, non est hoc intelligendum sensu proprio, sed figurato; nam vita aeterna vocatur he-

reditas; hereditas autem non est merces; debetur enim filiis quia filii sunt, non quia laboribus suis eam meruerunt.

Resp. « Cum in Scripturis vita aeterna non minus saepe, fortasse etiam saepius dicatur merces quam hereditas, unde probabit Calvinus, dicendam esse proprie hereditatem, improprie mercedem, et non potius contra, mercedem proprie, hereditatem improprie? Deinde, quid si utrumque possit dici proprie? habet enim vita aeterna condicionem mercedis et hereditatis. Datur enim ex promissione laborantibus, quod est mercedis proprium; et non datur nisi filiis, quod est proprium hereditatis »[185].

« At si filiis debetur hereditas, quia filii sunt, quid opus est pro ea adipiscenda laborare?

Responsio est in promptu: nam tametsi parvulis, qui mox a baptismo decedunt, vita aeterna donetur solo iure hereditatis, tamen voluit Deus filios suos, qui usum rationis habent, propriis laboribus et meritis illam acquirere, ut duplici titulo illis vita aeterna deberetur, titulo videlicet hereditatis et iure mercedis; quoniam enim magis honorificum est, habere aliquid ex merito, quam ex sola donatione, ideo Deus ut filios suos magis honoraret, id etiam eis praestitit, ut vitam aeternam per merita sibi pararent. Nam et ipsi Christo debita erat gloria corporis et exaltatio nominis hoc ipso, quod erat filius Dei; et tamen quia humiliavit semetipsum, factus obediens usque ad mortem, propterea Deus illum exaltavit et dedit illi nomen, quod est super omne nomen. Ut interim illud omittam, quod meritis operum redditur gradus aliquis gloriae sempiternae, ad quem non pertingunt, qui solo titulo hereditatis gaudent »[186].

2) Ex Matth 25 (possidete regnum... esurivi enim) non probatur meritum. Nam « enim » non dicit causam, sed solum ordinem et consequentiam: Deus voluit prius fieri opera misericordiae ab electis, et posterius ab eis regnum obtineri (Calvinus).

Resp. Utrum « enim » possit interdum indicare solum ordinem, transeat; certo potest etiam significare causalitatem. Hoc autem loco sic esse intelligendum patet *a*) ex membro parallelo: Ite maledicti in ignem aeternum, esurivi enim et non dedistis mihi manducare... Nemo autem dicit hic indicari solum ordinem et non causalitatem; *b*) ex eo quod aliis locis assecutio gloriae ipsis operibus tribuitur (cf. textus in argumento allatos).

3) Ps 102, 4: « Qui (Dominus) coronat te in misericordia et miserationibus »; ergo non propter meritum ex iustitia.

Resp. Beatitudo misericordiae tribuitur « non quia non sit vera merces meriti, sed quia merita ipsa ex misericordia data sunt. Non enim potest opera meritoria facere homo, nisi prius iustificatus. Iustificatur

---

185 Bellarmino, cap. 3.

186 Bellarmino, cap. 3.

autem non ex operibus, sed ex gratia et misericordia. Quare solet etiam s. Augustinus ita distinguere, ut dicat, ipsi iustitiae vitam aeternam esse mercedem, non gratiam; ipsi autem homini esse gratiam non mercedem, quoniam homini iustitia gratia est » [187].

4) Luc 17, 10: « Cum feceritis omnia, quae praecepta sunt vobis, dicite: servi inutiles sumus; quod debuimus facere, fecimus ». Ergo non oritur meritum ex operibus.

Resp. « Ut exponit s. Augustinus serm. 3 de verbis Domini, servi inutiles dici possumus, cum omnia divina mandata servavimus, quoniam nihil facimus ultra id, quod debemus, et nihil inde iustae mercedis petere possemus, nisi Deus liberali pacto nobiscum convenire voluisset. Nam ex condicione mancipia Dei sumus, et si velit, potest nos absque ullo praemio ad omnia opera, quaecumque illi placuerint, obligare. Hanc igitur condicionem nostram ad humilitatem conservandam vult nos Christus agnoscere. Quamvis ex gratuito pacto, quod nobiscum facere dignatus est, possumus cum Apostolo dicere: Reposita est mihi corona iustitiae, quam reddet mihi in illa die iustus iudex. Nam et Dominus ipse dicit: Nonne ex denario convenisti mecum? tolle quod tuum est et vade. O magna, inquit Augustinus, bonitas Dei, cui cum pro condicione reddere debeamus obsequium, utpote servi Domino, amicitiarum nobis praemia repromittit, ut a nobis obsequia debitae servitutis extorqueat » [188].

5) Rom 6, 23 dicitur: « Stipendia enim peccati mors, gratia autem Dei vita aeterna », et non dicitur: stipendium bonorum operum vita aeterna; ergo vita aeterna non est obiectum meriti.

Resp. « Hoc argumentum diligenter solvit s. Augustinus in epist. 105, in Enchiridio cap. 107, et praecipue in libro de gratia et libero arbitrio cap. 8 et 9. Duo autem dicit. Primo, potuisse Apostolum recte dicere, stipendium iustitiae vita aeterna, sicut dixit, stipendium peccati mors. Quae sancti Augustini confessio causam adversariorum penitus iugulat. Secundo, non esse dictum, stipendium iustitiae vita aeterna, sicut stipendium peccati mors, ne quis existimaret, ita nos ex nobis habere iustitiam, sicut ex nobis habemus peccata. Itaque gratia dicitur vita aeterna, non quia non est merces meriti, sed quia ipsa merita habemus ex gratia » [189].

6) Magna iniuria fit Christo, si meritis nostris aliquid tribuitur, quasi non sufficiant Christi merita.

Resp. « Hoc argumentum, quanto ab adversariis magis rhetorice vel potius tragice amplificatur, tanto, cum discutitur, inanius invenitur. Si-

---

[187] Bellarmino, cap. 5.
[188] Bellarmino, cap. 5.
[189] Bellarmino, cap. 5.

quidem merita iustorum non opponuntur meritis Christi, sed ab illis nascuntur, et quidquid ipsa iustorum merita laudis habent, id totum redundat in laudem meritorum Christi. Ipse est enim vitis, nos palmites; et sicut palmes non potest ferre fructum, nisi manserit in vite, sic et nos nihil possumus sine Christo facere. Et sicut nemo unquam ita desipuit, ut diceret detrahi de gloria vitis, si palmites ipsius multum fructum afferant, ita nemo, nisi plane stultus, dicere potest detrahi de gloria Christi, si servi eius, per gratiam eius, per spiritum eius, per fidem et caritatem ab ipso inspiratam bona opera faciant, quae ita vere sint iusta, ut eis debeatur a iusto iudice corona iustitiae.

At, inquiunt, si requiruntur merita hominum, non igitur sufficiebant merita Christi.

Non ita est. Nam merita hominum non requiruntur propter insufficientiam meritorum Christi, sed propter maximam eorum efficaciam. Meruerunt enim Christi opera apud Deum, non solum ut salutem consequeremur, sed etiam, ut eam per merita propria consequeremur. Sive, quod est idem, non solum aeternam salutem, sed etiam virtutem merendi nobis meruerunt...

At saltem, inquiunt, dividitur gloria inter Deum et hominem, si non solis eius meritis, sed etiam nostris salutem assequimur.

Neque id verum est. Nam merita nostra dona sunt Christi. Et quamvis in opere bono, quod nos, Deo iuvante, facimus, nihil sit nostrum, quod non sit Dei, neque aliquid sit Dei, quod non sit nostrum, sed totum faciat Deus, et totum faciat homo: tamen ratio, cur id opus sit dignum vita aeterna, tota pendet a gratia. Denique nos ipsi non minus Christo sumus obstricti, nec minus salutem nostram totam atque integram illi acceptam referimus, cum illam meritis nostris acquirimus, quam si absque ullis meritis nostris illam acciperemus; immo multo magis nunc illi nos debitores esse fatemur, quandoquidem non solum per eius gratiam salvamur, sed etiam per eandem nobilissimo modo honorificentissimoque salvamur » [190].

7) Rom 8, 18: « Existimo enim quod non sunt condignae passiones huius temporis ad futuram gloriam, quae revelabitur in nobis ». Ergo s. Paulus negat condignitatem operum cum futura gloria.

Resp. Textus graecus habet οὐκ ἄξια, id est « non sunt ponderosae », si comparantur cum futura gloria [191]; non est sermo de condignitate, qua opus aliquod est meritorium de condigno.

Quoad rem idem apud s. Bellarmino [192]: « Loquitur enim Apostolus

[190] Bellarmino, cap. 5.

[191] Vide Zorell s. v. ἄξιος.

[192] Bellarmino, cap. 3.

re meritorio relate ad habitum supernaturalem; sed augmentum habitus physice operatur Deus et quidem tamquam praemium, retributionem. Nulla autem apparet ratio, cur Deus non possit et velit tale augmentum ut praemium dare, si actus meritorius sit minus intensus. Videtur in hac sententia non satis attendi ad magnam differentiam, quae est inter dispositionem et meritum. Omnino ergo praeferenda est sententia, quae dicit augmentum gratiae semper conferri statim post actum meritorium, etiam si ille actus sit minus intensus. Concilium tridentinum simpliciter dicit iustos per bona opera, per observationem mandatorum, crescere in iustitia accepta, ire de virtute in virtutem, de die in diem renovari, neque umquam indicat eos non in iustitia crescere, nisi actus sint aeque vel magis intensi, quam habitus.

Sunt qui dicant, saltem pro praxi tutiorem esse sententiam priorem; putant enim periculum esse, ne quis in iudicio se inveniat deceptum, cum credat per omnes illos actus se acquisivisse augmentum gratiae, quod tamen non obtinet. Haec fortasse dici possent, si illa sententia fundamenta haberet in fontibus revelationis. Cum haec autem non inveniantur, neque periculum illud adest. Valet enim etiam hoc loco illud, quod antea dictum est: Si maior intensio actus esset condicio adeo necessaria, uti affirmatur, Deus hoc manifestasset.

Cum autem meritum crescat cum bonitate actus, hortandi sunt fideles ad maiorem semper fervorem, non quidem, ut omnino augmentum gratiae mereantur, sed ut maius meritum habeant et magis Deo placeant.

Tangi adhuc posset hoc loco quaestio utrum actus meritorius procedere debeat ex gratia actuali; melius tamen videtur de hac re dicendum in parte quarta, ubi de natura gratiae actualis.

Obiectiones

Plurimae obiectiones novatorum contra doctrinam catholicam de merito inveniuntur apud s. Bellarmino, De iustificatione, lib. 5.

1) Cum vita aeterna in s. Scriptura merces dicitur, non est hoc intelligendum sensu proprio, sed figurato; nam vita aeterna vocatur he-

reditas; hereditas autem non est merces; debetur enim filiis quia filii sunt, non quia laboribus suis eam meruerunt.

Resp. « Cum in Scripturis vita aeterna non minus saepe, fortasse etiam saepius dicatur merces quam hereditas, unde probabit Calvinus, dicendam esse proprie hereditatem, improprie mercedem, et non potius contra, mercedem proprie, hereditatem improprie? Deinde, quid si utrumque possit dici proprie? habet enim vita aeterna condicionem mercedis et hereditatis. Datur enim ex promissione laborantibus, quod est mercedis proprium; et non datur nisi filiis, quod est proprium hereditatis »[185].

« At si filiis debetur hereditas, quia filii sunt, quid opus est pro ea adipiscenda laborare?

Responsio est in promptu: nam tametsi parvulis, qui mox a baptismo decedunt, vita aeterna donetur solo iure hereditatis, tamen voluit Deus filios suos, qui usum rationis habent, propriis laboribus et meritis illam acquirere, ut duplici titulo illis vita aeterna deberetur, titulo videlicet hereditatis et iure mercedis; quoniam enim magis honorificum est, habere aliquid ex merito, quam ex sola donatione, ideo Deus ut filios suos magis honoraret, id etiam eis praestitit, ut vitam aeternam per merita sibi pararent. Nam et ipsi Christo debita erat gloria corporis et exaltatio nominis hoc ipso, quod erat filius Dei; et tamen quia humiliavit semetipsum, factus obediens usque ad mortem, propterea Deus illum exaltavit et dedit illi nomen, quod est super omne nomen. Ut interim illud omittam, quod meritis operum redditur gradus aliquis gloriae sempiternae, ad quem non pertingunt, qui solo titulo hereditatis gaudent »[186].

2) Ex Matth 25 (possidete regnum... esurivi enim) non probatur meritum. Nam « enim » non dicit causam, sed solum ordinem et consequentiam: Deus voluit prius fieri opera misericordiae ab electis, et posterius ab eis regnum obtineri (Calvinus).

Resp. Utrum « enim » possit interdum indicare solum ordinem, transeat; certo potest etiam significare causalitatem. Hoc autem loco sic esse intelligendum patet *a*) ex membro parallelo: Ite maledicti in ignem aeternum, esurivi enim et non dedistis mihi manducare... Nemo autem dicit hic indicari solum ordinem et non causalitatem; *b*) ex eo quod aliis locis assecutio gloriae ipsis operibus tribuitur (cf. textus in argumento allatos).

3) Ps 102, 4: « Qui (Dominus) coronat te in misericordia et miserationibus »; ergo non propter meritum ex iustitia.

Resp. Beatitudo misericordiae tribuitur « non quia non sit vera merces meriti, sed quia merita ipsa ex misericordia data sunt. Non enim potest opera meritoria facere homo, nisi prius iustificatus. Iustificatur

185 Bellarmino, cap. 3.

186 Bellarmino, cap. 3.

autem non ex operibus, sed ex gratia et misericordia. Quare solet etiam s. Augustinus ita distinguere, ut dicat, ipsi iustitiae vitam aeternam esse mercedem, non gratiam; ipsi autem homini esse gratiam non mercedem, quoniam homini iustitia gratia est »[187].

4) Luc 17, 10: « Cum feceritis omnia, quae praecepta sunt vobis, dicite: servi inutiles sumus; quod debuimus facere, fecimus ». Ergo non oritur meritum ex operibus.

Resp. « Ut exponit s. Augustinus serm. 3 de verbis Domini, servi inutiles dici possumus, cum omnia divina mandata servavimus, quoniam nihil facimus ultra id, quod debemus, et nihil inde iustae mercedis petere possemus, nisi Deus liberali pacto nobiscum convenire voluisset. Nam ex condicione mancipia Dei sumus, et si velit, potest nos absque ullo praemio ad omnia opera, quaecumque illi placuerint, obligare. Hanc igitur condicionem nostram ad humilitatem conservandam vult nos Christus agnoscere. Quamvis ex gratuito pacto, quod nobiscum facere dignatus est, possumus cum Apostolo dicere: Reposita est mihi corona iustitiae, quam reddet mihi in illa die iustus iudex. Nam et Dominus ipse dicit: Nonne ex denario convenisti mecum? tolle quod tuum est et vade. O magna, inquit Augustinus, bonitas Dei, cui cum pro condicione reddere debeamus obsequium, utpote servi Domino, amicitiarum nobis praemia repromittit, ut a nobis obsequia debitae servitutis extorqueat »[188].

5) Rom 6, 23 dicitur: « Stipendia enim peccati mors, gratia autem Dei vita aeterna », et non dicitur: stipendium bonorum operum vita aeterna; ergo vita aeterna non est obiectum meriti.

Resp. « Hoc argumentum diligenter solvit s. Augustinus in epist. 105, in Enchiridio cap. 107, et praecipue in libro de gratia et libero arbitrio cap. 8 et 9. Duo autem dicit. Primo, potuisse Apostolum recte dicere, stipendium iustitiae vita aeterna, sicut dixit, stipendium peccati mors. Quae sancti Augustini confessio causam adversariorum penitus iugulat. Secundo, non esse dictum, stipendium iustitiae vita aeterna, sicut stipendium peccati mors, ne quis existimaret, ita nos ex nobis habere iustitiam, sicut ex nobis habemus peccata. Itaque gratia dicitur vita aeterna, non quia non est merces meriti, sed quia ipsa merita habemus ex gratia »[189].

6) Magna iniuria fit Christo, si meritis nostris aliquid tribuitur, quasi non sufficiant Christi merita.

Resp. « Hoc argumentum, quanto ab adversariis magis rhetorice vel potius tragice amplificatur, tanto, cum discutitur, inanius invenitur. Si-

---

187 Bellarmino, cap. 5.
188 Bellarmino, cap. 5.
189 Bellarmino, cap. 5.

quidem merita iustorum non opponuntur meritis Christi, sed ab illis nascuntur, et quidquid ipsa iustorum merita laudis habent, id totum redundat in laudem meritorum Christi. Ipse est enim vitis, nos palmites; et sicut palmes non potest ferre fructum, nisi manserit in vite, sic et nos nihil possumus sine Christo facere. Et sicut nemo unquam ita desipuit, ut diceret detrahi de gloria vitis, si palmites ipsius multum fructum afferant, ita nemo, nisi plane stultus, dicere potest detrahi de gloria Christi, si servi eius, per gratiam eius, per spiritum eius, per fidem et caritatem ab ipso inspiratam bona opera faciant, quae ita vere sint iusta, ut eis debeatur a iusto iudice corona iustitiae.

At, inquiunt, si requiruntur merita hominum, non igitur sufficiebant merita Christi.

Non ita est. Nam merita hominum non requiruntur propter insufficientiam meritorum Christi, sed propter maximam eorum efficaciam. Meruerunt enim Christi opera apud Deum, non solum ut salutem consequeremur, sed etiam, ut eam per merita propria consequeremur. Sive, quod est idem, non solum aeternam salutem, sed etiam virtutem merendi nobis meruerunt...

At saltem, inquiunt, dividitur gloria inter Deum et hominem, si non solis eius meritis, sed etiam nostris salutem assequimur.

Neque id verum est. Nam merita nostra dona sunt Christi. Et quamvis in opere bono, quod nos, Deo iuvante, facimus, nihil sit nostrum, quod non sit Dei, neque aliquid sit Dei, quod non sit nostrum, sed totum faciat Deus, et totum faciat homo: tamen ratio, cur id opus sit dignum vita aeterna, tota pendet a gratia. Denique nos ipsi non minus Christo sumus obstricti, nec minus salutem nostram totam atque integram illi acceptam referimus, cum illam meritis nostris acquirimus, quam si absque ullis meritis nostris illam acciperemus; immo multo magis nunc illi nos debitores esse fatemur, quandoquidem non solum per eius gratiam salvamur, sed etiam per eandem nobilissimo modo honorificentissimoque salvamur » [190].

7) Rom 8, 18: « Existimo enim quod non sunt condignae passiones huius temporis ad futuram gloriam, quae revelabitur in nobis ». Ergo s. Paulus negat condignitatem operum cum futura gloria.

Resp. Textus graecus habet οὐκ ἄξια, id est « non sunt ponderosae », si comparantur cum futura gloria [191]; non est sermo de condignitate, qua opus aliquod est meritorium de condigno.

Quoad rem idem apud s. Bellarmino [192]: « Loquitur enim Apostolus

---

190 Bellarmino, cap. 5.

191 Vide Zorell s. v. ἄξιος.

192 Bellarmino, cap. 3.

de substantia ipsorum operum, non de proportione absoluta. Nam passiones huius temporis breves sunt, gloria illa aeterna est; tamen proportio est inter has passiones et illam gloriam propter caritatis dignitatem, unde procedunt. Nam et Christi passio multo brevior fuit poenis damnatorum sempiternis, et tamen propter dignitatem personae patientis dignissima fuit, quae pro illis poenis iustissime satisfaceret. Et deliciae peccatorum incomparabiliter minores sunt tormentis gehennae, et tamen propter contemptum Dei dignissimae sunt, quae illis suppliciis puniantur.
propter contemptum Dei dignissimae sunt, quae illis suppliciis puniantu.r
Et semen multo est minus, quod ad molem attinet, ipsa arbore; et tamen proportio est inter semen et arborem tanta, ut semini rite sato naturali quadam iustitia arbor debeatur. Itaque B. Paulus 2 ad Cor 4 dicit quidem passiones huius temporis momentaneas et leves esse, si conferantur ad pondus aeternae gloriae, quod exspectamus, et tamen addit, has ipsas momentaneas levesque passiones operari aeternae gloriae pondus; operari vero sine dubio intelligit non physice sed moraliter, id est, non efficienter, sed meritorie, ac per hoc dignas esse, quibus gloria illa, quamvis maxima et sempiterna, iusto iudicio tribuatur».

Similiter s. Thomas [193] «Opus meritorium hominis dupliciter considerari potest: uno modo secundum quod procedit ex libero arbitrio; alio modo secundum quod procedit ex gratia Spiritus Sancti. Si consideretur secundum substantiam operis et secundum quod procedit ex libero arbitrio, sic non potest ibi esse condignitas propter maximam inaequalitatem; sed est ibi congruitas propter quamdam aequalitatem proportionis. Videtur enim congruum, ut homini operanti secundum suam virtutem Deus recompenset secundum excellentiam suae virtutis. Si autem loquamur de opere meritorio, secundum quod procedit ex gratia Spiritus Sancti, sic est meritorium vitae aeternae ex condigno. Sic enim valor meriti attenditur secundum virtutem Spiritus Sancti moventis nos in vitam aeternam secundum illud Ioannis 4: Fiet in eo fons aquae salientis in vitam aeternam. Attenditur etiam pretium operis secundum dignitatem gratiae, per quam homo consors factus divinae naturae adoptatur in filium Dei, cui debetur hereditas ex ipso iure adoptionis, secundum illud Rom 8: Si filii, et heredes».

8) In hac doctrina Deus esset debitor hominis; atqui hoc est impossibile; ergo.

Resp. cum s. Augustino: «Debitorem Dominus ipse se fecit, non accipiendo, sed promittendo» [194]. — Bellarmino: «Promissio facta cum condicione operis non solum debitam facit rem promissam; qui enim pro-

---

[193] S. Th. 1, 2 q. 114 a. 3 c et ad 1.

[194] Supra pag. 280.

misit, ex iustitia tenetur stare promissis; sed etiam facit, ut qui opus impleverit, meruisse rem promissam eamque ut mercedem iure suo exigere posse dicatur »[195].

De aliis obiectis meriti

Iustus non potest de condigno mereri primam gratiam efficacem post iustificationem. Nam ad talem actum meritorium iam requiritur gratia efficax. Sed neque in suppositione huius primae gratiae efficacis sequentes gratias efficaces de condigno mereri potest; nam si ita, iustus post acceptam primam gratiam efficacem iam esset confirmatus in gratia suis meritis, esset impeccabilis. Ex thesi 12 parte 2 autem constat, iustum esse in periculo peccandi quamdiu est viator et non solum in illo temporis spatio, quod est inter iustificationem et primam gratiam efficacem.

Ergo iustus non potest sibi de condigno mereri donum perseverantiae. Nam illud complectitur seriem gratiarum efficacium ab ultima iustificatione usque ad mortem, et ipsam mortem in statu gratiae. Donum perseverantiae non esse obiectum meriti de condigno s. Augustinus ostendit in libro De dono perseverantiae, in quo ait: « Unde satis dilucide ostenditur et incohandi et usque in finem perseverandi gratiam Dei non secundum merita nostra dari, sed dari secundum ipsius secretissimam eamdemque iustissimam, sapientissimam, beneficentissimam voluntatem, quoniam, quos praedestinavit ipsos et vocavit, vocatione illa, de qua dictum est: Sine paenitentia sunt dona et vocatio Dei » [196]. Theologi in hac re conveniunt [197], eamque communiter proponunt ut theologice certam [198].

Iustus autem de congruo mereri potest perseverantiam, si excipitur prima gratia efficax. Videtur enim congruum, Deum Patrem caelestem intuitu bonorum operum, quae faciunt filii eius adoptivi, eam circa eos curam habere, ut in gratia permaneant. Cum autem

---

195 Cap. 3.
196 De dono perseverantiae 13, 33; ML 45, 1012; R 1999.
197 S. Th. 1, 2 q. 114 a. 9.
198 Suarez, De gratia lib. 12 cap. 26.

de hac re non habeatur promissio divina, hoc meritum de congruo non est infallibile.

Potest tamen iustus donum perseverantiae suppliciter impetrare, excepta iterum, ut patet, prima gratia efficaci. Ita s. Augustinus: « Hoc ergo Dei donum suppliciter emereri potest »[199], et propterea monet semper rogandum esse donum perseverantiae. Ita s. Thomas[200]: « Etiam ea quae non meremur, orando impetramus; nam et peccatores Deus audit peccatorum veniam petentes, quam non merentur, ut patet per August. super illud Ioan. 9: Scimus, quia peccatores Deus non exaudit, alioquin frustra dixisset publicanus: Deus propitius esto mihi peccatori, ut dicitur Luc 18; et similiter perseverantiae donum aliquis petendo a Deo impetrat vel sibi vel alii, quamvis sub merito non cadat ». Suárez[201] rem proponit ut certissimam. Christus promisit: « Omnia quaecumque petieritis in oratione credentes, accipietis » ([202]). Sed oratio debet talis esse qualem Christus voluit: « Oportet semper orare et non deficere »[203].

Quam rem ita explicat Suarez: « Duobus modis posse intelligi iustum mereri vel impetrare donum perseverantiae. Primo per unum actum, vel per plures in certo tempore, vel usque ad certum instans vitae factos, impetrando perseverantiam et quasi confirmationem in gratia pro reliquo tempore vitae. Secundo successive per totum vitae tempus quasi per partes perseverantiam impetrando, verbi gratia, nunc impetrando auxilium efficax ad non cadendum in praesenti occasione, et post illam iterum orando et impetrando aliud auxilium ad servandum praeceptum iterum occurrens, et sic consequenter orando et nunquam deficiendo. Dico ergo priorem modum merendi vel impetrandi perseverantiam non esse infallibilem... Si quis oret perseveranter petendo perseverantiam in gratia, infallibiliter eum esse impetraturum, non tamen illo primo modo quem hactenus negavimus, sed alio secundo modo prius declarato. Atque ita dicimus secundo iustum perseverando debito modo in

---

199 De dono perseverantiae 6, 10; ML 45. 999; R 1993.
200 1, 2 q. 114 a. 9 ad 1.
201 De gratia lib. 12 cap. 38 nr. 12.
202 Matth 21, 22.
203 Luc 18, 1; cf. 21, 36.

orationis instantia et frequentia, posse successive infallibiliter obtinere perseverantiam usque ad mortem. Probatur, quia perseverantia in orando, ad hanc impetrationem necessaria, non est tantum duratio aliqua unius vel alterius petitionis pro aliquo tempore; hoc enim nec definiri potest, nec cum fundamento affirmari. Neque esset prudens oratio, qua quis peteret sibi dari perseverantiam pro toto tempore futurae vitae, etiam sine nova diligentia procurandi eamdem perseverantiam. Neque est cur credamus talem promissionem esse alicui orationi factam. Igitur perseverantia orationis, in tali materia requisita, est ut non semel tantum aut iterum fiat, sed ut toto tempore vitae duret, et praesertim ut in occurrentibus occasionibus servandi mandata aut vincendi tentationes, cum debita fiducia repetatur. Sic enim fiet, ut, procedendo ab uno actu ad alium, bene operando, et convenienter orando, infallibilter perseverantiam consequatur. Haec autem infallibilitas non convenit huic merito de congruo ratione sui (ut ita dicam), sed ratione impetrationis, quae proprie soli orationi seu petitioni, ut talis est, respondet. Ratio est, quia haec infallibilitas solum fundatur in promissione divina, quae non invenitur facta operibus iustorum, quatenus meritoriis de congruo, sed tantum orationi. Quare ut fructus huius meriti certior sit, adiungenda semper est petitio perseverantiae. Et eadem ratione non solum orandum est ut non peccemus, sed ut in oratione perseveremus, quia neque oratio neque perseverantia in illa potest sine gratia Dei fieri, neque sine congrua vocatione fiet. Et ita totum hoc meritum et impetratio initium habere debet ab aliquo auxilio sine merito vel impetratione collato » [204].

Est sententia omnino probabilis iustum posse de congruo mereri reparationem post lapsum. Ita contra s. Thomam [205] plurimi theologi: s. Bonaventura [206], Scotus [207], s. Bellarmino [208], Suárez [209],

---

[204] De gratia lib. 12, cap. 38 nr. 14; 16; 17.

[205] 1, 2 q. 114 a. 7; cf. tamen In epistulam ad Hebraeos cap. 6 lect. 3.

[206] In 2 dist. 28 dub. 2.

[207] In 4 dist. 2 q. 1 a. 2.

[208] De iustificatione lib. 5 cap. 22.

[209] De gratia lib. 12 cap. 38 nr. 6.

Ripalda[210]. Sensus huius doctrinae non est, hominem postquam peccavit, posse de congruo mereri iustificationem[211]; sed: operibus in statu iustitiae factis homo de congruo meretur gratiam poenitentiae et conversionis post lapsum. Revera, si supponatur homo, qui diu permanserat in iustitia et multa bona opera fecerat, deinde tamen ex infirmitate magis quam ex malitia mortale commisit peccatum, omnino congruum videtur, ut Deus misericors intuitu bononorum operum quae antea fecerat, eum sic iuvet, ut de facto perveniat ad poenitentiam. Patet minorem esse congruentiam, si quis brevi fortasse tempore solum fuit in iustitia et pauca tantum opera bona fecit et deinde multum et ex malitia peccavit.

Bona temporalia nude in se considerata non videntur esse obiectum meriti, sed inquantum iuvant in via salutis possunt esse obiectum meriti de congruo[212].

Quod ad meritum iusti pro aliis attinet, Suárez[213] dicit: « Est ergo regula posse iustum alteri mereri de congruo quod sibi potest et aliquid amplius ». Hoc amplius est ipsa prima gratía, quam nemo sibi ipsi mereri potest. « Merito congrui potest aliquis alteri mereri primam gratiam. Quia enim homo in gratia constitutus implet Dei voluntatem, congruum est secundum amicitiae proportionem, ut Deus impleat hominis voluntatem in salvatione alterius »[214].

---

210 De ente supernaturali disp. 95 sect. 3.
211 De hac quaestione vide supra pag. 148 ss.
212 S. Th. 1, 2 q. 114 a. 10; Suárez, De gratia lib. 12 cap. 38 nr. 20.
213 L. c. nr. 21.
214 S. Th. 1, 2 q. 114 a. 6.

PARS QUARTA

DE NATURA GRATIAE ACTUALIS

Ex iis quae hucusque exposita sunt constat esse gratias, quae homini in iustificatione infunduntur et in eo permanent, gratia sanctificans et virtutes infusae; praeterea alia auxilia gratiae, quae homini lapso conceduntur ad superandas difficultates et tentationes, ut possit vitare peccatum, quae peccatori dantur, ut possit illos actus ponere, quibus ad iustificationem positive disponitur. Haec auxilia, cum ad singulos actus dentur, vocavimus gratias actuales [1]. Cum communiore quoque sententia theologorum diximus gratiam actualem, quae datur ad actus salutares ponendos, esse entitative supernaturalem, sicut ipsi actus salutares sunt entitative supernaturales [2]. Distinximus quoque gratiam actualem sanantem et elevantem, sanantem quia sanat moralem infirmitatem hominis et eatenus dat vires morales, et elevantem, quae dat posse ponere actus salutares et sic confert novas vires physicas.

De natura gratiae habitualis iam dictum est in prima parte [3]; restat dicendum de natura gratiae actualis. Consideratur autem gratia actualis praecise in quantum est elevans. De gratia actuali sanante non est difficultas, si est supernaturalis solum quoad modum; si autem est entitative supernaturalis, est etiam elevans.

---

[1] Pag. 160.

[2] Thes. 8, pag. 174.

[3] Thesis 3, pag. 93.

Accurata distinctio inter gratiam habitualem et actualem systematice exposita est apud theologos scholasticos posteriores; quaestio de natura gratiae actualis maxime tractatur ex tempore concilii tridentini.

Cum gratia actualis elevans sit ens supernaturale, quod non nisi ex revelatione cognitum est, in inquirenda eius natura imprimis videndum est, quid de ea in fontibus revelationis dicatur. Haec quoad rem magna ex parte in iis iam continentur, quibus exsistentia et necessitas huius gratiae probata est.

THESIS 17: ***Auxilia actualia gratiae internae sunt immediatae illustrationes intellectus et inspirationes voluntatis, et quidem actus tum indeliberati tum deliberati.***

« Auxilia actualia » in distinctione ad dona habitualia permanentia ea sunt quae ad singulos actus conferuntur, quae sunt principia actus salutaris.

« Internae gratiae » in distinctione ad gratias externas ea, quae est in superioribus facultatibus animae [4].

« Sunt »: non significat essentiam gratiae actualis simpliciter absolvi in illustrationibus et inspirationibus, sed abstrahendo interim ab hac quaestione solum dicitur positive illas pertinere ad gratiam actualem.

« Illustrationes intellectus et inspirationes voluntatis »: Ita secundum modum loquendi hodie usitatum, qui illustrationes refert ad intellectum, inspirationes ad voluntatem. Hinc attendendum est voces illas in fontibus non habere istam significationem exclusivam. Illae illustrationes intellectus et inspirationes voluntatis sunt actus, quibus homo supernaturaliter cognoscit vel supernaturaliter erga aliquid afficitur, inclinatur, aliquid vult.

« Immediatae »: Cum sermo sit de auxilio gratiae, illuminationes et inspirationes intelliguntur, quae a Deo in homine causan-

---

[4] Supra pag. 160.

tur. Tum intelligere tum velle immediate et mediate a Deo causari possunt. Intellectus mediate illuminatur, cum ei veritas aliqua proponitur (e. g. in praedicatione evangelii), qua homo secundum leges naturae ad aliquid cognoscendum movetur. Talis illuminatio pertinet ad gratias externas. Mediata quoque videtur dicenda illuminatio, quando intellectui immediate quidem infunduntur species, actus autem cognitionis sequitur simpliciter secundum principia mere naturalia; hoc ut patet possibile solum est, si species illae infusae ad ordinem mere naturalem pertinent; ex hoc autem exemplo apparet, infusionem specierum qua talem per se non dicere immediatam illuminationem, si non accedit specialis cooperatio in ipsa intellectione; haec autem necessaria est, si species sunt alterius ordinis (species per se infusae), neque in tali casu haec cooperatio deest. In tali autem suppositione immediata illuminatio non constituitur per infusionem specierum, sed per cooperationem ad intellectionem ipsam. Hinc immediatam illuminationem intelligimus immediatam cooperationem Dei in ipsa intellectione. In omni autem operatione creaturae, et sic etiam in omni intellectione immediatus Dei concursus requiritur. De hoc concursu naturali nunc non est sermo, sed de illa operatione Dei in intellectione humana, qua haec fit entitative supernaturalis, salutaris. Supra dictum est, supernaturalitatem actus salutaris in eo consistere, quod ipsum esse eius physicum ad ordinem supernaturalem pertinet; si ergo Deus ita influit, ut oriatur actus cognitionis talis perfectionis entitativae, habetur immediata illuminatio intellectus. Actus supernaturalis viatoris non habet, ut in tractatu de virtutibus probavimus, obiectum formale ab actu correspondente naturali essentialiter diversum, neque in modo operandi circa obiectum materiale essentialiter differt ab actu naturali; per se actus supernaturalis exigit propositionem obiecti materialis simili modo quo actus naturalis. « Si ad praesentiam talis obiecti intellectus cum concursu Dei generali ita agit, uti ipsius naturae respondet, non habetur immediata intellectus per Deum illustratio. Sin Deus, proposito quidem extrinsecus obiecto, ipse vi sua physice in mente agit, indebito lumine eam elevans, ut veritatem ita apprehendat, prout ad salutem expedit, i. e. actu, qui secundum internam entitatem fini ultimo supernaturali proportio-

natus est, talem actum intellectualem recte vocamus immediatam illustrationem » [5].

Voluntas mediate inspiratur eo, quod intellectus ei proponit obiectum (sive mediata illustratione sive immediata) et voluntas secundum leges naturae erga illud obiectum afficitur; haec mediata inspiratio voluntatis per se cum illustratione intellectus coniuncta est. Immediate voluntas inspiratur a Deo, si Deus immediate talem motum voluntatis causat, qui in esse suo physico ad ordinem supernaturalem pertinet, qui proinde motus est salutaris.

Petavius [6] putavit sufficere mediatam inspirationem voluntatis; sed longe communius docetur inspiratio immediata.

« Actus indeliberati et deliberati »: actus deliberati ii sunt, qui et quatenus a libera electione hominis pendent; indeliberati illi, qui liberam electionem hominis antevertunt, vel contra voluntatem hominis perdurant. Possunt esse actus voluntatis vel intellectus. Actus deliberati speciali modo ab homine fiunt, quatenus utendo sua libertate eos elicit vel perdurare permittit; hoc dominium homo non exercet in origine actuum indeliberatorum, et sic illi quodammodo fiunt in nobis sine nobis, id est sine nobis libere eligentibus vel consentientibus; « in nobis sed sine nobis » non significat illos actus non elici a facultate vitali.

Actus intellectus sunt apprehensio simplex et comparativa, iudicium speculativum et practicum; omnes illi actus possunt esse entitative supernaturales, et cum homo per illos ad actum salutarem perduci possit, omnes per se possunt habere rationem gratiae actualis; saltem autem hoc dicendum est de iudicio practico. Affectus autem voluntatis sunt amor (benevolentiae et concupiscentiae) et odium, gaudium et timor; omnes possunt esse supernaturales et principium actus salutaris; omnes ergo possunt esse gratia actualis [7].

---

[5] Lange, De gratia nr. 493.

[6] De dogm. pel. ac semipel. cap. 10.

[7] Augustinus speciali modo caritatem, dilectionem, vocat gratiam; sed his non intelligit solum motum caritatis sensu stricto, sed omnem bonum motum voluntatis; cf. Beraza, nr. 69-75; Lange, nr. 510 et auctores ibi citatos.

Doc. Ecclesiae

Indiculus, cap. 5: « Ideo utique, quia praeparatur voluntas a Domino [8] et ut boni aliquid agant, paternis inspirationibus suorum ipse tangit corda filiorum » [9]. — Cap. 6: « Deus in cordibus hominum atque in ipso libero operetur arbitrio » [10].

Arausicanum, can. 4: Per Sancti Spiritus infusionem et operationem; praeparatur voluntas a Domino; can. 5: Per gratiae donum, id est per inspirationem Spiritus Sancti corrigentem voluntatem nostram; can. 6: Per infusionem et inspirationem Spiritus Sancti in nobis fit ut credamus etc.; can. 7: non possumus per naturae vigorem bonum aliquid, quod ad salutem pertinet, absque illuminatione et inspiratione Spiritus Sancti; can. 8: nemo potest ad Dominum venire, nisi quem Pater attraxerit [11].

Conc. tridentinum, cap. 5: Exordium iustificationis sumendum est a Dei gratia, hoc est ab eius vocatione; Deus tangit cor hominis per Spiritus Sancti illuminationem; cap. 6: Ad iustitiam disponuntur excitati divina gratia et adiuti, fidem ex auditu concipiunt, libere moventur in Deum [12].

Pius V damnat errores Baii, err. 63: « Sed et illa distinctio duplicis iustitiae, alterius, quae fit per Spiritum caritatis inhabitantem, alterius, quae fit ex inspiratione quidem Spiritus Sancti cor ad poenitentiam excitantis, sed nondum cor inhabitantis et in eo caritatem diffundentis, qua divinae legis iustificatio impleatur, similiter reicitur ». — Err. 64: « Item et illa distinctio duplicis vivificationis, alterius, qua vivificatur peccator, dum ei poenitentiae et vitae novae propositum et inchoatio per Dei gratiam inspiratur, alterius, qua vivificatur, qui vere iustificatur et palmes vivus in vite Christo efficitur, pariter commentitia est et Scripturis minime con-

---

8 Prov 8, 85; LXX.
9 Denz 134.
10 Denz 135.
11 Denz 177 ss.
12 Denz 797 s.

gruens »[13]. Cf. Err. Iansenii 2 et 4[14]; err. synod. pistor. 21[15]. Conc. vatic. sess. 3 cap. 3 repetit verba conc. araus, can. 7[16].

1) Sermo est de auxiliis gratiae actualis in distinctione ad dona habitualia, quae in iustificatione infunduntur: in controversia cum semipelagianis agebatur praecise de illo gratiae auxilio, quod fidem et iustificationem antecedit; concilium tridentinum distinguebat actus iustificationem antecedentes (cap. 5 et 6) a virtutibus, quae in iustificatione infunduntur; contra Baium explicite illa distinctio defenditur; in controversia contra iansenistas praecipue agebatur de gratia actuali.

2) Ista auxilia gratiae dicuntur illuminatio, illustratio, inspiratio, uti ex textibus patet; referuntur ad intellectum et ad voluntatem.

3) Sunt motus immediate a Deo: Quod modo speciali sint a Deo praecise contra pelagianos et semipelagianos statuendum erat; thesi 8 ostendimus, actus disponentes ad iustificationem entitative esse supernaturales, ergo etiam principium, ex quo procedunt, gratia actualis; hoc autem non explicatur, si Deus solum mediate, proponendo obiectum movet, sed ipse debet motum entitative supernaturalem producere. Hoc valet tum de motu intellectus tum de motu voluntatis; Deus enim dicitur movere ad cognoscendum et ad volendum, ita ut istae motiones distinguantur. Si autem motio voluntatis esset solum mediante motione intellectus, non appareret ratio illas motiones tamquam diversas gratias distinguendi.

4) Actus indeliberati: Agitur enim de motibus, qui liberam voluntatem antecedunt; de motibus, quos homo adhuc libere admittere vel reicere potest (conc. trid. cap. 5; controversia cum Iansenistis, prop. Iansenii 2 et 4; conc. vatic. sess. 3 cap. 3). — Actus deliberati: Arausic. can. 17 « Fortitudinem gentium mundana cupiditas, fortitudinem autem Christianorum Dei caritas facit, quae

---

13 Denz 1063 s.
14 Denz 1093; 1095.
15 Denz 1521.
16 Denz 1791.

diffusa est in cordibus nostris, non per voluntatis arbitrium, quod est a nobis, sed per Spiritum Sanctum, qui datus est nobis »[17].

S. Scriptura

1) Inter auxilia, quibus Deus iuvat ad actus salutares, sunt illuminationes intellectus: 2 Cor 3, 5: Idoneitas aliquid cogitandi a Deo est[18]; cf. 2 Cor 4, 6. — Eph 1, 16 ss.: « Non cesso gratias agens pro vobis, memoriam vestri faciens in orationibus meis: ut Deus, Domini nostri Iesu Christi pater gloriae, det vobis spiritum sapientiae et revelationis, in agnitione eius: illuminatos oculos cordis vestri, ut sciatis quae sit spes vocationis eius, et quae divitiae gloriae hereditatis eius... ». — 1 Io 2, 20: « Sed vos unctionem habetis a Sancto, et nostis omnia »; 27: « Et vos unctionem, quam accepistis ab eo, maneat in vobis. Et non necesse habetis ut aliquis doceat vos: sed sicut unctio eius docet vos de omnibus, et verum est, et non est mendacium ».

2) Deus iuvat operando in ipsa voluntate: Phil 2, 13: « Deus est enim, qui operatur in vobis et velle, et perficere pro bona voluntate »[19]. — 2 Thess 2, 16: « Ipse autem Dominus noster Iesus Christus, et Deus et Pater noster, qui dilexit nos, et dedit consolationem aeternam, et spem bonam in gratia, exhortetur corda vestra, et confirmet in omni opere, et sermone bono ». Cf. 2 Tim 1, 7.

3) Illustratio intellectus est immediata; nam in textibus sub 1) allatis propositio externa doctrinae per praedicationem iam supponitur; praeterea s. Ioannes unctionem, quam habent, distinguit ab externa propositione doctrinae. — Inspiratio voluntatis, de qua s. Scriptura loquitur, saltem est mediata, mediante scl. illustratione intellectus; sed cum dicitur Deus operari ipsum velle, facile intelligi potest de operatione immediata.

---

[17] Denz 190.

[18] Cf. supra pag. 168 s.

[19] Cf. pag. 169.

4) Actus indeliberati: Christus dicit se venisse vocare peccatores (Mc 2, 17); Deus quos praedestinavit eos et vocavit (Rom 8, 30); Act 16, 14: « Et quaedam mulier nomine Lydia... colens Deum, audivit: cuius Dominus aperuit cor intendere his, quae dicebantur a Paulo; » cf. Luc 24, 45. Apoc 3, 20: « Ecce sto ad ostium et pulso: siquis audierit vocem meam, et aperuerit mihi ianuam, intrabo ad illum, et coenabo cum illo, et ipse mecum ». His omnibus indicantur motus, qui liberam electionem eius, qui vocatur, cuius cor aperitur, ad cuius ostium pulsatur, antecedunt.

5) Actus deliberati: 1 Cor 13, 4 ss. multa describuntur, quae ex caritate procedunt; caritas autem hoc loco facile intelligi potest actus caritatis – Hebr 11 multi testes fidei efficacis inducuntur, qui fide ducebantur ad alios actus salutares. — Iac 2, 20 ss. ostendit fidem debere perducere ad bona opera; quod si non facit, mortua est.

Patres

S. Ignatius: « Vires tantum mihi et internas et externas petite, ut non solum loquar, sed et velim, ut non solum dicar christianus, sed et inveniar » [20]. — Clemens Alexandrinus: « Eorum cogitationes qui sunt virtute praediti per divinam fiunt inspirationem, cum anima quodam modo sit disposita et divina voluntas in humanas animas transmittatur, certis Dei ministris ad talia ministeria opem ferentibus » [21].

S. Ephraem: « Bonus Dominus hisce duobus allaborat: cogere non vult libertatem nostram nec ut remissi simus permittit. Si enim coactione utitur, potestatem arbitrii tollit; si vero relaxatione, privat animam auxilio suo. Sciens Dominus quod si cogit privat nos, si auxilium retrahit perdit nos, si docet acquirit nos, non cogit nec auxilium retrahit, ut facit Malus, sed docet, erudit et acquirit, utpote Bonus » [22].

S. Ioannes Chrysostomus: « Deus, utpote clemens et beneficus,

---

20 Ad Romanos 3, 2; R 53.

21 Stromata 6, 17, 157, 4; MG 9, 389; R 430.

22 Hymn. de Epiphania 10, 14 s.; R 704.

dilecte, omnia agit et operatur ut nos virtute splendidi simus; et cum nos velit acceptos et probatos esse, non vi aut necessitate, sed suasione et beneficiis suis volentes omnes allicit et ad se trahit. Propterea venientem illum alii receperunt, alii non »[23].

S. Augustinus: « Vocat undique ad correctionem, vocat undique ad poenitentiam, vocat beneficiis creaturae, vocat impertiendo tempus vivendi, vocat per lectorem, vocat per tractatorem, vocat per intimam cogitationem, vocat per flagellum correptionis, vocat per misericordiam consolationis: Longanimis et multum misericordiae »[24]. « Docet Deus suavitatem inspirando delectationem, docet disciplinam temperando tribulationem, docet scientiam insinuando cognitionem. Cum itaque alia sint, quae ideo discimus, ut tantummodo sciamus, alia vero ut etiam faciamus; quando Deus ea docet, sic docet ut scienda sciamus aperiendo veritatem, sic docet ut facienda faciamus inspirando suavitatem »[25]. « Deus enim est qui operatur in vobis et velle et operari pro bona voluntate[26]. Ubi satis ostendit (Apostolus) etiam ipsam bonam voluntatem in nobis operante Deo fieri »[27]. — « Voluntas ipsa, nisi aliquid occurrerit quod delectet atque invitet animum, moveri nullo modo potest; hoc autem ut occurrat, non est in hominis potestate »[28].

« Nos quantum concessum est sapiamus; et intellegamus si possumus, Dominum Deum bonum ideo etiam sanctis suis alicuius operis iusti aliquando non tribuere vel certam scientiam vel victricem delectationem, ut cognoscant non a se ipsis, sed ab illo sibi esse lucem, qua illuminentur tenebrae eorum, et suavitatem qua det fructum suum terra eorum. Cum autem ab illo illius adiutorium deprecamur ad faciendam perficiendamque iustitiam, quid aliud deprecamur, quam ut aperiat quod latebat, et suave faciat quod non delectabat? »[29].

---

[23] In Ioann. homil. 10, 1; MG 59, 73; R 1159.
[24] Enarr. in Psalm. 102, 16; ML 37, 1330; R 1483.
[25] Enarr. in Psalm. 118, 17, 3; ML 37, 1549; R 1485.
[26] Phil 2, 13.
[27] De div. quaest. 1, 2, 12; ML 40, 118; R 1572.
[28] Ibidem 1, 2, 22; ML 40, 128; R 1576.
[29] De pecc. meritis et remissione 2, 19, 32; ML 44, 170; R 1724.

« Quommodo voluntate credo, si trahor? Ego dico: Parum est voluntate, etiam voluptate traheris... Porro si poetae dicere licuit: trahit sua quemque voluptas; non necessitas, sed voluptas; non obligatio, sed delectatio: quanto fortius nos dicere debemus trahi hominem ad Christum, qui delectatur veritate, delectatur beatitudine, delectatur iustitia, delectatur sempiterna vita, quod totum Christus est? » [30]. — « Videte quomodo trahit Pater: docendo delectat, non necessitatem imponendo » [31].

« Convertit Deus et transtulit indignationem eius [32] in lenitatem. Quis autem non videat multo maius esse indignationem a contrario in lenitatem convertere atque transferre, quam cor neutra affectione praeoccupatum, sed inter utramque medium in aliquid declinare? Legant ergo et intelligant, intueantur atque fateantur, non lege atque doctrina insonante forinsecus, sed interna et occulta, mirabili ac ineffabili potestate operari Deum in cordibus hominum, non solum veras revelationes, sed bonas etiam voluntates » [33].

S. PROSPER: « Veritas dicit: Nemo venit ad me, nisi Pater, qui misit me, traxerit eum [34]. Si ergo nemo venit, nisi attractus, omnes qui quocumque modo veniunt, attrahuntur. Trahit itaque ad Deum contemplatio elementorum, omniumque quae in iis sunt, ordinatissima pulchritudo. Invisibilia enim eius a creatura mundi per ea quae facta sunt, intellecta conspiciuntur [35]. Trahunt rerum gestarum relatores: animum audientis inflammant narrantes laudes Domini et virtutes eius et mirabilia eius quae fecit [36]. Trahit timor: principium enim sapientiae timor Domini [37]. Trahit laetitia, quoniam: laetatus sum in his quae dicta sunt mihi: in domum Domini ibimus [38]. Trahit desiderium, quoniam: concupiscit et deficit anima

30 In Ioannis evang. tract. 26, 4; ML 35, 1608; R 1822.

31 Ibid. 7; ML 35, 1610; R 1823.

32 Assueri; Esth 15, 11.

33 De gratia Christi et peccato originali lib. 1, 24, 25; ML 44, 373; R 1853.

34 Io 6, 44.

35 Rom 1, 20.

36 Ps 77, 4.

37 Prov 1, 7.

38 Ps 121, 1.

mea in atria Domini[39]. Trahunt delectationes: quam dulcia enim faucibus meis eloquia tua! Super mel et favum ori meo[40]. Et quis perspicere aut enarrare possit, per quos affectus visitatio Dei animum ducat humanum, ut quae fugiebat, sequatur; quae oderat, diligat; quae fastidiebat, esuriat; ac subito commutatione mirabili, quae clausa ei fuerant, fiant aperta; quae onerosa, sint levia; quae amara, sint dulcia; quae obscura, sint lucida? Haec autem omnia operatur unus atque idem Spiritus, dividens singulis prout vult[41]. Quoniam Deus qui dixit de tenebris lumen splendescere, illuxit in cordibus nostris, ad illuminationem scientiae claritatis Dei, in facie Christi Iesu[42] id est, in manifestatione Filii sui, qui est in gloria Patris »[43].

Theologi

Apud theologos diversae habentur sententiae de natura gratiae actualis; disputatur autem de gratia in quantum est elevans, principium actus supernaturalis. Homo gratia sanctificante et virtutibus infusis ornatus per ipsos hos habitus infusos habet physicam potentiam ad actus entitative supernaturales ponendos; ipsi ergo posse talium actuum non iam est conferendum per auxilium actuale elevans. Homo autem, qui caret habitibus supernaturalibus, non est physice potens ad tales actus; propterea ipsi per auxilium actuale ipsum posse conferri debet. Ut ergo cognoscatur natura gratiae elevantis consideratur gratia in homine sine habitibus infusis et inquiritur, quomodo in tali homine oriantur actus entitative supernaturales.

Ut vitentur confusiones, ab initio notandum est, quaestionem non esse, quale auxilium divinum requiratur, ut potentia creata transeat in actum, uti in philosophia quaeritur, cum sermo est de

---

39 Ps 83, 3.

40 Ps 118, 103.

41 1 Cor 12, 11.

42 2 Cor 4, 6.

43 Liber contra collatorem c. 7, 2; ML 51, 230; cf. R 2035.

concursu divino. Si enim ita quaeritur, potentia physica ad actum in subiecto creato iam supponitur. In praesenti autem quaestione praecise ipsa haec potentia physica nondum adesse supponitur et quaeritur, quid fieri debeat, vel quid fiat, ut homo non instructus habitibus supernaturalibus physicam habeat potentiam ponendi actus intellectus et voluntatis entitative supernaturales.

Una sententia, quae non solum a « thomistis », sed etiam a multis aliis theologis defenditur, ita fere rem concipit: Sicuti Deus ad hoc, ut homo permanenter possit ponere actus entitative supernaturales, habitus supernaturales infundit, quibus facultates permanenter elevantur, ita ante infusionem illorum habituum simili quoque modo naturalis facultas elevatur. Cum autem sit elevatio non permanens, sed ad singularem solum actum, non fit per aliquem habitum, sed per ens creatum non permanens sed fluens, quod posito ipso actu cessat. Hoc ens non est actus vitalis facultatis intellectus vel voluntatis, sed recipitur in ipsa facultate antecedenter ad actum et est eius principium physicum; cum non sit actus vitalis, vocari solet ens non vitale. Ulterior explicatio huius entis non est eadem in omnibus; disputatur utrum sit qualitas, qualitas incompleta, fluens, an potius motio. In eo autem conveniunt, quod sit ens physicum a solo Deo productum, non vitale, non permanens sed fluens, quod influxu suo physico est causa actus entitative supernaturalis; vocatur praemotio physica [44]. Deus ergo in hac sententia per ens creatum naturalem facultatem elevat, quae facultas intrinsecus elevata elicit actum entitative supernaturalem.

Ratio principalis huius sententiae est: Actus supernaturalis est ens simplex, quod secundum totum esse est supernaturale, in quo ergo non est aliquid naturale et vitale, et aliud quid supernaturale, sed totus actus est vitalis et supernaturalis. Totus actus est a facultate vitali et totus quoque actus est a Deo, id quod valet

[44] Bene distinguendum est inter praemotionem physicam et praedeterminationem physicam. Praemotio physica de se est indifferens, cum praedeterminatio physica liberam facultatem ad unum determinet. Haec proinde admittenda non est, non quia sit praemotio physica, sed praecise quia est praedeterminatio physica. Banesiani vero praemotionem physicam habent pro praedeterminatione physica.

de omni actu alicuius creaturae. Potest quidem actus considerari ut est ens, ens vitale, ens supernaturale, sed his omnibus correspondet unum esse physicum simplex, quod non est ex alio et alio compositum. Ut autem facultas talem actum simplicem vitalem in sua physica entitate supernaturalem elicere possit, ipsa iam ante ponendum actum debet habere virtutem causandi ens talis perfectionis; haec virtus ipsi tribuitur praecise per ens in facultate receptum quo facultas ad talem actum ponendum elevatur.

Actus indeliberatus supernaturalis ergo eo modo oritur, quod Deus supernaturali praemotione facultatem naturalem elevet, et simul cum illa ipsum actum producat. Simili modo post actum indeliberatum actus deliberatus oritur ope alterius entis fluentis in facultate recepti, si quidem actus deliberatus distinctus est ab actu indeliberato; secundum aliquos enim possibile est actum indeliberatum fieri deliberatum eo quod accedente advertentia rationis actus indeliberatus iam exsistens retinetur et continuatur, quo in casu nova praemotio physica non apparet necessaria.

Si modo dictum est, Deum et facultatem elevatam producere actum supernaturalem, hoc ita intelligendum est, ut ipsa vitalis facultas elevata totum actum supernaturalem producat; ergo ipsae facultates, intellectus et voluntas, ente creato elevatae proxime et immediate in productionem actus supernaturalis influunt. Non ergo ita res concipienda est, uti recentiores thomistae volunt, ac si solum illud ens creatum, quo facultas elevata est, vitalem actum supernaturalem produceret proxime et immediate, et facultas vitalis solum eatenus dicenda esset in productionem actus influere remote et radicaliter, quatenus est subiectum sustentans illud ens creatum et quatenus actum productum in se recipit. Ita iam non haberetur actus intellectus et voluntatis [45].

Sine dubio haec sententia explicat, quomodo actus cognoscendi et volendi vitalis et intrinsecus supernaturalis oriatur; favet quoque huic sententiae analogia cum auxilio habituali quod infusione virtutum confertur. Ex altera tamen parte fatendum est, non esse facile accurate concipere quale sit illud ens fluens. Si dicitur esse

---

[45] De hac controversia vide Beraza, nr. 140-151.

motio recepta in facultate, videtur iam esse ipse actus facultatis et non aliquid ipsum antecedens et causans; nam secundum principium: actus moventis in mobili est ipse motus mobilis, ipsa motio recepta est motus, motus autem facultatis vitalis est ipse actus vitalis. Si autem dicitur non esse motus, videtur concipiendum ad modum alicuius habitus; sed habitus fluens esset iterum res valde difficilis. Fortasse res cogitari posset ad analogiam concursus oblati: sicuti actus secundus, inquantum a Deo dependet, est concursus Dei collatus terminative spectatus, ita actus primus (proximus), in quantum a Deo dependet, est concursus Dei oblatus terminative spectatus; posset ergo fortasse simili modo ita res concipi, ut operatio Dei in actu primo facultatis, excedens exigentias creaturae et ipsam facultatem elevans, praecise sit illud quod vocatur praemotio physica. Sed concedendum est manere magnam illam differentiam, de qua initio iam sermo erat, quod scl. agatur de communicatione novi alicuius posse, et recurrere posset quaestio, quidnam in actu primo sit speciatim illud, quo hoc novum posse habetur.

Ex fontibus theologicis haec sententia probari non potest. Dicitur quidem Deus gratia homines vocare, trahere, excitare, pulsare et similia; sed vocatio, tractio etc. non sunt ab eo qui vocatur, trahitur etc.; ergo sunt aliquid actum vitalem antecedens. Respondendum tamen est Patres dicere Deum vocare per cognitionem, docendo; ergo per ipsos actus indeliberatos et non per aliquid illos antecedens; ad tales autem actus facillime applicatur metaphorica locutio de vocatione etc. His enim actibus Deus nos vocat, trahit ad ponendos actus deliberatos salutares. Si dicitur gratia est in nobis sine nobis; ergo est aliquid actum facultatis antecedens, respondetur: est in nobis sine nobis libere eligentibus, conc., sine nobis vitaliter operatibus, nego. Et si tandem dicitur, actus nostros, cum sint effectus gratiae, non posse esse ipsam gratiam, respondetur: actus salutares deliberati sunt effectus gratiae, scl. actuum indeliberatorum; actus vero indeliberati dicuntur gratia, quia ex speciali bonitate Dei et modo omnino indebito a Deo causantur. Ergo probatio huius sententiae ex fontibus non habetur; sed neque hoc ab omnibus defensoribus affirmatur; censent saltem, senten-

tiam suam unicam esse qua ea, quae in fontibus habentur, explicari possint.

Si autem sententia ita intelligitur, ut solum illud ens creatum actum vitalem antecedens sit proprie gratia et ipsi actus indeliberati a ratione gratiae excludantur, non iam videtur illis sufficere, quae fontes praebent, uti ex textibus supra allatis satis patet. Neque in tali suppositione explicaretur, quomodo gratia actualis elevans morales quoque vires conferat, nisi quis eam velit facere suppositionem, gratiam elevantem et sanantem semper esse auxilia realiter distincta, et gratiam sanantem numquam esse elevantem, quae suppositio in forma tam universali vix multos inveniet defensores. Si autem haec sententia simul cum illo ente fluente ipsos quoque actus indeliberatos pro gratia actuali habet, ex parte fontium revelationis vix quidquam contra eam dici potest, nisi quod aliquid supra ea, quae in fontibus inveniuntur statuat.

Alia est sententia quae a Molina, Suárez et multis molinistis defenditur. Ex eo procedit, quod in fontibus gratia actualis semper apparet ut actus intellectus et voluntatis, ex altera parte autem illa interna elevatio, quam prior sententia statuit, vel impossibilis sit, vel saltem res valde difficilis et propterea non admittenda nisi absolute sit necessaria; censent autem talem necessitatem non adesse, cum res explicari possit sine illo ente fluente.

Deus enim tamquam supremus Dominus creaturae omnipotentia sua in creaturis et per illas efficere potest ea omnia, quae non dicunt absolutam repugnantiam. Huic potentiae divinae in creaturis respondet potentia, quae dicitur obedientialis[46]. Sic Deus potest creaturam intellectualem elevare in ordinem stricte supernaturalem eique per donum creatum, tamquam causam formalem, communicare consortium naturae divinae (gratia sanctificans), et potentias, quibus possit elicere actus entitative supernaturales, qui huic ordini supernaturali correspondent (virtutes infusae). In his donis recipiendis creatura se habet passive et sic potentia obedientialis est passiva. Postquam vero dona illa recepit, creatura active operando actus entitative supernaturales ponere potest, et sic potentia

---

46 Supra pag. 180.

obedientialis recte dicitur activa. Hanc omnes concedere debent, qui tenent, facultatem elevatam non solum remote et radicaliter, sed proxime et immediate elicere actum supernaturalem[47]. Sed secundum Molina, Suárez, potentia obedientialis activa sensu magis stricto adhuc admittenda est, scl. ita, ut facultas creata, nondum intrinsecus elevata, sed interne omnino immutata, ergo hoc sensu operando viribus naturalibus, cum concursu divino indebito, supernaturali, simultaneo elicere possit actus entitative supernaturales. Quod enim Deus mediante ente creato in creatura efficere potest, omnipotenti sua virtute etiam immediate, sine huiusmodi ente creato potest, nisi ex natura effectus adsit repugnantia; ea e. g. haberetur in producendo actu cognitionis creato sine cooperatione facultatis cognoscitivae; in praesenti autem quaestione talis repugnantia non adest.

Origo actus indeliberati supernaturalis, cogitationis bonae, inclinationis voluntatis, secundum hanc sententiam ita concipienda est: Deus omnipotenti sua virtute facultati creatae intrinsecus non mutatae assistens, cum creatura in ipso actu producendo supernaturaliter ita cooperatur, ut actus vitalis oriatur, qui sit entitative supernaturalis; hic concursus divinus nullo modo est praevius, sed absolute simultaneus, ita ut in signo antecedente ad ipsum actum nihil creatum entitative supernaturale in creatura agente inveniatur, sed primum ens creatum supernaturale exsistens in facultate est ipse actus indeliberatus. Oritur ergo actus qua supernaturalis non per elevationem internam in facultate receptam, sed per elevationem, quae dicitur externa; creatura in hoc actu producendo operatur secundum potentiam oboedientialem stricte activam. Actus in quantum procedit a creatura est vitalis, in quantum Deus modo illo speciali concurrit, est supernaturalis.

Pesch, qui hanc sententiam defendit, ita eam exponit: « Itaque Deus, cum intellectu et voluntate creata intime coniunctus et constituens unum adaequatum principium actus, concurrit cum facultate creata ultra eius naturalem potentiam, et sic habetur facultas vere et realiter elevata, licet secundum interna constitutiva pror-

---

[47] Cf. supra pag. 309.

sus non sit mutata neque ullam qualitatem novam acquisiverit. Nam quidquid efficienter potest qualitas creata cum facultate coniuncta, hoc potest omnipotentia divina se ipsam immediate cum facultate coniungens. Unde intelligitur, cur haec elevatio dicatur externa... Ergo si quaeritur: Estne haec coniunctio omnipotentiae divinae cum facultate hominis elevatio facultatis in actu primo? respondetur: Est vera et realis elevatio facultatis in actu primo, non tamen interna, sed externa. Non est interna, quia facultas intrinsecus non mutatur. Est tamen vera et realis elevatio externa facultatis, quia facultas, cui tali modo coniuncta est omnipotentia divina, vere et realiter aliquid potest, ad quod ex se sola et cum solo concursu naturali prorsus potens non est. Haec passiva elevatio facultatis creatae in actu primo est eius potentia oboedientialis; nam potentia oboedientialis non est absolutum quid in creatura, sed includit respectum ad Deum volentem uti creatura ut instrumento ad producendum effectum ultra potentiam naturalem creaturae. Itaque elevatio facultatis in actu primo est ipsa haec facultas respiciens Deum paratum ad concurrendum supernaturaliter...

Ergo unica causa elevationis seu potentiae ponendi actus supernaturales est Deus; sed actus supernaturales ponuntur non a solo Deo neque a solo homine sed ab utroque. Sine activitate hominis actus non esset vitalis, sine speciali motione divina actus non esset supernaturalis... Homo est causa subordinata causalitati divinae. Nihilominus ratione vitalitatis est causa principalis, licet sub Deo, ratione vero supernaturalitatis non est nisi causa instrumentalis... Sed quia totus actus est et vitalis et supernaturalis, totus est et ab homine et a Deo supernaturaliter concurrente... Sunt tamen et Deus et homo causa partialis partialitate causae, cum neque Deus neque homo seorsum actum producere possint. Recte quoque Deus dicitur influere non in solum actum secundum sed in ipsam quoque causam creatam, quia eam sibi subiectam tenens ut instrumentum movet ad actum supernaturalem »[48].

Sicut difficultas prioris sententiae est in explicatione naturae istius entis creati fluentis, ita difficultas huius sententiae est in ele-

---

[48] Praelectiones dogmaticae 5, 61 s.

vatione externa facultatis. Videtur enim in actu a facultate elicito aliquid inveniri quod non est ab ipsa facultate, et non apparet, quomodo hoc possibile sit in ente aliquo omnino physice simplici; videtur in effectu esse compositio ex ente naturali vitali, quod a facultate est, et perfectione entitative supernaturáli, quae videtur a solo Deo esse, cum facultas creata non videatur posse efficienter attingere ipsam perfectionem supernaturalem, quia nihil supernaturale in ipsa invenitur.

Sed defensores huius sententiae negarent suppositum, scl. facultatem creatam non esse realiter elevatam; nam secundum ipsos est vere et realiter elevata, non quidem per internam sui mutationem, proinde non intrinsecus, sed tamen externe elevata; et totus actus secundum ipsos est a facultate externe elevata, et totus actus est a Deo.

Negari nequit rem esse difficilem; sed concedendum quoque est ostendi non posse repugnantiam in hac sententia; id quod iam generatim in re supernaturali difficile est. In actu maxime supernaturali, visione scl. Dei immediata, in causa creata adaequata nondum est ratio sufficiens actus secundi visionis, ut ostensum est in tractatu De Deo uno, et tamen ille actus est possibilis.

Actus ipse indeliberatus supernaturalis in hac sententia est ipsa gratia actualis, id est principium actus deliberati supernaturalis, actus salutaris. In explicando autem influxu actus indeliberati in originem actus deliberati duplex iterum sententia habetur:

Molina et qui eum sequuntur censent, actum indeliberatum non solum moraliter, sed etiam physice in originem actus deliberati influere. Eo enim, quod actus supernaturalis indeliberatus in facultate exsistit, ipsa intrinsecus elevata est et cum concursu divino facultati intrinsecus elevatae correspondente actum supernaturalem deliberatum, actum salutarem, ponere potest. Principium ergo actus salutaris est voluntas actu supernaturali indeliberato elevata, id est voluntas gratia actuali elevata, nam actus indeliberatus est ipsa gratia actualis. Ipse ergo actus indeliberatus supernaturalis voluntati vires physicas confert, voluntatem confortat, ut possit ponere actum salutarem. Hic modus rem concipiendi valde congruit modo loquendi Patrum et conciliorum, secundum quem praecise per actus,

quos Deus in nobis sine nobis operatur, id est per actus indeliberatos, homo accipit vigorem ad ponendos actus salutares. Ita res concipitur, si actus deliberatus est actus distinctus ab actu indeliberato. Si autem actus deliberatus nihil aliud est, quam actus indeliberatus, qui accedente advertentia rationis fit deliberatus, novum auxilium divinum non requiritur.

Suárez vero, qui influxum physicum actus in actum non admittit, ad actum deliberatum salutarem iterum postulat elevationem externam sicuti ad actum indeliberatum. Praeferenda in hac re videtur sententia Molinae.

Ita sententiis tum de elevatione interna tum de elevatione externa expositis, quilibet videat, quae sibi magis probetur. In utraque sententia magnae sunt difficultates, utrique concedenda est sua probabilitas. Sententia elevationis externae nihil addit ad ea, quae in fontibus inveniuntur, et optime servat actus indeliberatos esse gratiam actualem; in sententia elevationis internae facilius concipitur, quomodo actus indeliberatus supernaturalis oriatur. « Ceterum haec quaestio non est tanti momenti, quanti ex multorum theologorum loquendi modo videri possit, neque constituit radicalem differentiam inter opinionem thomistarum et opinionem theologorum Societatis Iesu » [49]. Haec enim controversia non est de praemotione physica, sed de praedeterminatione physica.

De gratia actuali in homine habitibus supernaturalibus instructo

Postquam vidimus quid sit gratia actualis, supernaturales scilicet actus indeliberati et deliberati, et quomodo hi actus in homine oriantur, qui non habet virtutes infusas, breviter adhuc dicendum est de gratia actuali in homine iusto, vel etiam peccatore qui adhuc habet virtutem infusam fidei et spei quoad actus ad has virtutes pertinentes. Cum fontes, ex quibus probavimus gratias actuales esse illos actus supernaturales indeliberatos et deliberatos, omnino universales sint, patet actualem gratiam etiam pro homine habiti-

[49] Pesch, nr. 52.

bus supernaturalibus instructo esse eosdem actus. In his autem hominibus ad hoc, ut tales actus supernaturales oriantur, non requiritur elevatio antea descripta interna (per ens fluens) vel externa facultatis, cum per habitus supernaturales iam adsit potentia ad actus entitative supernaturales. In illis ergo gratia actualis non requiritur ex ea praecise ratione, ut potentia ad actum supernaturalem adsit.

Disputatur inter theologos utrum in homine iusto gratia actualis, quatenus est elevans, omnino necessaria sit. Alii [50], Soto, Molina, s. Bellarmino, Billot, negant; alii, Peronne, Mazzella, Pesch, Hugon, Beraza affirmant; aliquibus videtur sententia affirmans dogma fidei, aliis sententia communior vel probabilior. Iure fortasse quaeri potest, utrum omnes quaestionem eodem sensu intelligant [51].

Quaestio ergo est, utrum Deus in homine iusto actus supernaturales, imprimis indeliberatos, causet, qui sint gratia, ergo principium actuum salutarium, et quidem causet non solum proponendo obiectum (gratia externa), sed intrinsecus operando actus in ipsa facultate vitali.

Et quaestio sic proposita omnino videtur affirmanda. Plurimi enim textus in thesi allati (Deus operatur in nobis sine nobis, Deus illuminat, inspirat etc.) sunt universales et valent non solum de infidelibus, sed etiam de iustis; in his autem praecise invenitur gratia actualis, principium actus salutaris. Essetque res satis mira, si homo vitaliter cum Christo sicut palmes cum vite coniunctus ab eo acciperet solum principium vitale et potentias ad operandum, non autem vitis sucum influeret in palmites ad fructus ferendos. Praeterea Deus in anima iusti inhabitat et quidem secundum doctrinam Patrum praecise ita, ut occulte in iis agat, ut impleant voluntatem Patris, ut magis renoventur, sanctificentur et proficiant.

Alia est quaestio utrum actus supernaturales indeliberati in

---

[50] Vide Lange, nr. 531.

[51] Non agitur de necessitate gratiae actualis inquantum est sanans; sic eam necessariam esse etiam pro iustis thesi 12 probatum est; notandum tamen est hanc necessitatem non exsistere pro omni actu virtutis; sunt enim etiam actus virtutum faciles, ad quos auxilium sanans non est necessarium.

iustis a Deo causati dicendi sint donum Dei speciale. Haec operatio Dei in anima iusti certo est correspondens statui supernaturali ipsius hominis, et eatenus illi actus sunt huic statui connaturales; inde tamen non sequitur, ut sint aliquid naturale. Si quis autem donum speciale illud solum vocat, quod dona connaturalia statui excedit, dicere debet talem rationem doni specialis in his actibus non inveniri; sed iterum inde non sequitur, ut in iis non inveniatur ratio gratiae actualis supernaturalis.

Posset adhuc moveri quaestio cur operatio Dei in causandis illis actibus indeliberatis sit necessaria, utrum ad excitandum habitum vel ob aliam rationem. A solutione huius quaestionis ipsum factum non dependet; hoc manet etiam si nos non possimus indicare rationem, cur Deus rem ita voluerit.

De divisione gratiae actualis.

De divisione in gratiam elevantem et sanantem saepe iam sermo erat; nunc autem agitur de divisione, quae cum iis cohaeret, quae in hac parte de natura gratiae actualis dicta sunt.

Gratia excitans (vocans) et adiuvans: Deus in intellectu humano supernaturalem cognitionem, in voluntate supernaturalem inclinationem in aliquod bonum operatur: actus indeliberati, gratia actualis [52]. Sic homo a Deo ad actum salutarem ponendum excitatur, vocatur. Supponamus hominem ita excitatum de facto procedere ad actum salutarem. Principium creatum huius actus est facultas gratia actuali elevata [53], quae operatur, ut patet, Deo concurrente secundum naturam principii agentis [54]. Ita gratia actualis primo hominem ad bonum opus excitavit, et praeterea de facto prin-

---

[52] Supernaturalitas illorum actuum explicatur ut supra dictum est aut ex habitu, aut si ille non adest, vel per elevationem internam (ens fluens) vel per elevationem externam.

[53] Consideramus casum in quo homo nondum habet virtutes infusas; applicatio ad hominem habitibus instructum, est facilis.

[54] Hic autem concursus divinus non est gratia actualis.

cipium erat actus salutaris; hinc iure dicitur eam in ponendo actu salutari hominem adiuvisse [55]. Inquantum excitat, gratia actualis actum salutarem antecedit eumque non includit, immo potest sine illo esse; inquantum autem actus salutaris ex ea de facto procedit, ipsum quidem actum salutarem tamquam principium eius antecedit, sed positionem eius connotat. Excitans potest esse sine consensu voluntatis; adiuvans eum includit.

Haec divisio gratiae adhibetur in concilio tridentino, cap. 5: Exordium iustificationis sumendum est a Dei « vocatione... ut... per eius excitantem atque adiuvantem gratiam... disponantur » [56]. Similiter cap. 6: « Disponuntur autem ad ipsam iustitiam dum excitati divina gratia atque adiuti... » [57]. Conc. vaticanum, sess. 3 cap. 3: « Benignissimus Dominus et errantes gratia sua excitat atque adiuvat » [58]. S. Augustinus: « Quod vero ad Deum nos convertimus, nisi ipso excitante atque adiuvante non possumus » [59]. S. Bernardus: Liberi arbitrii nostri « conatus ad bonum et cassi sunt, si a gratia non adiuventur, et nulli, si non excitentur » [60]. Eadem indicantur in s. Scriptura: Apoc 3, 20; cf. Eph 5, 14; Rom 8, 26.

Gratia operans et cooperans. Haec divisio facile intelligi potest et a multis intelligitur realiter identica cum praecedente: gratia operans, quae in nobis sine nobis operatur, quae liberum consensum antecedit, quae hominem ad bonum opus excitat; cooperans, quae cooperatur in producendo actu salutari, quae ergo est adiuvans.

S. AUGUSTINUS: « Ipsam caritatem apostolus Petrus nondum habuit, quando timore Dominum ter negavit. Timor enim non est in caritate, sicut ait Ioannes evangelista in Epistula sua; sed perfecta caritas foras mittit timorem [61]. Et tamen quamvis parva et im-

---

[55] Cum actus quoque deliberatus possit esse gratia actualis, eodem modo de ipso loquendum est relate ad actum salutarem, cuius ipse est principium.

[56] Denz 797.

[57] Denz 798; cf. can. 4, Denz 814.

[58] Denz 1794.

[59] De peccatorum meritis et remissione 2, 18, 32; ML 44, 169.

[60] De gratia et libero arbitrio 13, 42; ML 182, 1024.

[61] 1 Io 4, 18.

perfecta, non deerat, quando dicebat Domino: Animam meam pro te ponam [61 bis]: putabat enim se posse, quod se velle sentiebat. Et quis istam etsi parvam dare coeperat caritatem, nisi ille qui praeparat voluntatem, et cooperando perficit, quod operando incipit? Quoniam ipse ut velimus operatur incipiens, qui volentibus cooperatur perficiens. Propter quod ait Apostolus: Certus sum quoniam qui operatur in vobis opus bonum, perficiet usque in diem Christi Iesu [62]. Ut ergo velimus, sine nobis operatur; cum autem volumus, et sic volumus ut faciamus, nobiscum cooperatur: tamen sine illo vel operante ut velimus, vel cooperante cum volumus, ad bona pietatis opera nihil valemus. De operante illo ut velimus, dictum est: Deus est enim qui operatur in vobis et velle. De cooperante autem cum iam volumus et volendo facimus: Scimus, inquit, quoniam diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum » [63]. S. Augustinus videtur ergo intelligere gratiam operantem eam, quae voluntatem nostram antecedit, cooperantem eam, quae cum nostra voluntate cooperatur; et quae praeterea iuvat, ut opus volitum etiam exsecutioni detur.

S. Thomas hanc divisionem applicat et ad gratiam actualem et ad habitualem: « Gratia dupliciter potest intelligi; uno modo divinum auxilium, quod nos movet ad bene volendum et agendum; alio modo habituale donum nobis divinitus inditum. Utroque autem modo gratia dicta convenienter dividitur per operantem et cooperantem.

Operatio enim alicuius effectus non attribuitur mobili sed moventi; in illo ergo effectu, in quo mens nostra est mota et non movens, solus autem Deus movens, operatio Deo attribuitur; et secundum hoc dicitur gratia operans. In illo autem effectu, in quo mens nostra et movet et movetur, operatio non solum attribuitur Deo, sed etiam animae, et secundum hoc dicitur gratia cooperans.

Est autem in nobis duplex actus: primus quidem interior voluntatis, et quantum ad istum actum voluntas se habet ut mota, Deus autem ut movens, et praesertim cum voluntas incipit bonum velle,

---

61 bis Io 13, 37.
62 Phil 1, 6.
63 Rom 8, 28. — De gratia et libero arbitrio 17, 33; ML 44, 901.

quae prius malum volebat; et ideo, secundum quod Deus movet humanam mentem ad hunc actum, dicitur gratia operans. Alius autem actus est exterior, qui cum a voluntate imperetur, ut supra habitum est, consequens est, quod ad hunc actum operatio attribuatur voluntati; et quia etiam ad hunc actum Deus nos adiuvat, et interius confirmando voluntatem, ut ad actum perveniat, et exterius facultatem operandi praebendo, respectu huiusmodi actus dicitur gratia cooperans; unde post praemissa verba subdit Aug.: Ut autem velimus, operatur; cum autem volumus, ut perficiamus, nobis cooperatur. Sic igitur si gratia accipiatur pro gratuita Dei motione, qua movet nos ad bonum meritorium, convenienter dividitur gratia per operantem et cooperantem.

Si vero accipiatur gratia pro habituali dono, sic est duplex gratiae effectus, sicut et cuiuslibet alterius formae, quorum primus est esse, secundus est operatio; sicut caloris operatio est facere calidum et exterior calefactio. Sic igitur habitualis gratia, in quantum animam sanat, vel iustificat, vel gratam Deo facit, dicitur gratia operans; inquantum vero est principium operis meritorii, quod ex libero arbitrio procedit, dicitur cooperans » [64].

S. BELLARMINO: « Dicendum igitur est, gratiam operantem illam esse, quae efficit in homine primum actum deliberatae voluntatis, qualis est conversio, sive ab infidelitate ad fidem, sive a peccatis caeteris ad poenitentiam; gratiam vero cooperantem esse illam, quae efficit consequentes actus voluntatis, quales sunt velle orare, velle quaerere sacerdotum, velle bona opera facere, et alii similes. Quos continuo sequuntur actus externi, ita ut gratia operans nihil sit aliud, nisi auxilium speciale efficax respectu primi actus voluntatis, gratia vero cooperans sit auxilium speciale respectu actuum sequentium » [65].

Alii iterum habent alias explicationes, ita ut in singulis auctoribus bene attendendum sit, quomodo hanc divisionem intelligant.

---

[64] S. Th. 1, 2 q. 111 a. 2. — De sensu huius divisionis apud s. Thomam magna est disputatio; cf. Lange, nr. 598 s.

[65] De gratia et libero arbitrio lib. 1 cap. 14.

Gratia praeveniens et subsequens. Concilium tridentinum declarat « ipsius iustificationis exordium in adultis a Dei per Christum Iesum praeveniente gratia sumendum esse, hoc est ab eius vocatione »[66], ubi gratia praeveniens eadem apparet, quae vocans.

Pro diverso termino, ante quem gratia dicitur praeveniens, haec divisio diverso modo intelligi potest.

S. AUGUSTINUS: « Operamur et nos, sed illo operante cooperamur, quia misericordia eius praevenit nos[67]. Praevenit autem ut sanemur, quia et subsequetur, ut et iam sanati vegetemur; praevenit ut vocemur, subsequetur ut glorificemur; praevenit ut pie vivamus, subsequetur ut cum illo semper vivamus, quia sine illo nihil possumus facere »[68]. « Si nullus dicere christianus audebit: Non miserentis est Dei, sed volentis est hominis, ne apostolo apertissime contradicat, restat ut propterea recte dictum intellegatur: Non volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei[69], ut totum Deo detur, qui hominis voluntatem bonam et praeparat adiuvandam et adiuvat praeparatam. Praecedit enim bona voluntas hominis multa Dei dona, sed non omnia; quae autem non praecedit ipsa, in iis est et ipsa. Nam utrumque legitur in sanctis eloquiis: et Misericordia eius praeveniet me[70] et Misericordia eius subsequetur me[71]. Nolentem praevenit, ut velit; volentem subsequitur, ne frustra velit »[72].

S. THOMAS: « Sicut gratia dividitur in operantem et cooperantem secundum diversos effectus, ita etiam in praevenientem et subsequentem, qualitercumque gratia accipiatur. Sunt autem quinque effectus gratiae in nobis: quorum primus est, ut anima sanetur; secundus, ut bonum velit; tertius est, ut bonum, quod vult, efficaciter operetur; quartus est, ut in bono perseveret; quintus est, ut ad gloriam perveniat. Et ideo gratia secundum quod causat in

---

66 Denz 797.
67 Ps 58, 11.
68 Io 15, 5. — De natura et gratia 31, 35; ML 44, 264; R 1793.
69 Rom 9, 16.
70 Ps 58, 11.
71 Ps 22, 6.
72 Enchiridion 32; ML 40, 248; R 1914.

quae prius malum volebat; et ideo, secundum quod Deus movet humanam mentem ad hunc actum, dicitur gratia operans. Alius autem actus est exterior, qui cum a voluntate imperetur, ut supra habitum est, consequens est, quod ad hunc actum operatio attribuatur voluntati; et quia etiam ad hunc actum Deus nos adiuvat, et interius confirmando voluntatem, ut ad actum perveniat, et exterius facultatem operandi praebendo, respectu huiusmodi actus dicitur gratia cooperans; unde post praemissa verba subdit Aug.: Ut autem velimus, operatur; cum autem volumus, ut perficiamus, nobis cooperatur. Sic igitur si gratia accipiatur pro gratuita Dei motione, qua movet nos ad bonum meritorium, convenienter dividitur gratia per operantem et cooperantem.

Si vero accipiatur gratia pro habituali dono, sic est duplex gratiae effectus, sicut et cuiuslibet alterius formae, quorum primus est esse, secundus est operatio; sicut caloris operatio est facere calidum et exterior calefactio. Sic igitur habitualis gratia, in quantum animam sanat, vel iustificat, vel gratam Deo facit, dicitur gratia operans; inquantum vero est principium operis meritorii, quod ex libero arbitrio procedit, dicitur cooperans »[64].

S. Bellarmino: « Dicendum igitur est, gratiam operantem illam esse, quae efficit in homine primum actum deliberatae voluntatis, qualis est conversio, sive ab infidelitate ad fidem, sive a peccatis caeteris ad poenitentiam; gratiam vero cooperantem esse illam, quae efficit consequentes actus voluntatis, quales sunt velle orare, velle quaerere sacerdotum, velle bona opera facere, et alii similes. Quos continuo sequuntur actus externi, ita ut gratia operans nihil sit aliud, nisi auxilium speciale efficax respectu primi actus voluntatis, gratia vero cooperans sit auxilium speciale respectu actuum sequentium »[65].

Alii iterum habent alias explicationes, ita ut in singulis auctoribus bene attendendum sit, quomodo hanc divisionem intelligant.

---

[64] S. Th. 1, 2 q. 111 a. 2. — De sensu huius divisionis apud s. Thomam magna est disputatio; cf. Lange, nr. 598 s.

[65] De gratia et libero arbitrio lib. 1 cap. 14.

Gratia praeveniens et subsequens. Concilium tridentinum declarat « ipsius iustificationis exordium in adultis a Dei per Christum Iesum praeveniente gratia sumendum esse, hoc est ab eius vocatione » [66], ubi gratia praeveniens eadem apparet, quae vocans.

Pro diverso termino, ante quem gratia dicitur praeveniens, haec divisio diverso modo intelligi potest.

S. AUGUSTINUS: « Operamur et nos, sed illo operante cooperamur, quia misericordia eius praevenit nos [67]. Praevenit autem ut sanemur, quia et subsequetur, ut et iam sanati vegetemur; praevenit ut vocemur, subsequetur ut glorificemur; praevenit ut pie vivamus, subsequetur ut cum illo semper vivamus, quia sine illo nihil possumus facere » [68]. « Si nullus dicere christianus audebit: Non miserentis est Dei, sed volentis est hominis, ne apostolo apertissime contradicat, restat ut propterea recte dictum intellegatur: Non volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei [69], ut totum Deo detur, qui hominis voluntatem bonam et praeparat adiuvandam et adiuvat praeparatam. Praecedit enim bona voluntas hominis multa Dei dona, sed non omnia; quae autem non praecedit ipsa, in iis est et ipsa. Nam utrumque legitur in sanctis eloquiis: et Misericordia eius praeveniet me [70] et Misericordia eius subsequetur me [71]. Nolentem praevenit, ut velit; volentem subsequitur, ne frustra velit » [72].

S. THOMAS: « Sicut gratia dividitur in operantem et cooperantem secundum diversos effectus, ita etiam in praevenientem et subsequentem, qualitercumque gratia accipiatur. Sunt autem quinque effectus gratiae in nobis: quorum primus est, ut anima sanetur; secundus, ut bonum velit; tertius est, ut bonum, quod vult, efficaciter operetur; quartus est, ut in bono perseveret; quintus est, ut ad gloriam perveniat. Et ideo gratia secundum quod causat in

---

66 Denz 797.
67 Ps 58, 11.
68 Io 15, 5. — De natura et gratia 31, 35; ML 44, 264; R 1793.
69 Rom 9, 16.
70 Ps 58, 11.
71 Ps 22, 6.
72 Enchiridion 32; ML 40, 248; R 1914.

nobis primum effectum, vocatur praeveniens respectu secundi effectus; et prout causat in nobis secundum, vocatur subsequens respectu primi effectus. Et sicut unus effectus est posterior uno effectu et prior alio, ita gratia potest dici praeveniens et subsequens secundum eundem effectum respectu diversorum. Et hoc est quod August. dicit in lib. de natura et gratia: Praevenit, ut sanemur; subsequitur, ut sanati vegetemur; praevenit, ut vocemur; subsequitur ut glorificemur » [73].

Facile et apte omnes tres divisiones reduci possunt ad primam, ita ut eadem intelligatur ex una parte gratia excitans (vocans), operans, praeveniens, et ex altera parte gratia adiuvans, cooperans, subsequens.

Disputatur inter theologos, utrum gratia excitans sit realiter distincta a gratia adiuvante. Responsio magna ex parte dependet a sententia quam quis defendit de natura gratiae actualis. Qui eam habent pro ente fluente creato, sive cum sive sine actibus indeliberatis, plerumque realem distinctionem affirmant, quatenus ad actum deliberatum ponendum novum ens creatum fluens exigunt [74]. Qui cum Molina defendunt elevationem externam et simul tenent actum indeliberatum esse principium physicum actus deliberati, negant esse gratias realiter diversas. Qui cum Suárez externam elevationem defendunt, sed negant actum indeliberatum esse principium physicum actus deliberati, postulant pro actu deliberato ponendo alteram elevationem facultatis externam et proinde dicere possunt gratiam adiuvantem aliquid addere ad excitantem.

Fundamentum in fontibus realis distinctio non habet; potius dici posset fontes magis favere identitati [75].

---

[73] S. Th. 1, 2 q. 111 a. 3.

[74] Non omnes; e. g. Billot omnino realem identitatem affirmat: De gratia Christi, thes. 10.

[75] Beraza nr. 120-139.

PARS QUINTA

DE EFFICACIA GRATIAE

Postquam de natura gratiae actualis dictum est, iam de eius efficacia agendum. Gratia actualis datur ad ponendos actus salutares; actus salutares sunt actus liberi. In actu salutari cooperantur gratia et liberum arbitrium, vel melius: liberum arbitrium gratia excitatum, praeventum, elevatum operatur gratia adiutum actus salutares.

Quaeritur, utrum res ita se habeat, ut quandocumque homo gratia ad actum salutarem ponendum excitetur, homo libera sua voluntate gratiae consentiat et actus salutaris de facto oriatur, an etiam possibile sit, hominem gratia quidem excitari, non autem voluntate sua consentire, ita ut gratia quidem detur, actus salutaris autem non sequatur. Et si hoc possibile est, deeratne aliquid in ipsa gratia, unde ipsa non sufficeret ad hoc, ut vere homo posset ponere actum salutarem, an erat gratia quidem sufficiens, actus autem salutaris propterea non sequebatur, quia homo, quamvis potuit, actum illum ponere noluit.

Gratia quae de facto cum salutari actu coniuncta est, vocatur gratia e f f i c a x. Gratia quae sufficit, ut actus salutaris cum illa ponatur, vocatur gratia v e r e s u f f i c i e n s; ut talis sit, debet completam conferre potentiam ad actum salutarem ponendum. Haec ulterius distingui potest: si e. g. homo impugnatur aliqua tentatione et gratiam habet ad orandum Deum, ut dare velit auxilium ad superandam ipsam tentationem, gratia haec p r o x i m e sufficiens est ad hanc orationem, non autem proxime sufficiens ad su-

perandam ipsam tentationem; attamen ad hoc quoque recte dicitur remote sufficiens, quia sufficit ad rogandam illam gratiam, quae proxime sufficiens est ad superandam tentationem. Sic ergo omnis gratia efficax est gratia vere sufficiens. Gratia autem, quae completam confert potentiam ad actum salutarem, ergo vere sufficiens est, quae tamen de facto non coniungitur cum actu salutari, vocatur quidem vere, sed pure vel mere sufficiens. Si talis gratia exsistit, non omnis gratia vere sufficiens est etiam efficax. Gratia tandem, quae non dat completam potentiam ad actum salutarem, esset gratia insufficiens.

Ergo: gratia efficax est gratia vere sufficiens connotans ipsam positionem actus salutaris; gratia vere sufficiens praescindit a positione actus salutaris; gratia vere et mere sufficiens connotat non positionem actus salutaris.

Ergo divisio gratiae in sufficientem et efficacem non coincidit cum divisione in gratiam excitantem et adiuvantem. Gratia efficax est tum excitans tum adiuvans; gratia vere sufficiens est excitans et praescindit ab eo, utrum sit adiuvans; gratia vere et mere sufficiens est excitans et connotat, quod non sit adiuvans.

Quando simpliciter opponuntur gratia efficax et sufficiens, generatim haec intelligitur vere et mere sufficiens.

In hac parte de efficacia gratiae actualis imprimis inquirendum est, utrum omnis gratia, quae in praesenti ordine datur, sit efficax, an detur etiam gratia vere et mere sufficiens, et si ita est, in quo consistat differentia inter utramque, vel quomodo efficacia gratiae efficacis sit explicanda.

Quaestio, utrum sit gratia mere sufficiens et gratia efficax, sensum non habet, nisi homo in praesenti ordine sit vere moraliter liber. Hanc libertatem negaverunt novatores saeculi 16. Luther eam negavit non solum propter peccatum originale, quo homo intrinsecus corruptus sit, sed etiam universaliter eam negavit propter efficaciam operationis universalis, qua Deus in omnibus operatur [1]. Verbo quidem Deus praedicatus, Deus pius, deplorat mortem pec-

---

[1] Vide supra pag. 29 ss.

catorum, sed « Deus absconditus in maiestate neque deplorat neque tollit mortem, sed operatur vitam, mortem et omnia in omnibus... non vult mortem peccatoris, verbo scilicet, vult autem illam voluntate illa imperscrutabili »[2].

Eius sententia reprobata est a Leone X[3], et concilium tridentinum explicite statuit hominem etiam post peccatum originale et sub motione gratiae esse liberum: cap. 1: Per peccatum liberum arbitrium in hominibus minime exstinctum est, licet viribus sit attenuatum et inclinatum[4]. Cap. 5: In dispositione ad iustificationem adulti gratiae libere assentiuntur et cooperantur[5]. Can. 4: « Si quis dixerit liberum hominis arbitrium a Deo motum et excitatum nihil cooperari assentiendo Deo excitanti atque vocanti, quo ad obtinendum iustificationis gratiam se disponat ac praeparet, neque posse dissentire si velit, sed velut inanime quoddam nihil omnino agere mereque passive se habere: A. S. ». Can. 5: « Si quis liberum hominis arbitrium post Adae peccatum amissum et exstinctum esse dixerit, aut rem esse de solo titulo, immo titulum sine re, figmentum denique a satana invectum in Ecclesiam: A. S. »[6].

I a n s e n i u s docuit Adam ante peccatum habuisse libertatem indifferentiae[7], libero suo arbitrio potuit, si voluit, stare in iustitia; sed ad hoc indigebat gratia, cum liberum arbitrium ad bonum nihil potest sine adiutorio omnipotentis boni. Haec gratia erat actuale quid, ipsi actioni praeveniens. Distinguit Iansensius a d i u t o r u m q u o et a d i u t o r i u m s i n e q u o n o n. Adiutorium quo illud est, quo ipse effectus habetur; adiutorium sine quo non illud, sine quo haberi effectus non potest; e. g. si quis habet pedes, nondum continuo habetur ambulatio, ergo pedes non sunt adiutorium quo ambulationis; sed sine pedibus ambulatio fieri nequit, ergo sunt adiutorium sine quo non ambulationis. Auxilium, quod Adam ante peccatum habuit, erat adiutorium sine quo

---

2 Pag. 34.
3 Denz 776.
4 Denz 793.
5 Denz 797.
6 Denz 814 s.
7 Supra pag. 60.

non ad permanendum in iustitia; usus huius auxilii dependebat a libera Adae voluntate [8]. Ergo auxilium sine quo non Adae ante peccatum collatum erat gratia vere sufficiens, quae voluntate Adae non habuit effectum et sic erat mere sufficiens.

Post peccatum autem liberum arbitrium est captivatum; liberari debet, et quidem per gratiam voluntatis [9]. Sed alia est gratia pro voluntate sana, alia pro voluntate aegrota. Auxilium voluntati sanae concessum tale erat, cuius usus pendebat a libera hominis voluntate (adiutorium sine quo non); nunc autem voluntati aegrotae datur auxilium, quod non subiacet libero hominis arbitrio, sed facit, ut arbitrium velit, dat simul et posse et operari (adiutorium quo); aliis verbis: post peccatum non iam datur gratia vere et mere sufficiens, sed auxilium quod datur est efficax, et si non est efficax non est vere sufficiens.

Hoc auxilium nihil aliud est quam gratia efficax, caelestis quaedam et ineffabilis suavitas, delectatio spiritualis [10], cuius necessitas non oritur ex ipsa natura voluntatis, sed ex peccato, quo homo constitutus est sub imperio libidinis eique consentit et peccat; haec libido superanda est victrice delectatione caelesti. Victrix autem delectatio non repugnat libertati; nam liberum est quod fit cum volumus, quod autem cum delectatione facimus, sine dubio volumus. Id autem quod cum displicentia facimus, non volumus, et propterea coactio libertati repugnat [11].

Gratia praesentis ordinis, cum sit auxilium quo, numquam caret suo effectu; quando est minor, quam opposita cupido terrena, non quidem eam vincit, sed tamen in homine producit tenuem voluntatem, et sic habet totum effectum, ad quem in tali casu datur; si autem est maior quam cupiditas, sequitur actus bonus.

In hac parte primo ea statuemus, in quibus theologi catholici conveniunt, esse scilicet in praesenti ordine gratiam vere et mere

---

[8] Pag. 62.

[9] Pag. 66.

[10] Pag. 69 s.

[11] Quomodo haec delectatio victrix differat a praedeterminatione physica et quomodo secundum Iansenium cum ea conveniat, vide pag. 70 s.

sufficientem, et esse gratiam efficacem, quae in actu primo infallibiliter coniuncta est cum actu salutari; hinc eius collatio est maius beneficium, quam collatio gratiae mere sufficientis. Secundo inquirimus in ulteriorem explicationem efficaciae gratiae efficacis, quae est quaestio inter theologos catholicos controversa.

THESIS 18: ***In statu naturae lapsae datur et gratia vere et mere sufficiens, et gratia efficax, quae in actu primo infallibilem connexionem cum actu salutari habet.***

Haec thesis ut patet duas habet partes 1) de gratia sufficiente, 2) de gratia efficaci.

I. De gratia sufficiente

« In statu naturae lapsae »: ergo etiam post peccatum Adae, consequenter ad redemptionem Christi; hoc speciatim dicendum est, cum Iansenius exsistentiam gratiae sufficientis pro angelis et pro homine ante peccatum explicite affirmet.

« Gratia »: auxilium gratuitum, quod Deus confert ad actus salutares ponendos; gratia actualis.

« Vere et mere sufficiens »: sensu quo supra explicatum est, ergo auxilium, quod plenam potentiam ad actum salutarem confert, quod autem sine effectu salutari manet, non quia in gratia aliquid deesset, sed quia homo ei consentire non vult: si homo vult, potest cum illo auxilio actum salutarem ponere. Intelligitur auxilium remote vel proxime sufficiens.

« Datur »: id est: exsistit; aliis verbis: non omnis gratia in praesenti ordine est efficax; sed ea, quae non est efficax, propterea non est insufficiens.

Adversantur huic parti praeter novatores saeculi 16 imprimis iansenistae.

Haec pars est definita.

Doc. Ecclesiae.

Conc. arausicanum: « Hoc etiam secundum fidem catholicam credimus, quod post acceptam per baptismum gratiam omnes baptizati, Christo auxiliante et cooperante, quae ad salutem animae pertinent, possint et debeant, si fideliter laborare voluerint, adimplere » [12]. Ergo baptizati possunt, si volunt; si ergo non faciunt, non inde est, quod non habuerint auxilium sufficiens, sed quia non voluerunt: adest ergo illis gratia vere sufficiens, quae eorum voluntate manet mere sufficiens.

Conc. tridentinum cap. 5: Adulti disponuntur ad iustificationem gratiae libere assentiendo et cooperando, « ita ut, tangente Deo cor hominis per Spiritus Sancti illuminationem, neque homo ipse nihil omnino agat, inspirationem illam recipiens, quippe qui illam et abicere potest, neque tamen sine gratia Dei movere se ad iustitiam coram illo libera sua voluntate possit » [13]. Ergo sine gratia non potest se homo ad iustitiam movere; cum gratia potest; ergo gratia est vere sufficiens; si cum illa se movet, gratia est efficax; potest tamen homo eam abicere, et sic manet mere sufficiens. Idem ex canone 4 [14].

Cap. 11: Mandata homini iustificato ad observandum non sunt impossibilia, nam Deus adiuvat ut possit, gratia sua non deserit, nisi prius deseratur [15]. Ergo semper illis praesto est gratia, qua possint mandata Dei observare; possunt autem iustitiam peccando amittere (cap. 15); ergo in tali casu gratia erat vere et mere sufficiens.

Innocentius XI damnavit ut haereticos errores Iansenii [16]: 1: « Aliqua Dei praecepta hominibus iustis volentibus et conantibus, secundum praesentes, quas habent vires, sunt impossibilia: deest

---

[12] Denz 200.
[13] Denz 797.
[14] Denz 814.
[15] Denz 804.
[16] Vide supra pag. 72 s.

quoque illis gratia, qua possibilia fiant». Ergo secundum Iansenium ille qui peccat, non habuit gratiam vere sufficientem. — 2): «Interiori gratiae in statu naturae lapsae nunquam resistitur». Ergo gratia, quae est vere sufficiens, etiam est efficax; non datur gratia vere et mere sufficiens[17].

ALEXANDER VIII damnavit errores iansenistarum, inter quos 6: «Gratia sufficiens statui nostro non tam utilis, quam perniciosa est, sic, ut proinde merito possimus petere: A gratia sufficiente libera nos, Domine»[18].

CLEMENS XI damnavit errores Paschasii Quesnel, inter quos err. 9-25 continent doctrinam, gratiam esse operationem omnipotentis Dei, quam nihil potest impedire, cui nulla voluntas potest resistere. Si autem gratia est absolute irresistibilis, necessario habet suum effectum: si gratia est sufficiens, est etiam efficax; mere sufficiens non habetur. — Prop. 10: «Gratia est operatio manus omnipotentis Dei, quam nihil impedire potest aut retardare». — Prop. 13: «Quando Deus vult animam salvam facere et eam tangit interiore gratiae suae manu, nulla voluntas humana ei resistit». — Prop. 16: «Nullae sunt illecebrae, quae non cedant illecebris gratiae; quia nihil resistit omnipotenti». — 19: «Dei gratia nihil aliud est quam eius omnipotens voluntas: haec est idea, quam Deus ipse nobis tradit in omnibus suis Scriptis». — Prop. 21: «Gratia Iesu Christi est gratia fortis, potens, suprema, invincibilis, utpote quae est operatio voluntatis omnipotentis, sequela et imitatio operationis Dei incarnantis et resuscitantis Filium suum»[19].

PIUS VI damn. err. synod. pist. 21: «Propositio, quae asserit, lumen gratiae, quando sit solum, non praestare, nisi ut cognoscamus infelicitatem nostri status et gravitatem nostri mali; gratiam in tali casu producere eundem effectum, quem Lex producebat: ideo necesse esse, ut Deus creet in corde nostro sanctum amorem, et inspiret sanctam delectationem contrariam amori in nobis dominanti; hunc amorem sanctum, hanc sanctam delectationem esse

---

17 Denz 1092 s.
18 Denz 1296.
19 Denz 1359 ss.

proprie gratiam Iesu Christi, inspirationem caritatis, qua cognita sancto amore faciamus; hanc esse illam radicem, e qua germinantur bona opera; hanc esse gratiam Novi Testamenti, quae nos liberat a servitute peccati, constituit filios Dei; quatenus intendat, eam solam esse proprie gratiam Iesu Christi, quae creet in corde sanctum amorem, et quae facit, ut faciamus, sive etiam, qua homo liberatus a servitute peccati constituitur filius Dei; et non sit etiam proprie gratia Christi ea gratia, qua cor hominis tangitur per illuminationem Spiritus Sancti, nec vera detur interior gratia Christi, cui resistitur: — falsa, captiosa, inducens in errorem in secunda propositione Iansenii damnatum ut haereticum, eumque renovans » [20].

S. Scriptura

Is 5, 1 ss.: « Cantabo dilecto meo canticum patruelis mei vineae suae (canticum dilecti de vinea sua). Vinea facta est dilecto meo in cornu filio olei (in colle pingui). Et sepivit eam, et lapides elegit (abstulit) ex ea, et plantavit eam electam (vitem selectam), et aedificavit turrim in medio eius, et torcular exstruxit in ea: et exspectavit ut faceret uvas, et fecit labruscas. Nunc ergo habitatores Ierusalem, et viri Iuda, iudicate inter me et vineam meam. Quid est quod debui ultra facere vineae meae, et non feci ei? an quod (cur) exspectavi ut faceret uvas, et fecit labruscas. Et nunc ostendam vobis quid ego faciam vineae meae: auferam sepem eius, et erit in direptionem; diruam maceriam eius, et erit in conculcationem. Et ponam eam desertam: non putabitur, et non fodietur; et ascendent vepres et spinae; et nubibus mandabo ne pluant super eam imbrem. Vinea enim Domini exercituum domus Israel est: et vir Iuda germen eius delectabile. Et exspectavi ut faceret iudicium, et ecce iniquitas; et iustitiam et ecce clamor ».

Sine dubio Deus omnia fecit, quae requiruntur, ut possent fructus ferre; ad haec autem pertinet gratia interna. Haec erat vere

---

[20] Denz 1521.

sufficiens, nam 1) Dominus dicit: quid est quod debui ultra facere et non feci? ergo ex parte Dei nihil deerat; 2) Deus exspectavit fructum; non autem exspectat ea, quae sunt impossibilia; ergo potuerunt fructum ferre; 3) quia non ferunt fructum, a Deo puniuntur; ergo est eorum culpa; non autem culpa est in iis, quae ne physice quidem sunt possibilia. Erat gratia mere sufficiens; nam vinea non fecit uvas, sed labruscas, domus Israel non fecit iudicium et iustitiam, sed iniquitatem.

Matth 11, 20 ss.: « Tunc coepit exprobrare civitatibus, in quibus factae sunt plurimae virtutes eius, quia non egissent poenitentiam. Vae tibi Corozain, vae tibi Bethsaida: quia si in Tyro et Sidone factae essent virtutes, quae factae sunt in vobis, olim in cilicio et cinere poenitentiam egissent. Verumtamen dico vobis: Tyro et Sidoni remissius erit in die iudicii, quam vobis ». Textus loquitur explicite de virtutibus, quas Christus ibi fecerat (gratia externa); interna autem gratia, sine qua poenitentia est impossibilis, supponitur. Haec autem erat vere sufficiens: quod enim poenitentiam non egerunt, eorum culpa est, pro qua punientur; non autem fuisset culpa, si vires ad poenitentiam necessarias non habuissent. Propria ipsorum culpa haec gratia manet mere sufficiens.

Matth 23, 37: « Ierusalem Ierusalem, quae occidis prophetas, et lapidas eos, qui ad te missi sunt, quoties volui congregare filios tuos, quemadmodum gallina congregat pullos suos sub alas, et noluisti? Ecce relinquetur vobis domus vestra deserta ». Qui ita loquitur, necessaria quoque illis praebuit ad salutem, gratia ergo sufficiens aderat; mala eorum voluntate manet mere sufficiens; propterea punientur.

Io 15, 22: non habent excusationem; Act 7, 51: resistunt Spiritui Sancto.

Ergo teste s. Scriptura datur in praesenti ordine gratia vere sufficiens, quae culpa hominum manet mere sufficiens; homines a Deo vituperantur, quia libere non utuntur gratia.

PATRES

S. IRENAEUS: « Illud autem, quod ait: Quoties volui colligere filios tuos, et noluisti?[21] veterem legem libertatis hominis manifestavit: quia liberum eum Deus fecit ab initio, habentem suam potestatem, sicut et suam animam, ad utendum sententia Dei voluntarie, et non coactum a Deo. Vis enim a Deo non fit, sed bona sententia adest illi semper... Et qui operantur quidem illud, gloriam et honorem percipient, quoniam operati sunt bonum, cum possint non operari illud; hi autem qui illud non operantur, iudicium iustum excipient Dei, quoniam non sunt operati bonum, cum possint operari illud »[22]. — « Si autem non credideris ei et fugeris manus eius, erit causa imperfectionis in te, qui non obedisti, sed non in illo, qui vocavit. Ille enim misit, qui vocarent ad nuptias; qui autem non obedierunt ei, semetipsos privaverunt a regia coena. Non igitur ars deficit Dei; potens est enim de lapidibus suscitare filios Abrahae; sed ille qui non consequitur eam, sibimet suae imperfectionis est causa »[23].

ARNOBIUS: « Sed si generis Christus humani, inquitis, conservator advenit, cur omnino non omnes aequali munificentia liberat? Non aequaliter liberat qui aequaliter omnes vocat? aut ab indulgentia principali quemquam repellit aut despuit, qui sublimibus, infimis, servis, feminis, pueris uniformiter potestatem veniendi ad se facit? Patet igitur omnibus fons vitae neque ab iure potandi quisquam prohibetur aut pellitur. Si tibi fastidium tantum est, ut oblati respuas beneficium muneris, quinimmo si tantum sapientia praevales, ut ea quae offeruntur a Christo ludum atque ineptias nomines, quid invitans exspectatur, cuius solae sunt hae partes, ut sub tui iuris arbitrio fructum suae benignitatis exponat? »[24].

---

21 Matth 23, 37.
22 Adversus haereses 4, 37, 1; MG 7, 1099; R 244.
23 Ibidem 4, 39, 3; MG 7, 1110; R 247.
24 Adversus nationes, 2, 64; ML 5, 910; R 622.

S. IOANNES CHRYSOSTOMUS: « Si illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum[25], quomodo tot homines non illuminati manent? Non enim omnes Christi cultum agnoscunt. Quomodo ergo illuminat omnem hominem? Quantum in ipso est. Si qui vero sponte sua mentis oculos claudentes huius lucis radios percipere nolint, non ex natura lucis evenit quod in tenebris maneant, sed ex nequitia eorum, qui sponte se hoc privant munere »[26]. — « Deus, utpote clemens et beneficus, dilecte, omnia agit et operatur, ut nos virtute splendidi simus; et cum nos velit acceptos et probatos esse, non vi aut necessitate, sed suasione et beneficiis suis volentes omnes allicit et ad se trahit. Propterea venientem illum alii receperunt, alii non. Nullum enim vult invitum vel necessitate coactum servum habere, sed omnes libenter et ex voluntatis proposito venire, ac de tali servitute gratiam ipsi habere »[27].

S. AUGUSTINUS: Ex ipso Iansenius dicit se hausisse suam doctrinam, se nihil aliud tradere quam ipsam genuinam doctrinam s. Augustini; maxime in nostra quaestione insistit in distinctione adiutorii sine quo non Adae collati et adiutorii quo, quod hominibus post lapsum confertur. Illa terminologia revera invenitur apud s. Augustinum. Primo eam indicaverat aliquomodo anno 417 in opere De gestis Pelagii cap. 1 n. 3[28]; deinde explicite eam proponit anno 427 in opere De correptione et gratia[29]. Quaenam accurate doctrina s. Augustini fuerit, et quomodo speciatim intelligendum sit adiutorium quo et sine quo non, inter auctores etiam catholicos controvertitur[30].

---

25 Io 1, 9.

26 In Ioannem homil. 8, 1; MG 59, 65; R 1158.

27 In Ioannem hom. 10, 1; MG 59, 73; R 1159.

28 ML 44, 321; R 1850.

29 Cf. R 1954 ss.

30 De variis explicationibus illorum adiutoriorum refert Fr. A. Zacharia, Thesaurus theologicus V, opusc. VII, Venetiis 1762, cuius conclusionem ita reddit Pesch (nr. 103): « Auxilium sine quo non Adae concessum non fuit gratia praeveniens sed originalis iustitia cum ceteris donis, quae illam consequebantur; auxilium quo non est specialis aliqua gratia neque solae gratiae actuales sed integer effectus providentiae, qua Deus praedestinatos ducit ad vitam aeternam ». Similiter Palmieri, De

Aliqui putant s. Augustinum decursu temporis sententiam suam mutasse et in fine vitae ita docuisse, ut vera sufficientia auxilii mere sufficientis in periculum venerit[31]; alii huiusmodi mutationem in doctrina eius negant. In hac quaestione liberum omnino est inquirere, quaenam fuerit mens s. Augustini, neque talis inquisitio impeditur ex eo, quod s. Augustinus est speciali modo doctor gratiae; sed non licet eam doctrinam, quam quis putat se in s. Augustino invenisse, tamquam veram amplecti, si cum doctrina Ecclesiae non convenit, id quod Iansenistae fecerunt. Hinc Alexander VIII damnavit propositionem: « Ubi quis invenerit doctrinam in Augustino clare fundatam, illam absolute potest tenere et docere, non respiciendo ad ullam Pontificis Bullam » [32]; et Pius XI monuit, ne « Augustini loquentis auctoritas supremae ipsi Ecclesiae docentis auctoritati anteferatur » [33]. Ipsa auctoritas s. Augustini cedere debet veritati et auctoritati Ecclesiae [34].

---

gratia actuali, in thesi 46 (pag. 397) statuit: « docemus utrumque adiutorium esse gratiam perseverandi, adiutorium quidem sine quo non ex habitualibus donis et gratiis actualibus coelescens praebuisse Adamo ad modum causae efficientis potestatem perseverandi, adiutorium vero quo esse gratiarum seriem sive divinam providentiam erga sanctos complectentem tum interiores gratias tum exteriores et quidquid ad salutem praedestinati confert ipsamque perseverantiam passivam, qua providentia ita iustus regitur, ut tandem actu perseveret ». Pag. 403-415 analysi operis De correptione et gratia sententiam suam probat. De perseverantia finali etiam explicat Boyer, Le système de saint Augustin sur la grâce, paraphrase du De correptione et gratia. Recherches de science religieuse 20 (1930) 481-505. — Auxilium quo simpliciter identicum habere cum gratia efficaci est impossibile, cum secundum s. Augustinum gratiae efficaces inveniantur in hominibus, qui carent adiutorio quo; possunt enim esse iusti qui permanent per aliquod tempus in iustitia, opera quoque bona faciunt, deinde vero peccant et in peccato moriuntur: habuerunt gratias efficaces, non habuerunt adiutorium quo.

31 Cf. Lange, nr. 547 ss. et auctores ibi citatos.

32 Denz 1320.

33 Enc. « Ad salutem » 22 Apr. 1930; AAS 22 (1930) 204.

34 Quomodo ipse de sua auctoritate iudicaverit, vide supra pag. 264. De auctoritate doctoris gratiae vide Lange nr. 111-116.

Anno 412 ita scripsit s. Augustinus: «Visorum suasionibus agit Deus, ut velimus, et ut credamus, sive extrinsecus per evangelicas exhortationes, ubi et mandata legis aliquid agunt, si ad hoc admonet hominem infirmitatis suae, ut ad gratiam iustificantem credendo confugiat, sive intrinsecus, ubi nemo habet in potestate quid ei veniat in mentem, sed consentire vel dissentire propriae voluntatis est. His ergo modis quando Deus agit cum anima rationali, ut ei credat, neque enim credere potest quodlibet libero arbitrio, si nulla sit suasio vel vocatio cui credat; profecto et ipsum velle credere Deus operatur in homine, et in omnibus misericordia eius praevenit nos; consentire autem vocationi Dei, vel ab ea dissentire, sicut dixi, propriae voluntatis est» [35]. Neque haec s. Augustinus umquam retractavit.

Cum iansenistae negaverint, gratiam mere sufficientem esse verum beneficium Dei, immo putaverint eam esse inutilem et nocivam, breviter adhuc ostendendum est, eam esse verum beneficium, materialiter, si donum in se spectatur, et etiam formaliter, quatenus ut donum a Deo confertur. Gratia mere sufficiens vere dat posse actus salutaris; accipere autem hanc potentiam sine dubio homini bonum et utile est. Quod autem homo non velit uti hoc dono, quamvis posset, si vellet, non mutat rationem beneficii. Et si ex praesentia huius doni culpa hominis resistentis augetur, id non provenit ex ipso dono ut tali, sed ex maiore malitia voluntatis hominis. Porro gratia mere sufficiens est formaliter beneficium, id est qua beneficium a Deo confertur. Collatio enim huius doni procedit ex seria Dei voluntate salvifica; Deus vult hoc dono possibilem reddere homini actum salutarem, vult ut sit homini auxilium et ut homo ea utatur. Homo quidem non vult correspondere huic voluntati divinae, libere resistit gratiae; sed inde non mutatur quidquam in eo, quod Deus hoc donum ex bona voluntate homini dederit. Scit Deus hominem libere non usurum esse hac gratia, relinquit homini libertatem, permittit peccatum; sed inde non sequitur, ut Deus gratiam hanc homini dederit, ut ei resistat, sed verum ma-

---

[35] De spiritu et littera 34, 60; ML 44, 240; R 1736.

net Deum eam dedisse, ut homo illa utatur. Potuit Deus loco gratiae mere sufficientis dare gratiam efficacem, sicut potuit loco praesentis ordinis velle alium ordinem; ergo verum est eum noluisse dare maius beneficium quam revera dedit; sed ex eo quod quis alicui non vult dare maius beneficium, non sequitur, ut id quod dedit non sit verum beneficium et qua beneficium datum. Et hoc etiam valeret in casu, in quo Deus respectu magnorum peccatorum, quae homo commisit, non vult dare ei maius beneficium. Semper enim id, quod dat, est in se verum beneficium et semper eius collatio ex seria voluntate salvifica procedit; semper auxilium est vere sufficiens [36].

II. De gratia efficaci

Dicimus esse gratiam efficacem, quae in actu primo infallibilem nexum habet cum actu salutari. Agitur ergo de efficacia gratiae efficacis, quae cum actu salutari de facto coniuncta est. Omnis gratia vere sufficiens habet efficaciam virtutis, et confert virtutem, qua actus salutaris poni potest; si autem actus de facto ponitur gratia habet efficaciam non solum virtutis, sed eam, quae dicitur efficacia operis, quia cum hac gratia opus salutare coniunctum est. Hanc efficaciam non habet gratia mere sufficiens.

Affirmamus autem esse gratiam efficacem quae in actu primo infallibilem cum opere nexum habet. Consideratur ergo gratia antecedenter ad ipsum actum salutarem, qui cum ea coniunctus erit. Esse gratiam in actu secundo efficacem probatione non indiget, cum nihil aliud dicat, quam esse revera actus salutares; sic considerata efficacia dicitur consequens. Id autem, quod in hac parte thesis affirmatur, est exsistentia gratiae efficacis, cui competit efficacia non solum virtutis, sed operis et quidem antecedenter ad

---

[36] Fatendum est minus apparere rationem beneficii gratiae mere sufficientis in sententia Banezianorum et aliorum, qui tenent praedestinationem ad gloriam praecise sumptam esse ante praevisa merita et consequenter docent praedefinitionem formalem actuum salutarium. De hac re in sequenti thesi.

positionem actus, sive quae in actu primo infallibiliter cum actu salutari coniuncta est. Exsistit nexus infallibilis inter hanc gratiam et actum futurum salutarem ita, ut data hac gratia infallibiliter actus salutaris sequatur. Infallibilis hic nexus sub triplici respectu consideratur: *a)* obiective: obiective verum est, hanc gratiam producturam esse hunc actum salutarem; *b)* cognoscitive: Deus infallibiliter scit, hanc gratiam producturam esse hunc actum salutarem; *c)* affective: Deus vult hanc gratiam dare, quae hunc effectum salutarem habebit.

Patet maius beneficium esse, si Deus confert gratiam, cum qua scit hominem cooperaturum esse, quam si dat gratiam vere quidem sufficientem, cum qua tamen scit hominem non esse cooperaturum, quae ergo est mere sufficiens.

Notandum est hanc quoque partem thesis loqui de praesenti ordine, id est de statu naturae lapsae, ergo post peccatum Adae. S. Augustinus videtur docuisse, et cum illo quidam theologi, ante peccatum tales gratias non fuisse; in hanc quaestionem non intramus, cum tractatus noster sit de gratia Redemptoris.

Adversarii huius partis thesis sunt praeter pelagianos maxime semipelagiani, qui rationem specialis beneficii in efficaci vocatione et dono perseverantiae negaverunt.

Statuitur haec pars ut theologice certa.

Quod ad argumentationem pro hac parte attinet notandum est, thesim esse probatam, si ostenditur bonum actum speciali modo esse beneficium Dei, esse opus Dei; nam si ratione beneficii in actu primo nulla differentia esset inter gratiam vere et mere sufficientem et gratiam efficacem, non iam apparet cur actus bonus salutaris speciali modo Deo tribuatur. Si autem ratione beneficii talis differentia in actu primo exsistit, ob quam actus salutaris speciali modo Deo tribuendus est, ea solum esse potest, quod gratia efficax infallibiliter cum actu salutari coniuncta est.

net Deum eam dedisse, ut homo illa utatur. Potuit Deus loco gratiae mere sufficientis dare gratiam efficacem, sicut potuit loco praesentis ordinis velle alium ordinem; ergo verum est eum noluisse dare maius beneficium quam revera dedit; sed ex eo quod quis alicui non vult dare maius beneficium, non sequitur, ut id quod dedit non sit verum beneficium et qua beneficium datum. Et hoc etiam valeret in casu, in quo Deus respectu magnorum peccatorum, quae homo commisit, non vult dare ei maius beneficium. Semper enim id, quod dat, est in se verum beneficium et semper eius collatio ex seria voluntate salvifica procedit; semper auxilium est vere sufficiens [36].

II. De gratia efficaci

Dicimus esse gratiam efficacem, quae in actu primo infallibilem nexum habet cum actu salutari. Agitur ergo de efficacia gratiae efficacis, quae cum actu salutari de facto coniuncta est. Omnis gratia vere sufficiens habet efficaciam virtutis, et confert virtutem, qua actus salutaris poni potest; si autem actus de facto ponitur gratia habet efficaciam non solum virtutis, sed eam, quae dicitur efficacia operis, quia cum hac gratia opus salutare coniunctum est. Hanc efficaciam non habet gratia mere sufficiens.

Affirmamus autem esse gratiam efficacem quae in actu primo infallibilem cum opere nexum habet. Consideratur ergo gratia antecedenter ad ipsum actum salutarem, qui cum ea coniunctus erit. Esse gratiam in actu secundo efficacem probatione non indiget, cum nihil aliud dicat, quam esse revera actus salutares; sic considerata efficacia dicitur consequens. Id autem, quod in hac parte thesis affirmatur, est exsistentia gratiae efficacis, cui competit efficacia non solum virtutis, sed operis et quidem antecedenter ad

---

[36] Fatendum est minus apparere rationem beneficii gratiae mere sufficientis in sententia Banezianorum et aliorum, qui tenent praedestinationem ad gloriam praecise sumptam esse ante praevisa merita et consequenter docent praedefinitionem formalem actuum salutarium. De hac re in sequenti thesi.

positionem actus, sive quae in actu primo infallibiliter cum actu salutari coniuncta est. Exsistit nexus infallibilis inter hanc gratiam et actum futurum salutarem ita, ut data hac gratia infallibiliter actus salutaris sequatur. Infallibilis hic nexus sub triplici respectu consideratur: *a*) obiective: obiective verum est, hanc gratiam producturam esse hunc actum salutarem; *b*) cognoscitive: Deus infallibiliter scit, hanc gratiam producturam esse hunc actum salutarem; *c*) affective: Deus vult hanc gratiam dare, quae hunc effectum salutarem habebit.

Patet maius beneficium esse, si Deus confert gratiam, cum qua scit hominem cooperaturum esse, quam si dat gratiam vere quidem sufficientem, cum qua tamen scit hominem non esse cooperaturum, quae ergo est mere sufficiens.

Notandum est hanc quoque partem thesis loqui de praesenti ordine, id est de statu naturae lapsae, ergo post peccatum Adae. S. Augustinus videtur docuisse, et cum illo quidam theologi, ante peccatum tales gratias non fuisse; in hanc quaestionem non intramus, cum tractatus noster sit de gratia Redemptoris.

Adversarii huius partis thesis sunt praeter pelagianos maxime semipelagiani, qui rationem specialis beneficii in efficaci vocatione et dono perseverantiae negaverunt.

Statuitur haec pars ut theologice certa.

Quod ad argumentationem pro hac parte attinet notandum est, thesim esse probatam, si ostenditur bonum actum speciali modo esse beneficium Dei, esse opus Dei; nam si ratione beneficii in actu primo nulla differentia esset inter gratiam vere et mere sufficientem et gratiam efficacem, non iam apparet cur actus bonus salutaris speciali modo Deo tribuatur. Si autem ratione beneficii talis differentia in actu primo exsistit, ob quam actus salutaris speciali modo Deo tribuendus est, ea solum esse potest, quod gratia efficax infallibiliter cum actu salutari coniuncta est.

DOC. ECCLESIAE

INDICULUS cap. 5: « Quod omnia studia et omnia opera ac merita Sanctorum ad Dei gloriam laudemque referenda sint; quia nemo aliunde ei placet, nisi ex eo, quod ipse donaverit » [37]. — Cap. 8: Ecclesia orat, « ut infidelibus donetur fides, ut idololatrae ab impietatis suae liberentur erroribus, ut Iudaeis ablato cordis velamine lux veritatis appareat, ut haeretici catholicae fidei perceptione resipiscant, ut schismatici spiritum redivivae caritatis accipiant, ut lapsis poenitentiae remedia conferantur, ut denique catechumenis ad regenerationis sacramenta perductis coelestis misericordiae aula reseretur. Haec autem non perfunctorie neque inaniter a Domino peti, rerum ipsarum monstrat effectus: quandoquidem ex omni errorum genere plurimos Deus dignatur attrahere, quos erutos de potestate tenebrarum transferat in regnum Filii caritatis suae [38], et ex vasis irae faciat vasa misericordiae [39]. Quod adeo totum divini operis esse sentitur, ut haec efficienti Deo gratiarum semper actio laudisque confessio pro illuminatione talium vel correctione referatur » [40]. — Cap. 9: « Tanta enim est erga omnes homines bonitas Dei, ut nostra velit esse merita, quae sunt ipsius dona, et pro his, quae largitus est, aeterna praemia sit donaturus. Agit quippe in nobis, ut, quod vult, et velimus et agamus, nec otiosa in nobis esse patitur, quae exercenda, non negligenda, donavit, ut et nos cooperatores simus gratiae Dei » [41].

ARAUSICANUM. Can. 3: Gratia facit, ut Deus a nobis invocetur; can. 4: Per Spiritus Sancti inspirationem in nobis fit, ut velimus purgari; can. 6: Donum gratiae est, ut simus obedientes, humiles; can. 9: « De adiutorio Dei. Divini est muneris, cum et recte cogitamus, et pedes nostros a falsitate et iniustitia continemus; quoties

[37] Denz 134.
[38] Col 1, 3.
[39] Rom 9, 22 s.
[40] Denz 139.
[41] Denz 141.

enim bona agimus, Deus in nobis atque nobiscum, ut operemur, operatur ». — Can 20: « Nihil boni hominem posse sine Deo. Multa Deus facit in homine bona, quae non facit homo; nulla vero facit homo bona, quae non Deus praestat, ut faciat homo ». — Can. 25: « Ipse (Deus) ut diligeretur dedit, qui non dilectus diligit »[42].

S. Scriptura

1) Phil 2, 13 dicitur Deus in nobis operari et velle et perficere ex benevolentia[43]. — Phil 1, 6: « Confidens hoc ipsum, quia qui coepit in vobis opus bonum, perficiet usque in diem Christi Iesu ». —Eph 2, 10: « Ipsius enim sumus factura, creati in Christo Iesu in operibus bonis, quae praeparavit Deus ut in illis ambulemus ».

2) Qui ita ad fidem vocantur, ut vocationem sequantur, qui ergo acceperunt gratiam efficacem dicuntur electi. Haec appellatio non intelligeretur, nisi in ipsa vocatione iam esset differentia. Matth 22, 14; Eph 1, 4; Col 3, 12; 1 Thess 1,4; 2 Tim 2, 10; Tit 1, 1; 1 Petr 1, 1; 2, 9; Rom 9.

3) Ps 36, 23: « Apud Dominum gressus hominis dirigentur: et viam eius volet (ordinat eius viam sicut ipsi placet) ». — Ps 118, 33 ss.: « Legem pone mihi Domine viam iustificationum tuarum: et exquiram eam semper. Da mihi intellectum, et scrutabor legem tuam: et custodiam illam toto corde meo. Deduc me in semitam mandatorum tuorum: quia ipsam volui. Inclina cor meum in testimonia tua: et non in avaritiam ». — 3 Reg 8, 57 s.: « Sit Dominus Deus noster nobiscum, sicut fuit cum patribus nostris, non derelinquens nos neque proiciens. Sed inclinet corda nostra ad se, ut ambulemus in universis viis eius, et custodiamus mandata eius et ceremonias eius, et iudicia quaecumque mandavit patribus nostris ». — Bar 2,31 ss.: « Et scient quia ego sum Dominus Deus eorum, et dabo eis cor, et intelligent: aures, et audient. Et laudabunt me in terra captivitatis suae, et memores erunt nominis

---

[42] Denz 183 ss.

[43] Supra pag. 169.

mei. Et avertent se a dorso suo duro, et a malignitatibus suis: quia reminiscentur viam patrum suorum qui peccaverunt in me». — Ezech 11,19 s.: «Et dabo eis cor unum, et spiritum novum tribuam in visceribus eorum: et auferam cor lapideum de carne eorum, et dabo eis cor carneum: Ut in praeceptis meis ambulent, et iudicia mea custodiant, faciantque ea: et sint mihi in populum, et ego sim eis in Deum». Quibus omnibus manifestatur non solum posse bonorum operum a Deo esse, sed ipsas bonas actiones ipsi esse tribuendas et eas a Deo rogari posse.

Patres

Tertullianus: «Haec erit vis divinae gratiae, potentior utique natura, habens in nobis subiacentem sibi liberam arbitrii potestatem, quod αὐτεξούσιον dicitur»[44].

S. Cyprianus: «Addimus quoque et dicimus: Fiat voluntas tua in caelo et in terra[45], non ut Deus faciat quod vult, sed ut nos facere possimus quod Deus vult; nam Deo quis obsistit, quominus quod velit faciat? Sed quia nobis a diabolo obsistitur, quominus per omnia noster animus atque actus Deo obsequatur, oramus et petimus, ut fiat in nobis voluntas Dei; quae ut fiat in nobis, opus est Dei voluntate, id est, ope eius et protectione, quia nemo suis viribus fortis est, sed Dei indulgentia et misericordia tutus est»[46].

S. Augustinus: «At illud manifestum est, frustra nos velle, nisi Deus misereatur; illud autem nescio quomodo dicatur, frustra Deum misereri, nisi nos velimus. Si enim Deus miseretur, etiam volumus; ad eamdem quippe misericordiam pertinet ut velimus; Deus enim est qui operatur in nobis et velle et operari pro bona voluntate. Nam si quaeramus, utrum Dei donum sit voluntas bona, mirum si negare quisquam audeat»[47].

---

[44] De anima 21; ML 2, 685; R 348.

[45] Matth 6, 10.

[46] De dominica oratione 14; ML 4, 528; R 558.

[47] De div. quaest. ad Simplicianum 1, 2, 12; ML 40, 118; R 1572; cf. 1573.

« Nemo potest venire ad me, nisi Pater qui misit me traxerit eum[48]. Non enim ait: duxerit, ut illic aliquo modo intellegamus praecedere voluntatem. Quis trahitur, si iam volebat? Et tamen nemo venit, nisi velit. Trahitur ergo miris modis ut velit, ab illo qui novit intus in ipsis hominum cordibus operari, non ut homines, quod fieri non potest, nolentes credant, sed ut volentes ex nolentibus fiant »[49].

« Si fides liberi est tantum arbitrii, nec datur a Deo, propter quid pro iis, qui nolunt credere, oramus ut credant? Quod prorsus faceremus inaniter, nisi rectissime crederemus etiam perversas et fidei contrarias voluntates omnipotentem Deum ad credendum posse convertere »[50].

« Ac per hoc nec de ipsa perseverantia boni voluit Deus sanctos suos in viribus suis, sed in ipso gloriari: qui eis non solum dat adiutorium quale primo homini dedit, sine quo non possint perseverare si velint; sed in eis etiam operatur et velle: ut quoniam non perseverabunt, nisi et possint et velint, perseverandi eis et possibilitas et voluntas divinae gratiae largitate donetur. Tantum quippe Spiritu Sancto accenditur voluntas eorum, ut ideo possint, quia sic volunt; ideo sic velint, quia Deus operatur ut velint. Nam si in tanta infirmitate vitae huius (in qua tamen infirmitate propter elationem reprimendam perfici virtutem oportebat) ipsis relinqueretur voluntas sua, ut in adiutorio sine quo perseverare non possent, manerent si vellent, nec Deus in eis operaretur ut vellent, inter tot et tantas tentationes infirmitate sua voluntas ipsa succumberet, et ideo perseverare non possent, quia deficientes infirmitate nec vellent, aut non ita vellent infirmitate voluntatis ut possent. Subventum est igitur infirmitati voluntatis humanae, ut divina gratia indeclinabiliter et insuperabiliter ageretur[51]; et ideo, quamvis in-

---

[48] Io 6, 44.

[49] Contra duas epist. Pelagii 1, 19, 37; ML 44, 568; R 1890.

[50] De gratia et libero arbitrio 14, 29; ML 44, 898; R 1940; cf. 1941.

[51] « Insuperabiliter » ut ex contextu patet, non dicit gratiam esse insuperabilem a voluntate, vel voluntatem superari a gratia, sed per gratiam voluntas est insuperabilis, scilicet non superabitur a tentatione, ab adversitate.

firma, non tamen deficeret, neque adversitate aliqua vinceretur. Ita factum est, ut voluntas hominis invalida et imbecilla in bono adhuc parvo perseveraret per virtutem Dei » [52].

THEOLOGI

Non opus videtur afferre plures textus theologorum in re, in qua conveniunt [53]; sed cum quidem videantur ignorasse hanc esse doctrinam Molinae, eius verba afferantur:

« Altero modo dicitur Deus velle aliquid, dependenter quidem ab arbitrio creato, qua liberum est, atque adeo sub condicione, si creatum arbitrium id etiam velit; at ea ratione absolute, quod cum praevideat per arbitrium ipsum libere futurum, ex hypothesi quod eum ordinem rerum velit creare, quem reipsa creare constituit, ei placet, absolutaque iam voluntate vult ut sit, quod libere futurum est, potestque non esse. Hac ratione Deus optimus maximus vult omnia bona, quae per arbitrium nostrum sunt futura, non solum voluntate condicionali, si nos quoque ea velimus, sed etiam voluntate absoluta, quatenus ipsi praevidenti ea futura placent, eademque divina eius et singularis bonitas per arbitrium nostrum intendit ac vult. Quod autem haec etiam absoluta Dei voluntas semper impleatur, ex eo est manifestum, quia nititur certitudini praescientiae divinae, quod ita res futura sit per nostrum arbitrium, consequiturque in Deo eandem praescientiam: quare cum in Deum nec mutatio nec vicissitudinis obumbratio cadere possit, quam certum est Deum per eam praescientiam non posse falli, tam certum est, eiusmodi absolutam Dei voluntatem semper impleri » [54].

---

[52] De correptione et gratia 12, 38; ML 44, 939 s.; cf. 14, 45; ML 44, 943 s.; R 1963.

[53] Cf. S. Th. 1, 2 q. 112 a. 3; 2, 2 q. 24 a. 11.

[54] Concordia q. 19 a. 6 disp. 2; in edit. paris. 1876 pag. 392 s.

THESIS 19: ***Efficacia gratiae neque per praedeterminationem physicam, neque per delectationem victricem explicanda est, sed eo, quod Deus talem homini dat gratiam, qualem scit esse congruam, cui homo consentiat.***

In hac thesi agitur de quaestione inter theologos catholicos controversa.

Probatum est esse gratiam vere et mere sufficientem, praeterea esse gratiam efficacem, cui tribuenda est antecedens efficacia operis. Quaeritur, quomodo haec efficacia antecedens gratiae efficacis sit explicanda, unde ea sit derivanda, vel in quo consistat differentia inter gratiam vere et mere sufficientem, quae habet efficaciam virtutis, et gratiam efficacem, cui competit antecedens efficacia operis. Agitur de explicanda triplici illa infallibilitate, obiectiva scilicet, cognoscitiva et affectiva.

Varia de hac re statuta sunt systemata. Ut systema satisfaciat non solum explicare debet triplicem illam infallibilitatem, sed praeterea non debet offendere contra aliquam veritatem. Agitur enim non solum de singulari quaestione efficaciae gratiae, sed haec quaestio cum pluribus aliis intime cohaeret. Systema autem theologicum tale esse debet, ut praebeat explicationem omnium illarum veritatum, quin contra ullam offendat. Veritates autem quae hic in quaestionem veniunt sunt: 1) Seria Dei voluntas salvifica universalis; 2) praedilectio Dei erga praedestinatos; 3) exsistentia gratiae vere et mere sufficientis, quae ita sufficit, ut sit culpa hominis, si actus salutaris non sequitur, ita ut ex parte Dei collatio huius gratiae vere habeat rationem beneficii; 4) infallibilis efficacia gratiae efficacis (triplex infallibilitas); 5) libertas hominis sub motione gratiae.

Quamprimum systema aliquod contra unam ex his veritatibus offendit, iam non potest esse verum, etiamsi plura alia bene videatur explicare.

Thesis tres habet partes, in quibus tria systemata principalia exponuntur et diiudicantur.

I. Systema Banezianismi.

Deus vult omnes homines salvos fieri, nisi per salutem omnium altiores fines impedirentur. Quod cum ita sit, Deus antecedenter ad praevisum bonum vel malum usum liberi arbitrii creati determinatos aliquos homines ad determinatum gradum gloriae aeternae elegit (praedestinatio ad gloriam praecise sumpta ante praevisa merita); reliquos in eodem signo rationis omisit (reprobatio negativa antecedens). Praedestinati autem gloriam aeternam sibi mereri debent; propterea vitam eorum Deus ita ordinat, talia illis eligit media, quibus in morte inveniuntur in statu gratiae et cum eo merito, quod correspondet gloriae antea illis praedestinatae. Debet ergo consequenter ad absolutam electionem ad gloriam illis dare donum perseverantiae et gratias efficaces ita, ut de facto illud meritum sibi acquirant. Vita vero eorum qui sunt antecedenter negative reprobati ita ordinanda est, ut non moriantur in statu gratiae; debent ergo accipere gratias quae finaliter sunt mere sufficientes [55].

Auxilia gratiae efficacis, quibus Deus electos ad finem perducit, nihil aliud sunt, quam praedeterminationes physicae ad actus salutares. Praedeterminatio autem physica est ens creatum, in creatura receptum, quod est causa physica actus, quod in signo antecedente ad propriam determinationem creaturam liberam ad determinatum actum ponendum determinat ita ut posito hoc ente creato repugnet actum non poni et quidem libere poni. Sine praedeterminatione actus fieri non potest; collatio autem huius entis non est in potestate creaturae, sed a sola voluntate Dei pendet. Cum de praedeterminatione physica dictum sit in tractatu De Deo uno [56], sufficiat hic pauca ponere. « Efficacia auxilii praevenientis gratiae et connexio eius infallibilis cum libera cooperatione arbitrii, tota fundatur et desumitur, tamquam ex prima radice ex omnipotentia Dei, atque ex absoluto et efficaci decreto voluntatis eius volentis,

55 De Deo uno, De praedestinatione.
56 Thes. 9.

ut homo, quem movet, convertatur et pie operetur; nec huiusmodi efficacia ullo modo dependet, etiam tamquam a condicione sine qua non, ex futura cooperatione arbitrii creati, licet actus liber, quo perseverat homo, ab eius arbitrio moto a Deo effective dependeat »[57]. Praedeterminatio voluntatis nostrae intrinseca « fit per motionem praeviam in voluntate receptam, cuius virtus et efficacia ab efficacia divinae voluntatis dependet »[58]. « Quod ergo asserimus in conclusione est, Deum motione praevia, qua determinat voluntatem ad operandum, esse causam non solum moralem per modum allicientis, consiliantis, suadentis, seu quomodolibet etiam interius moraliter moventis; sed etiam per modum perficientis, seu per modum causae vere et proprie efficientis voluntatem velle hoc vel illud bonum in particulari »[59]. « Deus actuali motione efficaci ad modum causae physicae, i. e. vere efficienter praedeterminat hominis voluntatem ad liberos actus bonos, ut voluntas mota a Deo per huiusmodi auxilium, se libere et infallibiliter determinet ad actum secundum libere producendum »[60].

Gratia sufficiens ita concipitur: « Ex his principiis, quae locum habent in omni statu, inferunt thomistae necessariam esse tam in statu innocentiae, quam in statu naturae lapsae duplicem gratiam in ordine ad salutem: alteram minus perfectam et minus validam, quae dat tantum posse, elevat et reddit hominem aptum actui supernaturali, et vocatur sufficiens; alteram perfectiorem et validiorem, quae potentiam determinat et confert actionem, et vocatur efficax; ita ut nunquam contingat, quod haec potentia, quam confert gratia sufficiens, agat aut obtineat suum principalem et ultimum effectum nisi ope gratiae efficacis, alioquin Deus desineret esse causa prima et immediata actionis... »[61].

« Dicimus itaque gratiam, quae sic dat homini facultatem bene agendi, ut si non agat, non ideo sit quia non potest, sed quia non vult; dicimus, inquam, talem gratiam proprio et naturali sensu at-

---

[57] Alvarez, De auxiliis divinae gratiae, disp. 122, nr. 16.

[58] Ibid. disp. 21, nr. 13.

[59] Disp. 23, nr. 17.

[60] Ibid. disp. 23, nr. 19.

[61] Billuart, Tractatus de gratia, diss. 5 art. 2 § II.

que iuxta communem loquendi modum esse et vocari sufficientem, quamvis ad actu agendum requiratur altera efficax. Equidem non est sufficiens in omni genere et ordine, cum requiratur alia alterius generis et ordinis; sed est sufficiens in suo genere et ordine: et dicimus, quod sic loqui, sit loqui in sensu proprio et prout communiter loquimur. Enim vero quotidie dicimus ignem esse sufficientem ad comburendum, licet ultra debeat applicari subiecto combustibili; panem esse sufficientem ad nutriendum, quamvis praeterea debeat masticari, deglutiri et concoqui; intellectum esse sufficientem ad intelligendum, licet numquam intelligat, nisi alterius adhibeatur species, et admoveatur obiecto per ulteriorem motionem; Passionem Christi esse sufficientem ad nos salvandos, etiamsi nonnunquam non salvet, si aliunde nobis eius merita non applicentur, et sexcenta alia... Ita cum dicimus gratiam esse sufficientem ad bene agendum, ista phrasis in sensu proprio et secundum communem modum loquendi non significat ad actu agendum nihil aliud requiri in quovis alio genere, sed tantum, quod sine quavis alia virtute eiusdem ordinis conferat nobis sufficientem facultatem bene agendi, si velimus. Quapropter imperite nobis obicitur, quod abutamur terminis, quodque doceamus gratiam sufficientem, quae non sufficit » [62].

« Corrigenda est itaque haec falsa gratiae sufficientis notio, quam nobis affingunt Adversarii, ut scilicet sit facultas ex se sterilis, cui Deus pro libitu subtrahit influxum necessarium ad eam reducendam in actum, sicque contingat semper eam effectu frustrari. Est enim secundum nos gratia sufficiens semen evangelicum, principium boni operis illud virtute continens, et ad quod de facto perveniret, nisi virtutis eius cursum homo sua defectiva libertate sisteret; sicut bonum semen terrae mandatum fructum ferret, nisi aliquo terrae defectu impediretur. Equidem non diffitemur, imo pro certo tenemus, quod ut homo gratiae sufficienti non desit, eique consentiat, requiratur gratia efficax; sed (quod bene adverte) ut illi desit, ut illi resistat, ut peccet, non requiritur gratia efficax, sed sufficit defectiva eius voluntas; et quia illa resistentia, illud

---

[62] Ibid. art. 4 ad obi. 1.

peccatum praecedit natura et ordine privationem gratiae efficacis, ideo verum est dicere hominem privari gratia efficaci, quia peccando sufficienti resistit, non vero peccare, quia privatur gratia efficaci »[63]. « Per gratiam sufficientem entitative sumptam homo ponitur in statu non peccandi, sed suo defectu sistit huius gratiae cursum, et facit, quod remaneat mere sufficiens »[64].

Ut autem haec ultima recte intelligantur, recolendum est, secundum hoc systema hominem, ut possit ponere actum liberum resistentiae contra gratiam, indigere praedeterminatione physica; Deum debere praedeterminare ad materiale peccati formalis[65]. Ergo ita res est concipienda: Deus confert homini gratiam sufficientem: eundem hominem praedeterminat ad materiale peccati, quo huic gratiae resistit; homo formaliter peccat; hoc peccato reddit gratiam mere sufficientem; in poenam huius peccati privatur gratia efficaci, qua praedeterminaretur ad actum salutarem.

Ex dictis patet: gratia sufficiens et gratia efficax intrinsecus in sua entitate differunt; gratia efficax ex interna sua natura cum actu salutari coniuncta est, cum sit praedeterminatio ad illum actum. Ergo si duobus hominibus, licet maxime inter se differant, eadem gratia efficax datur, in utroque actus salutaris sequitur; ergo cum gratia, cum qua hic convertitur, quilibet homo convertitur.

Quid de hac sententia dicendum? Quomodo se habet ad quinque veritates supra[66] indicatas?

1) Uti in tractatu de Deo uno fusius probatum est, in hac sententia non manet illa voluntas Dei salvifica universalis, quam exhibent fontes, quae scilicet universalis est in omni signo antecedente finalem impoenitentiam; voluntas salvifica cessat esse universalis in eo signo, in quo Deus aliquos exclusive eligit ad gloriam[67].

---

63 Ibidem art. 4 ad obiect. 1.

64 Ibid. ad obiect. 3.

65 De hac re dictum est De Deo uno thes. 9, ubi etiam ostensum est, non nisi relinquendo ipsum systema responderi ad magnas difficultates, quae ex tali doctrina oriuntur.

66 Pag. 343.

67 De Deo uno, thes. 13; 14.

2) Praedilectio erga electos salvatur, sed ita, ut offendatur contra voluntatem Dei salvificam universalem.

3) Gratia mere sufficiens non manet vere sufficiens talis qualem fontes exhibent. Secundum fontes gratiam sufficientem Deus confert ex sincera voluntate, ut fiat actus bonus; ex parte Dei omnia adsunt ut actus poni possit; sed actus propterea non sequitur, quia homo auxilio uti non vult, ergo per culpam hominis, et propterea homo a Deo punitur.

Sed talis non est gratia sufficiens in hoc systemate. Non enim apparet, quomodo collatio gratiae sufficientis possit procedere ex seria voluntate Dei salvifica. Nam gratia finaliter efficax in hoc systemate praeparatur homini, quia Deus eum antecedenter et independenter ab usu liberi arbitrii absolute ad gloriam elegit; antecedenter negative reprobatis vero Deus praeparare debet gratias finaliter non efficaces.

Similiter dicendum quoad singulos actus salutares: quia Deus antecedenter absolute vult hunc determinatum actum bonum in hoc homine, propterea ei confert correspondentem gratiam efficacem, physicam praedeterminationem ad hunc actum; consequenter videtur dicendum: quia talem voluntatem actus salutaris in alio homine non habet, non ei dat gratiam efficacem, sed gratiam mere sufficientem et praedeterminationem physicam ad actum resistentiae contra hanc gratiam. Quomodo autem conferendo sic gratiam sufficientem Deus velit, ut homo illa utatur, difficile intelligitur.

Praeterea secundum fontes omnia ex parte Dei adsunt, ut actus bonus poni possit; in hoc autem systemate gratia sufficiens dat quidem potentiam actus boni, sed actu ille fieri non potest, nisi adsit gratia efficax; deest ergo aliquid ex parte Dei, scilicet praedeterminatio physica ad actum bonum, sine qua actus fieri non potest. Ergo in textu Is 5, in priore thesi citato, ubi Dominus interrogat: Quid est quod debui ultra facere? responsum videtur simplex: Debuisti adhuc dare praedeterminationem physicam ad ferendos fructus, et sine dubio eos tulissemus; sed quia dedisti nobis gratiam « sufficientem » et simul cum ea praedeterminationem ad actum resistentiae contra gratiam, propterea non tulimus fructum.

Similiter Matth 11, cum Dominus vituperat habitatores Corozain et Bethsaidae, sensus videtur omnino clarus: cum illis auxiliis, quae isti acceperunt, Tyrii et Sidonii poenitentiam egissent, si ea accepissent. Sed secundum Alvarez sensus est: Tyrii et Sidonii conversi essent « ex alia causa, quam praesupponit Christus, videlicet ex auxilio efficaci, quod Deus statuerat conferre illis, si apud eos signa illa facta fuissent, quae in Corozain et Bethsaida Dominus operatus est » [68]. Recte ad talem exegesim Pesch: « Ergo vituperantur corozaitae, quod conversi non sunt per illas gratias, cum quibus solis actualem conversionem componi repugnat, cum Tyrii et Sidonii conversi essent cum alia gratia, cum qua non - conversio actu componi non potest. — Hoc Alvaresii responsum sufficere videtur ad ostendendum doctrinam banesianorum veram esse non posse » [69].

Idem de Matth 23, 37, ubi Dominus dicit se quidem voluisse congregare filios Ierusalem, Ierusalem autem noluisse. In hoc systemate sensus esset: Dominus, quia voluit congregare eos, dedit illis gratiam sufficientem et simul praedeterminationem physicam ad actum resistentiae contra hanc gratiam. Si ita esset, potius dicendum esset Dominum noluisse congregare filios Ierusalem. Si enim adest praedeterminatio physica ad actum quo gratiae resistitur, impossibile est hominem non resistere et peccare; neque in potestate hominis est, hanc vel illam praedeterminationem physicam accipere.

Sed in textu supra relato Billuart dicit « hominem privari gratia efficaci, quia peccando sufficienti resistit »; ergo culpa hominis est, si non habet gratiam efficacem. Ergo videtur sequi, ut Deus exspectet decisionem liberi arbitrii et ab eius consensu vel dissensu dependentem reddat collationem vel non collationem gratiae efficacis?? Praeterea consensus et resistentia pendent a correspondente praedeterminatione physica, cuius collatio a solo Deo dependet. Et si hoc argumentum ulterius urgetur, refugiunt a defectu morali actuali ad peccatum originale, quod tamen in bapti-

---

[68] **Alvarez, De auxiliis divinae gratiae, disp. 72 nr. 5.**

[69] **Pesch, 5, 235.**

zatis non iam est et ita hoc refugium iam non sufficit; propterea ulterius refugiunt ad naturalem defectibilitatem arbitrii creati, quod tamen solum dicit possibilitatem resistentiae contra gratiam, non actualem resistentiam, neque ullam habet rationem culpae [70].

Tandem ex ipsis exemplis, quae afferunt ad illustrandam sufficientiam gratiae, apparet, eam non esse vere sufficientem. Notandum est non quaeri, utrum aliquo sensu illa gratia sufficiens appellari possit, sed utrum eam sufficientiam habeat, quam fontes gratiae sufficienti tribuunt, scl. ita, ut non usus huius gratiae sufficientis, vel resistentia contra eam habeat rationem culpae in homine [71]. Ignis habet potentiam comburendi, sed non potest aliquid comburere, nisi applicetur ad rem combustibilem; cibus habet potentiam nutriendi, sed non potest aliquem nutrire, nisi comedatur etc. Similiter gratia sufficiente homo habet potentiam ad ponendum actum bonum, sed actum illum ponere non potest, nisi accedat gratia efficax [72]. Si autem homo habet aliquam potentiam, quae non potest transire in actum, nisi aliquid accedat, quod non est in eius potestate, ipsi culpae verti non potest, si actus non ponitur. Ita nemo culpam habet ex eo, quod actum intelligendi non ponat, si desunt species ad hanc intellectionem necessariae, et si homo ipse has species sibi comparare non potest, sed eas accipere debet ab alio, qui tamen eas non confert. Si ergo talis solum est sufficientia gratiae sufficientis, quod actus bonus sequi non potest, nisi accedat gratia efficax, praedeterminatio ad actum bonum, eaque non est in potestate hominis, homo non committit culpam, si actum non ponit: ergo non est talis sufficientia gratiae sufficientis, quam fontes ei tribuunt.

4) Triplex infallibilitas obiectiva, cognoscitiva, affectiva nexus gratiae efficacis cum actu salutari explicatur.

---

[70] De his vide plura De Deo uno, thes. 9, obiectiones, ubi ostensum est quomodo in responsionibus ipsum systema relinquitur.

[71] Exempla habentur supra pag. 346.

[72] Abstrahamus ab eo, quod exempla non videantur bene electa; nam in illis non agitur de principiis ipsis, quibus aliquid desit, sed vel de ponenda materia, circa quam principium operetur, vel de alia condicione ad operationem requisita; sed gratia efficax requiritur ex parte ipsius principii operantis.

5) Libertas sub motione gratiae non servatur. Nam secundum Banezianos gratia efficax est physica praedeterminatio ad actum bonum; cum physica praedeterminatione autem vera libertas componi nequit. Hoc fuse probatum est in tractatu De Deo uno [73], ubi etiam ostensum est varia effugia, quae excogitata sunt, esse inania. Quomodocunque libertas definitur, id certo requiritur, ut facultas seipsam determinet, ergo antecedenter ad suam determinationem sit indeterminata. Physica autem praedeterminatio est ens creatum in creatura receptum, cuius collatio vel non collatio a libera creatura non dependet, et quo creatura antecedenter ad propriam determinationem (est enim huius determinationis causa) iam intrinsecus et physice determinata est ad determinatum actum ponendum. Ergo relate ad hunc actum non iam est libera.

Hinc etiam est, quod doctrina conciliorum de libertate sub motione gratiae non nisi sensu violento huic systemati adaptari potest. Si enim Ecclesia docet [74] hominem recipere gratiam, quam abicere potest; liberum arbitrium excitanti Deo et vocanti cooperari et posse dissentire si velit; hominem liberam praestare Deo obedientiam consentiendo et cooperando gratiae, cui resistere potest [74 bis]; sine dubio sensus est: Eidem gratiae, cui homo cooperatur, quae ergo est efficax, potest, si vult, dissentire, potest eidem resistere; si autem haec gratia ex natura sua physice ad unum actum praedeterminat, ita ut ex ipsa natura huius gratiae, huius entis creati in creatura recepti, metaphysice repugnet illum determinatum actum non poni, homo non iam potest hanc gratiam abicere, huic gratiae dissentire vel resistere. Secundum Banezianos dicendum esset: homo potest dissentire vel resistere, si non haec gratia, haec praedeterminatio physica adesset, sed alia, praedeterminatio scilicet physica ad actum dissensus vel resistentiae. Conantur quidem effugere distinguendo: homo non potest actualem dissensum, actum dissentiendi, coniungere cum physica praedeterminatione, sed adest potentia dissentiendi. Nunc autem

---

[73] Thes. 9.

[74] Textus vide supra pag. 325.

[74 bis] Conc. vat., Denz 1791.

posse abicere gratiam, posse gratiae dissentire, resistere, secundum communem modum loquendi significat, posse actum dissensus coniungere cum hac gratia. Qui non potest actualem dissensum coniungere cum gratia, idque ex interna natura huius gratiae, independenter et antecedenter ad propriam electionem, non potest huic gratiae dissentire vel resistere, id est non habet potentiam dissentiendi; nam potentia quae non dicit potentiam ad actum, non est potentia.

Putant tamen Baneziani doctrinam de praedeterminatione physica necessario sequi ex supremo dominio Dei. Sed distinguendum est: sequitur ex illa idea dominii Dei, quam ipsi sibi effinxerunt, transeat; ex illo dominio supremo Dei, quod secundum fontes revelationis revera exsistit, nego. Supremum enim dominium Dei tale est, cum quo vera libertas creaturae componi potest. Hinc in tractatu De Deo uno[75] diximus: « Dominium Dei ita concipi debet, uti revera est, non sicuti aliquis sibi posset imaginari. Quale autem revera sit, optime cognoscitur ex fontibus revelationis. In his vero nunquam dominium Dei tale apparet, quod postularet determinationem creaturae per motionem divinam physicam natura prius quam creatura se determinat; e contra libertatem creaturae docent. Omnis ergo conceptio dominii Dei, quae cum libertate creaturae componi non potest, erronea est; ita quoque erronea esset ea conceptio dominii Dei, ex qua logice sequeretur praedeterminatio physica ex natura sua sive ab intrinseco efficax, cum haec secundum dicta illaesam non relinqueret libertatem creatam ». In his quaestionibus sola ratione procedere periculosum est, et ratio in suis inquisitionibus et explicationibus semper regulari debet iis quae revelatio praebet. Intimus defectus huius systematis videtur esse methodicus. « Adversarii a priori fingunt aliquem conceptum Dei summi domini primique liberi, quocum exsistentia libertatis creatae pugnat; ergo simile vitium methodicum committunt atque Occasionalistae, qui eum conceptum Dei causae primae efformant, cui omnis repugnet causalitas creata, vel etiam Pantheistae, qui

---

[75] Thes. 10.

eam entis absoluti ideam statuunt, qua coëxistentia entium contingentium excludatur » [76].

Si tandem dicitur: modus, quo cum praedeterminatione physica concilietur libertas, est mysterium, respondendum est: 1) hoc mysterium Deus nullibi revelavit, sed est figmentum huius systematis; mysteria autem credimus Deo revelanti, non theologo vel philosopho opinanti; 2) non videtur esse mysterium, sed potius contradictio; nam: relate ad idem in eodem signo esse determinatum et indeterminatum sunt contradictoria.

Ergo licet quaedam in hoc systemate explicentur, quia tamen contra plures veritates, de quibus certo constat, videatur offendere, admittendum non est; ergo efficacia gratiae non est explicanda per praedeterminationem physicam.

II. Systema Augustinensium.

Defendit praedestinationem ad gloriam praecise sumptam ante praevisa merita. « Praedestinatio ad gloriam praecedit praedestinationem ad gratiam » [77]. His « beneplacito voluntatis suae constituit conferre talem gratiam, quae concupiscentiam etiam in baptizatis remanentem ad luctam praesertim in extrema vitae periodo reprimat, ita ut finaliter perseverent, et efficaciter perducantur ad gloriam » [78]. Reliqui sunt negative reprobati. « Reprobatio negativa suam ex parte reprobi caussam habet, nempe originale peccatum ». His « Deus donorum suorum Dominus noluit tantam gratiam impertire » quantam praedestinatis [79].

« Est ergo gratia sufficiens sensu Thomistico ac nostro illa, quae dat posse, non velle; aut si dat velle, istud adeo est invalidum atque imperfectum, ut desideria carnis contraria concupiscentis non vincat, nisi superveniente flagrantissima et potentissima ca-

[76] Lange, De gratia nr. 641.

[77] Berti, De theologicis disciplinis, lib. 6 cap. 4 ss.; ed. Rom. 1739, tom. 1 pag. 430.

[78] Lib. 6 cap. 18; pag. 509.

[79] Ibidem.

posse abicere gratiam, posse gratiae dissentire, resistere, secundum communem modum loquendi significat, posse actum dissensus coniungere cum hac gratia. Qui non potest actualem dissensum coniungere cum gratia, idque ex interna natura huius gratiae, independenter et antecedenter ad propriam electionem, non potest huic gratiae dissentire vel resistere, id est non habet potentiam dissentiendi; nam potentia quae non dicit potentiam ad actum, non est potentia.

Putant tamen Baneziani doctrinam de praedeterminatione physica necessario sequi ex supremo dominio Dei. Sed distinguendum est: sequitur ex illa idea dominii Dei, quam ipsi sibi effinxerunt, transeat; ex illo dominio supremo Dei, quod secundum fontes revelationis revera exsistit, nego. Supremum enim dominium Dei tale est, cum quo vera libertas creaturae componi potest. Hinc in tractatu De Deo uno [75] diximus: « Dominium Dei ita concipi debet, uti revera est, non sicuti aliquis sibi posset imaginari. Quale autem revera sit, optime cognoscitur ex fontibus revelationis. In his vero nunquam dominium Dei tale apparet, quod postularet determinationem creaturae per motionem divinam physicam natura prius quam creatura se determinat; e contra libertatem creaturae docent. Omnis ergo conceptio dominii Dei, quae cum libertate creaturae componi non potest, erronea est; ita quoque erronea esset ea conceptio dominii Dei, ex qua logice sequeretur praedeterminatio physica ex natura sua sive ab intrinseco efficax, cum haec secundum dicta illaesam non relinqueret libertatem creatam ». In his quaestionibus sola ratione procedere periculosum est, et ratio in suis inquisitionibus et explicationibus semper regulari debet iis quae revelatio praebet. Intimus defectus huius systematis videtur esse methodicus. « Adversarii a priori fingunt aliquem conceptum Dei summi domini primique liberi, quocum exsistentia libertatis creatae pugnat; ergo simile vitium methodicum committunt atque Occasionalistae, qui eum conceptum Dei causae primae efformant, cui omnis repugnet causalitas creata, vel etiam Pantheistae, qui

[75] Thes. 10.

eam entis absoluti ideam statuunt, qua coëxistentia entium contingentium excludatur » [76].

Si tandem dicitur: modus, quo cum praedeterminatione physica concilietur libertas, est mysterium, respondendum est: 1) hoc mysterium Deus nullibi revelavit, sed est figmentum huius systematis; mysteria autem credimus Deo revelanti, non theologo vel philosopho opinanti; 2) non videtur esse mysterium, sed potius contradictio; nam: relate ad idem in eodem signo esse determinatum et indeterminatum sunt contradictoria.

Ergo licet quaedam in hoc systemate explicentur, quia tamen contra plures veritates, de quibus certo constat, videatur offendere, admittendum non est; ergo efficacia gratiae non est explicanda per praedeterminationem physicam.

II. Systema Augustinensium.

Defendit praedestinationem ad gloriam praecise sumptam ante praevisa merita. « Praedestinatio ad gloriam praecedit praedestinationem ad gratiam » [77]. His « beneplacito voluntatis suae constituit conferre talem gratiam, quae concupiscentiam etiam in baptizatis remanentem ad luctam praesertim in extrema vitae periodo reprimat, ita ut finaliter perseverent, et efficaciter perducantur ad gloriam » [78]. Reliqui sunt negative reprobati. « Reprobatio negativa suam ex parte reprobi caussam habet, nempe originale peccatum ». His « Deus donorum suorum Dominus noluit tantam gratiam impertire » quantam praedestinatis [79].

« Est ergo gratia sufficiens sensu Thomistico ac nostro illa, quae dat posse, non velle; aut si dat velle, istud adeo est invalidum atque imperfectum, ut desideria carnis contraria concupiscentis non vincat, nisi superveniente flagrantissima et potentissima ca-

---

[76] Lange, De gratia nr. 641.

[77] Berti, De theologicis disciplinis, lib. 6 cap. 4 ss.; ed. Rom. 1739, tom. 1 pag. 430.

[78] Lib. 6 cap. 18; pag. 509.

[79] Ibidem.

ritate. Huiusmodi sunt inspirationes et pia animi desideria, quae perversam animam movent, atque excitant aliquantum, sed illam ad conversionem non trahunt. Hanc sufficientem gratiam in se ipso expertus est s. Pater paullo ante conversionem, eamque his verbis epressit octavo Confess. suarum libro cap. 5. Voluntas autem nova, quae mihi esse coeperat, ut te gratis colerem, fruique te vellem, Deus sola certa iucunditas, nondum erat idonea ad superandam priorem vetustate roboratam. Ex quibus liquet, gratiam sufficientem aliquem semper effectum producere, nempe pium animi motum et bonam voluntatem, sed invalidam et cui liberum arbitrium resistit. Sequitur etiam gratiam, quae in uno est sufficiens, in altero, cuius vetus et carnis voluntas cum nova et spirituali non adeo conflictat, ut discordando dissipet animam, esse efficacem, eamdemque gratiam talem esse respectu unius operis, e. g. orationis, quae efficax non est comparate ad opera alia, e. g. observantiam omnium praeceptorum divinorum; et demum constat omnem Dei gratiam, quantumvis minimam, esse in se ad opera salutaria sufficientem, ut alibi diximus, id est, non efficere actus salutares propter obicem carnalis et robustioris delectationis, cum tamen tribuat voluntati posse eam superare, si velit. Ut autem velit, requiritur in hoc statu sancta delectatio victrix, quae a nullo duro corde respuitur: et hanc nos dicimus gratiam esse efficacem. Igitur gratia efficax est illa, quae semper cum effectu coniuncta est, sive caritas, quae dat posse et velle, et tantum velle, ut voluntatem carnis contraria concupiscentem facile vincat, nec solum dat posse bene agere, sed efficit ipsam actionem...

Verum etsi Thomistis in confessione gratiae sufficientis et efficacis concordissime coniuncti sumus, et consentimus nihil boni liberum arbitrium perficere, nisi victrice gratia flectatur et determinetur ad actum, dissentimur tamen ab illis non solum in explicanda gratiae natura, verum etiam in eo, quod nolint in eadem gratia gradualitatem admittere, et gratiam quae in uno sufficiens et inefficax est, non posse efficacem esse in altero constantissime teneant, propterea quod auxilium sufficiens et efficax inter se specie differant et natura. At nos eandem numero delectationem, quae in aliquibus minus excaecatis atque obduratis e. g. in Tyriis Sy-

doniisque foret efficax et ad poenitentiam traheret, in aliis maiori caecitate et obduratione affectis inefficacem esse contendimus; nec tamen derogari gratiae efficaci, quoniam si Deus talem delectationem inspirat, qua perversa cupiditas superatur, id praestat beneplacito ac proposito voluntatis suae, iisque, quos vult efficaciter bene agere, talem impertitur caritatem, quae numquam ab eorum quantumvis duro corde respuitur » [80]. Deinde statuitur « Propositio I. Gratia est inspiratio sanctae dilectionis; neque a caritate actuali distinguitur... Propositio II. Gratia efficax est victrix delectatio, sive caritas, quae superat contrariam cupiditatem » [81]. « Propositio III. Delectatio non eadem est in omnibus, sed modo efficax, modo inefficax, et habet caritas et gratia gradus suos, ex quibus absque ullo praeiudicio absolutae Dei voluntatis mirabilis eius oeconomia una cum vera arbitrii nostri libertate facile potest dignosci » [82]. « Propositio IV. Haec doctrina nihil habet affinitatis cum haeresi Ianseniana. Probatur; nam Iansenius... statuit efficaciam gratiae in delectatione victrice, quae a deliberatione et indifferentia liberi arbitrii penitus seiuncta est. Nos vero dicimus indeliberatam quidem esse hanc delectationem, quatenus inspiratur a Deo; et proinde per primum actum indeliberatum nos nihil mereri, nisi accedat liberi arbitrii deliberatus assensus, firmissime tenemus, cum meritum haberi nequeat sine indifferentia libertatis. At haec delectatio victrix coniuncta est cum deliberatione comparate ad opera, quae efficiuntur a libero arbitrio hac delectatione excitato. Quamvis enim sit haec efficax gratia antecedens, et Deus sine nobis faciat, ut velimus; nihilotamen minus per illam non proponitur nobis bonum sub omni ratione boni, quemadmodum proponitur beatis per lumen gloriae, ideoque remanet indifferentia iudicii et vera libertas, quam habere nequeunt beati in patria... Quamobrem sequitur quidem ex hac victrice delectatione infallibiliter effectus, eo quod animus amplectatur bonum, quod magis delectat, sed sequitur libere, quia non adeo in hac vita delectat bonum aliquod, ut nequeat in eo apprehendi ratio aliqua mali...

80 Lib. 14 cap. 8; tom. 3 pag. 148 s.

81 Pag. 149.

82 Pag. 153.

Pari iure discrepamus circa gratiam inefficacem. Primo enim fatemur qualemcumque gratiam in hoc statu, sive parvam sive magnam, esse gratiam Christi. Deinde defendimus dari gratiam inefficacem, cui voluntas resistit. Ac tandem per gratiam sufficientem dari nobis potestatem implendi divina mandata, eamque veram et propriam, sed non taliter validam et expeditam, ut ad ponendum actum non sit necessaria gratia efficax »[83].

In hoc systemate statuitur gratia ex se ipsa efficax. « Postrema sententia est Thomistarum et Augustinensium omnium affirmantium gratiam efficacem esse seipsa, non talem reddi aut cooperatione liberi arbitrii, aut ex circumstantiis congruis: atque certissime et infallibiliter cum effectu coniunctam esse, non vage prout comprehenditur in cumulo omnium gratiarum, sed quatenus est individua et peculiaris praemotio et inspiratio collata hominibus non suspensa et indifferenti Dei voluntate, sed absoluta et plenissima: ita ut haec gratia det posse, velle et perficere, neque ipsa cooperetur quia volumus, sed nos velimus, quia ipsa operatur »[84].

Ergo gratia est seipsa efficax, in signo antecedente ad consensum liberi arbitrii; sed haec gratia seipsa efficax gradu solum differt a gratia inefficaci; et eadem omnino gratia, quae in uno est efficax, in altero potest inefficax esse.

In his iam apparet hanc doctrinam non esse admittendam.

Nam haec gratia se ipsa efficax aut metaphysica necessitate cum consensu coniuncta est, ita ut metaphysice dissensus repugnet, et sic actus liber iam est determinatus in signo antecedente ad electionem liberi arbitrii et independenter ab ea, et habetur necessitas antecedens: deest libertas; aut inter gratiam seipsa efficacem et consensum liberi arbitrii haec necessitas antecedens auferens libertatem non exsistit, et dissensus manet possibilis, et sic non explicatur metaphysica infallibilitas, qua gratia efficax cum consensu liberi arbitrii coniuncta est, nisi admittatur scientia media, quae tamen in hoc systemate absolute negatur.

---

83 Pag. 155 s.; de hac differentia iterum pag. 160.

84 Pag. 166.

Praeterea eadem gratia potest ex se efficax esse in uno, quae est inefficax in altero. Si Deus hanc gratiam alicui homini dat, scit eam efficacem esse in hoc homine, non esse efficacem in illo; ergo scit hanc gratiam in hoc homine esse maiorem quam liberam resistentiam hominis eamque esse victuram; similiter de alio homine scit eandem gratiam minorem esse quam liberam resistentiam hominis, eamque non esse superaturam. Unde explicatur haec infallibilis scientia, qua Deus scit aliam decisionem creaturae metaphysice exclusam esse? Libera decisio creaturae in signo antecedente ad eius electionem iam deberet esse determinate vera, secus non est determinate cognoscibilis; actus autem liber non est determinate verus in omni signo antecedente eius futuritionem.

Tandem, si delectatio victrix absolute necessaria est ad actum salutarem, delectationi non victrici aliquid deest, quod absolute necessarium est ad actum ex parte principii operantis; ergo delectatio non victrix non est gratia vere sufficiens.

Accedunt difficultates ex sententia praedestinationis ad gloriam praecise sumptae ante praevisa merita; quod sola caritas sit gratia; quod semper homo maiorem delectationem sequatur etc.

Ergo efficacia gratiae explicanda non est per delectationem victricem.

III. Systema molinismi.

Ut integra doctrina in toto suo connexu habeatur, rem simili modo exponamus, uti in tractatu De Deo uno relate ad praedestinationem et reprobationem fecimus [85]. In praesenti ordine salutis creatura intellectualis elevata est in ordinem supernaturalem; quoad homines habetur peccatum originale et redemptio per Verbum Incarnatum; determinati in hoc ordine vivunt angeli et homines. Deus sincere vult omnium hominum salutem, tamquam gratiam filiis Dei per Iesum Christum misericorditer promissam, et tamquam mercedem ex ipsius Dei promissione bonis ipsorum operibus et

---

[85] Thes. 14.

meritis fideliter reddendam. Haec voluntas non est absoluta, sed conditionata, si scilicet fideliter cum gratia cooperantur et in gratia decedunt. Consequenter ad gratuitam hanc conditionatam voluntatem salvandi omnes Deus gratuito vult dare omnibus gratias necessarias, ut salutem sibi promereri possint, si velint, gratias vere sufficientes. Praeparatio ergo et collatio gratiae fluit ex sincera voluntate salvifica universali conditionata, quae non cessat nisi consequenter ad praevisam impoenitentiam finalem.

Ordines, in quibus omnes illae condiciones essentialiter impletae sunt, multi possibiles sunt: iidem homines possent esse sub diversis circumstantiis, accipere diversa auxilia gratiae etc., quin universales conditiones ordinis mutarentur. Antequam autem Deus ex his ordinibus possibilibus unum absolute decernit, scit quid in variis ordinibus possibilibus futurum esset.

Deus e. g. certo scit, in determinato ordine possibili se Petro daturum esse gratuito, sine ullo merito Petri praeviso, hanc vel illam gratiam, quia habet voluntem conditionatam eum salvandi, et se daturum hanc gratiam ad hoc, ut Petrus illa utatur ad actum bonum salutarem: gratia vere sufficiens. Deus scit, si hanc gratiam daret, Petrum libere cooperaturum esse: gratiam esse efficacem. Petrus ita cum auxilio gratiae se disponeret ad iustificationem. Deus vellet eum perducere ad iustificationem, eum iustificare. Post iustificationem Deus vellet illi dare gratias, ut cum earum auxilio sibi mereretur augmentum gratiae sanctificantis; scit Petrum cooperaturum esse et tale augmentum sibi mereri; Deus propter illud meritum vellet ipsi augere gratiam sanctificantem secundum hoc meritum. Deus ulterius Petro daret gratias, ut illis uteretur, ut vinceret occurrentem tentationem, ut meritum suum augeret: gratia vere sufficiens; Petrus autem non cooperaturus esset, gratiae resisteret et peccaret: gratia maneret mere sufficiens. Deus autem, cum voluntas salvifica erga Petrum conditionata adhuc perseveraret, pergeret in gratiis gratuito dandis, ut Petrus converteretur et ad iustificationem sese disponeret: gratiae vere sufficientes. Petrus iterum cooperaturus esset (gratia efficax), converteretur et in sacramento poenitentiae iterum iustificaretur. Deus semper illi daret gratias vere sufficientes, Petrus abhinc cum illis cooperaretur, multum ora-

ret pro dono perseverantiae, Deus hoc illi concederet, Petrus moreretur in statu gratiae, in determinato gradu gratiae cum determinatis meritis libera cooperatione cum gratia acquisitis. Propter illa merita Deus post eius mortem illi vellet dare gradum gloriae merito correspondentem tamquam iustum praemium.

Alius ordo possibilis esset circa eundem Petrum, in quo Deus alias illi dare vellet gratias, Petrus perfectius cum illis cooperaturus esset, quam in priore exemplo, et in maiore gradu gratiae sanctificantis et cum maiore merito moriturus esset, et hinc Deus illi maiorem gradum gloriae pro praemio dare vellet.

Tertius ordo possibilis esset, in quo supponamus omnia simili modo procedere, sicut in primo exemplo usque ad peccatum Petri. Post hoc peccatum maneret adhuc voluntas salvifica erga Petrum, et ex hac voluntate Deus illi vellet concedere auxilia gratiae, quibus posset converti, ad iustificationem sese disponere, easque Deus vellet dare ad hunc finem, ut Petrus libere iis uteretur: gratia vere sufficiens. Petrus autem non vellet cooperari, non vellet orare, et libere maneret in peccato: gratia maneret mere sufficiens. Attamen voluntas salvifica Dei erga eum adhuc maneret, et propterea Deus illi non vellet negare auxilia gratiae, quibus posset venire ad conversionem et ad iustificationem, eaque semper daret, ut Petrus libere illis uteretur; sed Petrus non vellet illis uti, vellet manere in peccatis, pergeret in peccando et tandem moreretur in finali impoenitentia, in peccato mortali cum determinato gradu demeritorum. Nunc cessaret voluntas Dei salvifica erga ipsum, et Deus vellet eum damnare iusta poena aeterna inferni. Omnes gratiae sufficientes, quas Deus illi post peccatum vellet dare, manerent mere sufficientes.

Ita plures alii ordines circa Petrum essent possibiles et Deus scit, quid in variis illis ordinibus futurum esset, scit quasnam gratias Petro et in quibus circumstantiis eas daret, utrum Petrus cum illis esset cooperaturus, utrum gratiae futurae essent mere sufficientes an efficaces.

Ex omnibus ordinibus possibilibus Deus libere praesentem eligit. Hoc absoluto decreto Dei omnia illa, quae in signo antecedente erant condicionate futura, evadunt absolute futura et in suo tem-

pore actualia. Si ergo sumimus primum exemplum supra de Petro datum, consequenter ad decretum Dei absolutum haec valent: Deus habet voluntatem salvificam condicionatam erga Petrum; ex sincera hac voluntate confert ei gratiam, ut illa utatur ad actum salutarem (gratia vere sufficiens); Deus scit Petrum cum hac gratia esse cooperaturum, gratiam hanc esse efficacem (Deus scit verum esse Petrum esse cooperaturum, si ei haec gratia conferretur; gratia confertur; verum est Petrus cooperaturus est). Petrus de facto cooperabitur et veniet ad iustificationem. Post iustificationem Deus Petro dabit gratiam, ut Petrus merita sibi acquirat; Deus scit Petrum cooperaturum esse, gratiam esse efficacem. Petrus acquirit sibi meritum et Deus auget gratiam sanctificantem. Deus ulterius confert gratiam, ut Petrus in tentatione vincat et amplius mereatur; Deus scit Petrum non esse cooperaturum, gratiam manere mere sufficientem; Petrus peccabit. Post peccatum manet voluntas salvifica erga Petrum; ex hac voluntate Deus illi dabit ulteriores gratias; Deus scit Petrum esse cooperaturum, gratiam esse efficacem; Petrus cum gratia cooperabitur usque ad mortem. Petrus moritur in statu gratiae et in hoc signo voluntas Dei salvifica condicionata erga Petrum transit in absolutam: Deus vult absolute Petro dare gloriam aeternam eo gradu, qui correspondet meritis eius.

Simili modo in tertio exemplo de Petro: Postquam Petrus peccavit, manet voluntas Dei salvifica erga eum; ex sincera hac voluntate dat ei gratiam, ut convertatur, ut actus salutares ponat et ad iustificationem iterum perveniat; Deus scit Petrum non esse cooperaturum, gratiam manere mere sufficientem; Petrus de novo peccabit. Attamen voluntas Dei salvifica erga eum manet, et semper Deus ei tribuit gratias vere sufficientes, ut possit venire ad conversionem; Deus autem scit Petrum non esse cooperaturum, gratias manere mere sufficientes, et ita usque ad finem vitae Petri. Petrus moritur in peccato et in hoc signo cessat erga eum voluntas Dei salvifica et adest voluntas absoluta eum in aeternum damnandi secundum gradum demeritorum.

Cur Deus praesentem ordinem et non alium elegerit, nobis non revelavit et hinc plane ignoramus. Sed patet electionem praesentis ordinis, si in eo verificantur quae de Petro in primo exemplo di-

cta sunt, esse speciale beneficium erga Petrum, quod non adfuisset, si Deus, uti potuisset, elegisset ordinem, in quo relate ad Petrum condiciones tales essent, uti in tertio exemplo habentur. Similiter habetur speciale beneficium erga Petrum, si comparatur cum aliis hominibus, qui in praesenti ordine non salvabuntur.

Ergo differentia gratiae efficacis a sufficiente in hac doctrina non consistit in differentia in interna ipsa entitate gratiae, ita ut altera ex interna sua natura sit efficax, altera non, sed gratia efficax est ea gratia vere sufficiens, cum qua Deus scit hominem esse cooperaturum, gratia mere sufficiens vero ea gratia vere sufficiens, cum qua Deus scit hominem non esse cooperaturum.

Ergo efficacia operis antecedens gratiae efficacis eo explicatur, quod Deus homini eam dat gratiam, quam scit esse congruam, cui homo consentiat. Terminus « congrua » est secundum s. Augustinum, qui dicit: « Verum est ergo: Multi vocati, pauci electi. Illi enim electi, qui congruenter vocati; illi autem qui non congruebant neque contemperabantur vocationi, non electi, quia non secuti, quamvis vocati. Item verum est: Non volentis neque currentis, sed miserentis est Dei, quia, etiamsi multos vocet, eorum tamen miseretur, quos ita vocat, quomodo iis vocari aptum est, ut sequantur. Falsum est autem si quis dicit: Igitur non miserentis Dei, sed volentis atque currentis est hominis; quia nullius Deus frustra miseretur; cuius autem miseretur, sic eum vocat, quomodo scit ei congruere, ut vocantem non respuat » [86]. Eam vocationem, cui homo consentit, speciali modo ei esse congruam patet. Nam recte Suárez: Vocatio quae datur quando operatura est « maxime congrua dici potest, quia maxime congruit homini, cui melius est vocari, quando responsurus est, etiamsi remisse vocetur, quam fortiter vocari, cum consensurus non est » [87].

Si homo alicui gratiae consentit, signum est eam magis aptam fuisse ad movendum hunc hominem, quam alia gratia, cui non consentiret. Facilius homo movetur ad consensum per gratiam, quae conditionibus eius, praesenti statui, dispositionibus, inclinationi-

---

86 De div. quaest. ad Simplicianum 1, 2, 13; ML 40, 118 s.; R 1573.
87 De gratia lib. 3 cap. 14 nr. 9.

bus etc. magis congruit, quam per gratiam, quae ita non congruit. Haec adaptatio gratiae ad inclinationes hominis, ad eius modum agendi, revera inclinat speciali modo hominem ad consensum, attamen non tangit eius libertatem: potest consentire, potest dissentire. Haec congruitas gratiae sola, considerata ergo in signo antecedente ad consensum, nondum fundat infallibilem eius nexum cum actu salutari. Deus autem scit hunc hominem consensurum esse, si ei haec gratia datur, scit hanc gratiam esse huic homini congruam, cui de facto consentiet; proinde si haec gratia vere datur, metaphysice impossibile est hominem non consentire.

Ex dictis patet eandem gratiam quae uni congrua est cui consentiet, in alio posse manere mere sufficientem. Ita gratia, quae mere sufficiens erat in habitatoribus Corozain et Bethsaida, congrua fuisset et efficax in Tyris et Sidoniis.

Quid de hac doctrina dicendum? quomodo se habet ad quinque veritates supra indicatas?

1) Seria Dei voluntas salvifica universalis conditionata in hoc systemate manet in omni signo antecedente finalem impoenitentiam, sicuti haec voluntas manifestatur in fontibus.

2) Praedilectio erga praedestinatos ex eo apparet, quod Deus libere sine respectu ad merita hominum illum ordinem absolute elegit, in quo scivit hos determinatos homines consecuturos esse aeternam beatitudinem, cum potuerit quoque alium ordinem eligere; in hoc autem habetur specialis dilectio erga eos, qui vere salvantur, quae non est erga reliquos. « Quoniam quod Deus elegerit eum rerum ordinem, circumstantiarum, et auxiliorum, sive maiorum sive minorum, in quo praevidebat eos pro sua libertate salvandos, qui electione eius ordinis eo ipso praedestinati sunt, vitamque aeternam pro sua libertate consequuntur, potius quam alium ex infinitis, in quo res aliter pro eadem ipsorum libertate habuisset, non fuit ex nobis, aut pro meritorum et cooperationis nostrae qualitate, sed ex sola misericordia Dei » [88].

Idem valet de collatione singularum gratiarum efficacium. Deus scit antequam absolute praesentem ordinem decrevit, hanc gratiam

---

[88] Molina, Concordia q. 23 art. 4 disp. 3; ed Paris. 1876 pag. 560.

in hoc homine futuram esse efficacem; eoipso quod absolute hanc gratiam dare vult, ipsum quoque actum salutarem cum illa coniunctum absolute vult. Speciale autem est beneficium, si Deus libere dat hanc gratiam, cum posset etiam dare gratiam, quam scit manere mere sufficientem.

Et cum libere Deus praesentem ordinem et gratias quae in eo conferuntur elegerit, ipse quoque est, qui discrevit inter iustos et non iustos, inter praedestinatos et non praedestinatos. Homo non solum posse bene operari Deo tribuere debet, sed etiam ipsam bonam operationem.

Interdum dicitur, secundum doctrinam Molinismi non esse Deum, qui hominem discernat, sed hominem ipsum se discernere. Sed ita videntur confundi duae quaestiones, quae tamen bene distinguendae sunt. Alia est quaestio de natura efficaciae operis gratiae efficacis, de differentia inter gratiam efficacem et gratiam mere sufficientem, sitne haec petenda ex natura physica ipsius gratiae, ut Banesiani volunt, an alio modo explicanda; et alia omnino diversa quaestio est de collatione gratiae efficacis prae sufficiente: cur hic homo accipiat gratiam efficacem, ille vero gratiam sufficientem, cur hic sit praedestinatus, ille non praedestinatus? Qui diceret praevisum consensum hominis esse rationem cur Deus illi conferret gratiam efficacem prae mere sufficiente, vel cur Deus istum praedestinasset, illum vero non, ille diceret hominem se ipsum discernere. Sed hoc Molinismus explicite negat, ut clare patet ex verbis Molinae supra relatis. Secundum Molinismum Deus est qui discernit.

Cur autem Deus praecise hunc ordinem elegerit, in quo hi homines salvabuntur et non alium, plane ignoramus, ut supra iam dictum est, quia Deus hoc nobis non revelavit: mysterium electionis et praedilectionis. S. Augustinus: « Ex duobus itaque parvulis originali peccato pariter obstrictis, cur iste assumatur, ille relinquatur; et ex duobus aetate iam grandibus impiis, cur iste ita vocetur ut vocantem sequatur, ille autem aut non vocetur aut non ita vocetur; inscrutabilia sunt iudicia Dei. Ex duobus autem piis, cur huic donetur perseverantia usque in finem, illi non donetur, in-

scrutabiliora sunt iudicia Dei »[89]. Ibi ergo secundum s. Augustinum est mysterium nobis absconditum, et hoc mysterium perfecte manet in nostra doctrina.

3) Gratia sufficiens secundum hanc doctrinam datur ex seria voluntate Dei salvifica, ut homo illa utatur; habet ergo vere rationem beneficii. Hoc Dei beneficium manet quidem sine fructu, gratia manet mere sufficiens, sed non ex eo, quod ipsi gratiae aliquid desit, sed ex culpa hominis, qui cum illa cooperari non vult, quamvis posset, si vellet. Beneficium autem non cessat esse beneficium, si quis illo uti non vult; neque ex eo quod homo huic gratiae non vult cooperari, quidquam tollitur verae sufficientiae huius auxilii[90].

4) Triplex infallibilitas nexus gratiae efficacis in actu primo cum futuro actu salutari: Antequam homo revera actum salutarem ponit ille nexus exsistit; posita hac gratia infallibiliter sequitur actus salutaris. Nam antecedenter ad ipsum actum absolute futurum iam verum est: si daretur haec gratia, effectum salutarem haberet; ergo si Deus absolute decernit hanc gratiam dare, absolute verum est consensum esse absolute futurum (infallibilitas conexionis obiectiva); Deus antequam absolute decernit hanc gratiam dare, infallibiliter scit eam, si datur, futuram esse efficacem (infallibilitas conexionis cognoscitiva); Deus libere vult dare hanc gratiam, quam scit esse coniunctam cum actu salutari, quam scit esse efficacem (infallibilitas conexionis affectiva). Ergo antequam homo actu consentiat, in actu primo, iam infallibiliter certum est hanc gratiam esse efficacem, et metaphysice repugnat, data hac gratia, non sequi actum salutarem, sicuti metaphysice repugnat id non esse verum, quod Deus verum esse cognoscit. Non autem derivatur haec infallibilitas ex interna natura gratiae.

5) Libertatem creatam servari patet, nam nihil est, quod in signo antecedente ad usum liberi arbitrii facultatem liberam ad unum physice determinet.

---

[89] De dono perseverantiae, 9, 21; ML 45 1004; R 1995.

[90] Supra pag. 335 s.

Ergo omnes veritates servandae perfecte in hoc systemate servantur. Cum autem sint, qui putent, in hoc systemate non manere perfectum dominium Dei, paucis adhuc ostendendum eos, qui ita sentiunt, falli. Deus dedit liberum arbitrium, Deus in actibus eius concurrit; ipse dedit dona habitualia et actualia ad actus supernaturales; et eligendo libere praesentem ordinem ipse quoque determinavit absolutam futuritionem omnium actuum etiam liberorum creaturarum. Ita absolute nihil subtractum est supremo dominio Dei. Sicut Deus libere voluit, et absolute decrevit, vel positive intendendo in actibus bonis, vel permittendo in malis moralibus, ita omnia eveniunt. Potest Deus voluntatem hominis movere ad bonum actum sicut ipse vult et infallibiliter actus erit. Cor hominum perfecte in manu Dei est; rebelles quoque voluntates ad se potest convertere, ita ut libere velint, quod Deus vult eos velle [91], quia ipse ea media cognovit, quibus infallibiliter anexus est actus bonus. Sic in hoc systemate supremum dominium Dei multo maius et perfectius agnoscitur, quam si Deus solum per aliquam praedeterminationem physicam infallibiliter posset movere creaturam. Supremum dominium, quale in Molinismo Deo tribuitur, illud est, quod in fontibus manifestatur.

Ergo cum hoc systema omnia explicet, quae explicanda sunt, et contra nullam veritatem, de qua certo constat, offendat, admittendum est; ergo efficacia gratiae eo explicanda est, quod Deus talem homini dat gratiam, qualem scit esse congruam, cui homo consentiat.

Forma Molinismi a supra exposita paulum differens ea est, quam s. Bellarmino, Suárez, alii defendebant. Haec ab aliquibus nomine « Congruismi » a Molinismo « puro » distinguitur; alii vero Molinismum simpliciter dicunt Congruismum, quia efficaciam gratiae eo explicat, quod Deus eam vult dare gratiam, quam scit esse « congruam », cui homo consentiat. Differentia utriusque formae non consistit in diverso modo explicandi efficaciam gratiae, neque in eo, uti aliqui affirmabant, quod « Congruismus » defendat collationem gratiae esse specialem benevolentiam Dei, cum « Moli-

---

[91] Cf. verba s. Augustini supra pag. 340 s.

nismus purus» hanc specialem benevolentiam neget; omnes enim molinistae defendunt collationem gratiae efficacis esse maius beneficium formale, quam collationem gratiae mere sufficientis. Differentia in eo est, quod Bellarmino, Suárez, et qui eos sequuntur praedestinationem ad gloriam praecise sumptam defendunt esse ante praevisa merita, et consequenter tenent praedefinitiones formales actuum salutarium. Cum de praedestinatione iam dictum sit in tractatu De Deo uno, pauca dicenda remanent de praedefinitionibus.

«Praedefinitio divina est decretum quo Deus antecedenter ad liberam determinationem creaturae absolute praevisam, ab aeterno, positive, absolute et efficaciter decrevit, ut ab eadem creatura aliquis actus bonus in tempore fiat, v. g. ut Petrus eliciat hodie actum contritionis» [92]. Praedefinitio formalis ea vocatur, qua immediate ipse actus salutaris intenditur; consequenter ad hoc eligitur gratia efficax qua medium necessarium ad actum praedefinitum efficiendum; gratia efficax eligitur, quia est efficax. Praedefinitio virtualis habetur, si immediate ipsum auxilium gratiae intenditur, quod scitur cum actu salutari infallibiliter coniunctum esse; eo ipso, quod decernitur haec gratia absolute danda, praedefinitur ipse actus salutaris.

Praedefinitio formalis est logica consequentia in doctrina de praedestinatione ad gloriam ante praevisa merita. Quia Deus hunc adultum ad talem gradum gloriae elegit, propterea vult, ut homo moriatur cum merito cui talis gradus gloriae tamquam praemium respondet; propterea vult illos actus salutares, quibus ad tale meritum perveniat; propterea vult dare illas gratias, quibus homo illos actus infallibiliter ponet. Et similiter dicitur de actibus salutaribus, quos non praedestinatus in decursu vitae suae ponit: quia Deus vult illos actus ab eo poni, propterea confert gratiam ad hos actus efficacem.

Cum in tractatu De Deo uno praedestinationem ad gloriam ante praevisa merita non esse admittendam dixerimus, praedefinitiones formales quoque, saltem universaliter, nobis non sunt ad-

---

[92] Beraza nr. 603.

mittendae. Difficile quoque, si illae admittuntur, explicatur, quomodo gratia mere sufficiens habeat formaliter rationem beneficii; nam collatio talis gratiae non iam videtur in non praedestinatis procedere ex voluntate salvifica universali, cum haec iam in signo anteriore cessaverit, scl. in eodem signo, in quo praedestinati exclusive electi sunt ad gloriam. Praeterea generatim collatio gratiae mere sufficientis non iam videtur posse procedere ex sincera voluntate, ut homo illa utatur et actus salutaris fiat. Nam cum gratia efficax non detur nisi consequenter ad absolutam voluntatem, ut actus salutaris revera fiat, voluntas dandi auxilium mere sufficiens videtur non esse nisi consequenter ad negationem formalis praedefinitionis actus salutaris, qua negatione futuritio actus salutaris iam absolute excluditur.

Hinc praeferendus videtur Molinismus, qui praedestinationem ad gloriam praecise sumptam post praevisa merita et praedefinitionem virtualem actuum salutarium docet. Ita uti supra ostensum est omnia perfecte salvantur, quae salvanda sunt. Haec est etiam forma, in qua Molinismus hodie communissime defenditur.

PARS SEXTA

DE DISTRIBUTIONE GRATIAE

Gratia actualis est sanans et elevans. Sub utroque respectu est absolute necessaria: quatenus est sanans, ut homo in statu naturae lapsae et reparatae possit vitare peccatum, et sic necessaria est peccatoribus [1] et iustificatis [2]; ut elevans necessaria est gratia ad actus salutares tum peccatori in dispositione ad iustificationem [3], tum iustis ad actus meritorios [4]. Ergo gratia actualis omni adulto absolute necessaria est ad consequendam aeternam salutem; sine illa physice et moraliter impossibile est ad salutem pervenire.

Oritur quaestio: habetne quilibet adultus illam gratiam, an sunt homines, quibus moraliter et physice impossibile est ad salutem pervenire ob defectum gratiae? Haec quaestio tractari solet vel sub titulo: De distributione gratiae, vel de universalitate gratiae, quia tandem aliquando quaestio est, utrum omnes gratiam necessariam accipiant.

Si applicatur ad iustos, sensus quaestionis est: habetne quilibet iustus gratiam, qua possit vitare peccatum mortale et implere praecepta? Quoad peccatores quoque quaeritur, utrum habeant gratiam ad vitanda ulteriora peccata, sed maxime, utrum habeant gratiam ad conversionem.

---

1 **Thes. 11.**

2 Thes. 12, pag. 243 ss.

3 **Thes. 7 et 8.**

4 **Pag. 315.**

Iam probatum est [5] omnes iustos habere gratiam, qua possint implere mandata et in iustitia accepta perseverare; immo iugum Domini suave esse et onus eius leve [6] mandata eius non esse gravia [7]. Specialis providentia, quam Pater caelestis erga filios suos adoptivos habet, includit, eum dare illis ea auxilia, quae necessaria sunt ut possint in eius dilectione manere, gratiam vere sufficientem; haec saltem est remote sufficiens, ut possint orare ad acquirendam gratiam proxime sufficientem ad superandas tentationes, ad perficiendum opus, ad quod hic et nunc tenentur etc. Remanet ergo solum dicendum de peccatoribus.

Peccator per se non est sub illa speciali providentia, sub qua vivunt filii Dei adoptivi; peccando multis gratiis se privavit; ipse Deum deseruit, et mirum non est Deum quoque aliqua ratione eum deserere. Attamen etiam peccatoribus Deus dare potest abundantissimas gratias et interdum etiam confert; est enim Dominus donorum suorum et in eis distribuendis omnino liber. De hac re nunc non quaeritur, sed quaestio est, utrum omnis peccator, sine omni exceptione, saltem eam gratiam habeat, qua possit se convertere et vitare peccatum. Sunt tentationes, quas peccator sine gratuito auxilio divino honeste superare potest; sunt aliae, ad quas superandas indiget gratia; sine gratia non potest diu servare legem naturalem, ne quoad substantiam quidem; sine gratia non potest se disponere ad iustificationem.

In tractanda hac quaestione theologi distinguere solent peccatores communes et peccatores obduratos, obstinatos, obcaecatos. Communes intelliguntur illi « qui quamvis privati gratia sanctificante, nondum tamen timorem Dei penitus abiecerunt » [8]. Obstinatio et obduratio « est dispositio voluntatis, qua quis ita inhaeret malo, ut nolit redire ad bonum » [9]. Obstinatio perfecta est in damnatis, in quibus conversio absolute exclusa est [10]. Imperfecta obsti-

---

[5] Thes. 12 III; pag. 243.

[6] Matth 11, 30.

[7] 1 Io 5, 3.

[8] Mazzella nr. 813.

[9] Pesch nr. 293.

[10] De Novissimis nr. 135 ss.

natio haberi potest in hac terra; illa per se nondum omnis conversio exclusa est, sed valde difficilis est. Tales peccatores describuntur Sap 2 ubi vers. 21: « Haec cogitaverunt et erraverunt: excaecavit enim illos malitia eorum ». Similiter Is 5, 8 ss.

Quomodo excaecatio intellectus et obduratio voluntatis sint concipienda, bene exponit Lessius[11]:

« Quarta poena spiritualis est excaecatio et obduratio. Haec est extrema et maxima poenarum huius vitae et maxime formidabilis, ut quae ordinarie post se trahat aeternum exitium et illud gravissimum. Sita est excaecatio non solum in substractione divinae illustrationis, sed etiam in positiva iudicii perversione, unde haec duo ad illam requiruntur. Ratione prioris fit, ut salutaria non intelligant, vel non apprehendant, saltem eo modo quo apta sunt affectum movere. Itaque neque ex concionibus neque ex colloquiis piorum neque ex lectione sacra fructum referunt. Ratione posterioris fit, ut perverse de rebus ad salutem spectantibus iudicent, approbantes falsa pro veris, pestifera pro salutaribus, tenebras pro luce, mala pro bonis, et e contrario vera ac salutaria detestantes ut falsa et nocentissima, et lucem serenam ut tenebras cimmerias. De talibus dicitur Isaiae 5: Vae qui dicitis malum bonum et bonum malum: ponentes tenebras lucem et lucem tenebras: ponentes amarum in dulce et dulce in amarum...

Causa efficiens excaecationis, qua parte sita est in divini luminis privatione, est Deus, qui iusto iudicio, peccatis hominum id exigentibus, subducit lumen, quo menti humanae ad rerum salutarium cognitionem solet affulgere, parcius ac rarius illud impertiens, et radios suos, ne in illam animam incurrant, veluti cohibens, propter illius indignitatem. Qui enim ab illo sole assidue se avertunt et in tenebras peccatorum abdunt, tenebras luci praeferentes, indigni plane sunt, in quos sol ille rationalis radios suos immittat; praesertim cum mens per peccata fiat terrena, tenebricosa, ac inepta ad illud purum lumen excipiendum.

Qua parte vero sita est in iudicii perversione, causa excaecationis est partim diabolus, partim ipse homo per suam malitiam.

Diabolus quidem, quia Deus propter peccata remittit ei habenas, et permittit ut animos hominum deludat et seducat. Colligimus id manifeste ex Scripturis 3 Regum 22, et 2 Paralip. 18...

Altera causa excaecationis ex parte perversionis iudicii, est ipsa malitia hominis, qua seipsum voluntarie excaecat, non solum meritorie per peccata praevia (propter quae privatur illustratione divina, et permittitur illusioni diabolicae) sed effective et proxime, quod fit dupliciter:

---

[11] De perfectionibus moribusque divinis lib. 13 cap. 14.

Primo, quatenus consentit in noxias passiones odiorum et cupiditatum quibus excaecatur, easque in se fovet. Secundo, quatenus ob levem ali quam ratiunculam vult pertinaciter inhaerere anticipatae apprehensioni, et ea quae illi adversantur recusat considerare et excutere: nimirum sic se sponte avertens a luce veritatis et eligens tenebras. Etsi enim diabolus magnam in phantasiam eorum, qui excaecantur, potestatem habeat, non tamen eam ita perturbat (Deo id minime permittente), ut usus rationis penitus impediatur, sive ut non possint advertere se parum solide procedere: alioquin nec in ipsa excaecatione neque in iis, quae per mentis caecitatem faciunt, peccarent, quod Scripturis manifeste repugnat; sed eatenus dumtaxat, ut non sine magna difficultate recte et prudenter in eo negotio, in quo excaecati dicuntur, rationis lumine uti possint. Itaque consensus in errorem et pertinax adhaesio est adhuc libera; similiter aversio animi a consideratione et examine veritatis omnino libera permanet.

Ex his perspicuum est aliter Deum, aliter diabolum, aliter ipsum hominem excaecationis dici causam. Deus enim solum est causa negative, permissive, et per occasionem. Negative, quatenus propter peccata subtrahit seu non impertit interna vel externa auxilia, quibus homo illuminaretur... Permissive, quatenus permittit diabolo, ut per se suaque membra homines decipiat, eorumque mentes pervertat. Per occasionem, quatenus positive vel permissive est causa aliquarum rerum, ex quibus homines occasionem accipiunt errandi vel in concepto errore se firmandi...

Diabolus est causa directa et positiva, nimirum directe intendens et operans per se et sua organa ad hominum excaecationem. Non tamen efficaciter potest eam efficere absque hominis consensu, sed solum ad eam disponit. Ipse vero homo suo consensu perficit, dum veritatis dilectione et consideratione reiecta eligit errorem suis passionibus, pravis affectibus, et imaginationibus congruentem.

Excaecationem sequitur obduratio: quod enim excaecatio est in intellectu et iudicio, hoc obduratio est in voluntate et affectu. Nam quemadmodum ex illuminatione divina sequitur in voluntate promptitudo quaedam ad obsequendum Deo, et amplectendum quod ille inspiraverit, ita ex mentis caecitate sequitur durities quaedam et obstinatio in malo, per quam salutaribus monitis et divinis inspirationibus resistitur, quamvis et in ipsa excaecatione obduratio quaedam intrinsece contineatur, quatenus quis affectum adversus veritatem obdurat, nullis rationibus aut declarationibus locum relinquens. Consistit obduratio in firma et obstinata affectus ad aliquod malum propter speciem quandam boni adhaesione, qua fit, ut neque externis monitis, neque internis inspirationibus, neque flagellis, neque promissis dimoveri possit, sed velut saxum se ad omnia obduret et impenetrabilem praestet, nisi maiore quadam vi di-

vinitus impellatur. De his dicitur Ecclesiastae 7 iuxta multorum interpretationem: Considera opera Dei, quod nemo possit corrigere, quem ille despexerit; et Iob 12: Si destruxerit, nemo est qui aedificet: si incluserit hominem, nullus est qui aperiat. Quibus verbis summa difficultas indicatur, qua tales convertuntur, et raram quandam singularemque Dei opitulationem esse ad hoc necessariam.

Causa obdurationis eadem quae excaecationis et eodem modo. Deus itaque obdurare dicitur negative, permissive et per occasionem. Unde non tantum dicitur obdurare, quia non impertit gratiam, qua cor emolliretur, ut quidam DD. subinde dicere videntur; sed etiam, quia permittit diabolo, ut variis modis homines seducat et in malo obstinatos reddat, ut supra explicatum est; deinde, quia quaedam facit vel permittit, etsi ob alium finem, unde homines obstinandi se in malo occasionem accipiunt. Diabolus autem directe est causa obdurationis, variis modis hominem ad eam disponendo, de quibus satis dictum est. Ipse vero homo sua malitia proprie est causa illius effectrix, quatenus sponte malum eligit, et firmiter ei vult inhaerere, omnibus monitis et inspirationibus contrariis repudiatis ».

Ergo obstinatio complectitur et perversionem iudicii et inclinationem voluntatis in malum, et ita opponitur directe gratiae actuali, quae est illuminatio intellectus et inclinatio voluntatis in bonum. Causa obstinationis positiva interna est ipse homo, positiva externa diabolus et qui eum adiuvant, negativa et permissiva Deus. Obstinatio homini imputatur, quia libere peccando obstinationem in se causavit et quia libere perdurat in peccando.

Quaeritur ergo, utrum omnis peccator habeat gratiam ad salutem acquirendam necessariam. Cum gratia ei necessaria sit tum ad superandas aliquas tentationes, ut diu possit servare legem naturalem quoad substantiam, ut possit evitare peccatum mortale, tum etiam ad se disponendum ad iustificationem, quaestio sub diverso respectu tractari potest: habetne gratiam ad vitandum peccatum, qui actus per se non debet esse entitative supernaturalis; habetne gratiam ad actus disponentes ad iustificationem, qui actus debent esse entitative supernaturales. Principalis tamen quaestio est haec ultima, utrum scl. gratiam habeat ad conversionem. Si ad eam affirmative respondendum est, iam habetur saltem mediate adesse gratiam ad vitanda peccata; nam qui immediate habet gratiam

conversionis, potest ad iustificationem pervenire et deinde ut iustus habebit gratiam, qua potest evitare peccatum mortale [12].

In tractatu de sacramento poenitentiae probatur, nullum esse peccatum, quod ex natura sua sit irremissibile, potestatem Ecclesiae remittendi peccata neque per gravitatem alicuius peccati neque per eorum numerum restringi. Quaestio ergo solum haec potest esse, utrum fortasse Deus aliquibus hominibus, vel in poenam peccati, vel ob aliam rationem, non iam velit dare gratiam remote sufficientem ad conversionem, ita ut illis ex defectu gratiae conversio physice et moraliter impossibilis sit. Hoc quoad peccatores in genere a theologis negatur, et longe communius etiam de obduratis [13]; excipiuntur quidam banneziani, qui docent non omnibus reprobis [14] ita dari gratiam sufficientem, ut eam revera recipiant.

Gonet [15] quaerit: « An Deus det omnibus reprobis media ad salutem sufficientia? » Tres enumerat sententias: prima, quae dicit omnibus reprobis dari a Deo media ad salutem sufficientia; secunda, dicit adultis quidem ea conferri, non autem omnibus parvulis; « Tertia, vero non omnibus reprobis, etiam adultis, media ad salutem sufficientia conferri, sed quosdam adultos et parvulos in poenam peccati mortalis, actualis vel originalis, illis privari existimant... Notandum est cum Bannez, Alvarez, Zumel, et aliis thomistis citatis, quod quando quaeritur, an Deus det omnibus reprobis media seu auxilia sufficientia, verbum Dare potest accipi dupliciter. Primo ut est correlativum ad recipere, et quatenus denotat intrinsecam receptionem et applicationem divinorum auxiliorum. Secundo modo sumitur, prout significat idem quod praepa-

---

12 Theologi communiter concedunt peccatores habere gratiam immediate ad superandam particularem tentationem vel ad implendum praeceptum, si eius impletio urget; cf. s. Bellarmino, De gratia et libero arbitrio lib. 2 cap. 7; sed est quaedam disputatio utrum ad hoc, quod aliquis diu liber maneat a peccato mortali, requiratur status gratiae sanctificantis; de hac re vide Mazzella nr. 820; Pesch nr. 170; Beraza nr. 262.

13 Haec doctrina non dicit eos in singulis momentis semper habere huiusmodi gratiam; nam videtur evidens peccatorem non semper habere indeliberatas bonas cogitationes et inclinationes in bonum.

14 Nota eos formaliter loqui de reprobis, non de obduratis.

15 Clypeus theologiae thomisticae, tract. 5 disp. 5 art. 5.

rare et offerre in communi, seu paratum esse, quantum est ex parte sua, illa conferre.

Dico ergo primo: Si ly Dare sumatur, prout significat idem quod praeparare seu offerre in communi, Deus omnibus reprobis tam parvulis quam adultis dat media seu auxilia ad salutem sufficientia...

Dico secundo: Si ly Dare sumatur, prout est correlativum ad recipere, et prout significat ipsam intrinsecam receptionem auxiliorum, Deus non dat omnibus reprobis media seu auxilia ad salutem sufficientia, sed plures illis privantur in poenam peccati mortalis, actualis vel originalis. Ita docent thomistae supra citati ».

Videtur tamen haec sententia nunc esse derelicta; scribit P. Hugon [16]: « Peccatoribus omnibus, etiam obcaecatis et obduratis, dantur pro loco et tempore gratiae proxime vel remote sufficientes, quibus possint tum a peccatis commissis resipiscere tum nova peccata praecavere. — Prima pars, de peccatoribus communibus, est certa; altera vero de obcaecatis et obduratis, licet fuerit controversa, est hodie communis et tenenda ».

THESIS 20: ***Nulli peccatori adulto Deus denegat gratiam sufficientem ad salutem.***

« Nulli peccatori »: includuntur ergo etiam obdurati et excaecati.

« Adulto »: capaci actuum moralium. Sicuti Deus potest auferre ex hac vita hominem constitutum in peccato mortali eumque in aeternum damnare, ita potest etiam hominem in peccato mortali privare usu rationis per totam reliquam vitam; consequenter homo non iam capax est actus moralis neque capax conversionis. Hoc praesenti thesi non excluditur; impossibilitas conversionis in hoc casu non est ex defectu gratiae.

« Nulli denegat »: id est quilibet eam accipit; ergo non solum eo sensu dat, quod huic « dare » non respondeat recipere, sed re-

[16] Tractatus dogmatici II, 227.

vera confert. Non autem omni momento eum excitat ad conversionem, uti experientia probat, sed « suo tempore » vel « pro tempore », uti dici solet, quando e. gr. urget praeceptum poenitentiae, quando opportunae occasiones adsunt, praedicatio vel similia.

« Gratiam sufficientem »: Non affirmatur eam gratiam semper esse proxime sufficientem ad iustificationem, sed saltem est remote sufficiens, ut possit peccator orare et se ad iustificationem disponere.

Negatur thesis uti patet ab iis, qui negant voluntatem Dei salvificam universalem, uti Luther, Calvin, Iansenius; antea negabatur, ut supra dictum est, a pluribus bannezianis relate ad aliquos antecedenter negative reprobatos; hodie videtur thesis sensu universali, ergo includendo etiam obduratos, esse sententia communis et certa.

Doc. Ecclesiae

Conc. lateranense IV: « Et si post susceptionem baptismi quisquam prolapsus fuerit in peccatum, per veram potest semper poenitentiam reparari » [17]. Ergo universaliter dicitur: quisquam potest semper reparari; non autem posset, si non haberet gratiam sufficientem. — Concilium quoque tridentinum universaliter loquitur de sacramento poenitentiae « pro fidelibus, quoties post baptismum in peccata labuntur, ipsi Deo reconciliandis » [18]. — Praecipit Ecclesia omnibus adultis annuam confessionem et communionem tempore paschali [19], ergo supponit omnem peccatorem habere gratiam ad praecepta illa implenda, ad conversionem.

S. Scriptura

S. Scriptura omnes peccatores hortatur ad poenitentiam iisque promittit remissionem, nulla facta restrictione vel exceptione.

---

[17] Denz 430.
[18] Denz 911.
[19] Denz 437, 891, 901, 918.

Is 1, 18: «Et venite, et arguite me, dicit Dominus: si fuerint peccata vestra ut coccinum, quasi nix dealbabuntur: et si fuerint rubra quasi vermiculus, velut lana alba erunt». — Ez 18, 30 ss.: «Idcirco unumquemque iuxta vias suas iudicabo domus Israel, ait Dominus Deus. Convertimini et agite poenitentiam ab omnibus iniquitatibus vestris: et non erit vobis in ruinam iniquitas. Proicite a vobis omnes praevaricationes vestras, in quibus praevaricati estis, et facite vobis cor novum, et spiritum novum: et quare moriemini domus Israel? Quia nolo mortem morientis, dicit Dominus Deus, revertimini, et vivite». — Ez 33, 10 ss.: «Tu ergo fili hominis dic ad domum Israel: Sic locuti estis, dicentes: Iniquitates nostrae, et peccata nostra super nos sunt, et in ipsis nos tabescimus: quomodo ergo vivere poterimus? Dic ad eos: Vivo ego, dicit Dominus Deus: nolo mortem impii, sed ut convertatur impius a via sua et vivat. Convertimini, convertimini a viis vestris pessimis: et quare moriemini domus Israel?... Si autem dixero impio: Morte morieris, et egerit poenitentiam a peccato suo, feceritque iudicium et iustitiam, et pignus restituerit ille impius, rapinamque reddiderit, in mandatis vitae ambulaverit, nec fecerit quidquam iniustum: vita vivet et non morietur. Omnia peccata eius, quae peccavit, non imputabuntur ei: iudicium et iustitiam fecit: vita vivet». — Cfr. Prov 1, 23 ss.; Sap 11, 24 ss.; 12, 20. — Luc 5, 31 s.: «Non egent qui sani sunt medico, sed qui male habent. Non veni vocare iustos, sed peccatores ad poenitentiam». Cf. 15, 4 ss. — Rom 2, 4 ss.: «An divitias bonitatis eius, et patientiae, et longanimitatis contemnis? ignoras quoniam benignitas Dei ad poenitentiam te adducit? Secundum autem duritiam tuam et impoenitens cor, thesaurizas tibi iram in die irae et revelationis iusti iudicii Dei, qui reddet unicuique secundum opera eius». — 2 Petr 3, 9: «Non tardat Dominus promissionem suam, sicut quidam existimant: sed patienter agit propter vos, nolens aliquos perire, sed omnes ad poenitentiam reverti».

PATRES

S. AUGUSTINUS: « Turbatus est ab ira oculus meus: utrum sua, an Dei, in qua petit ne argueretur, aut corriperetur? Sed si illa diem iudicii significat, quomodo nunc potest intelligi? An inchoatio eius est, quod hic homines dolores et tormenta patiuntur, et maxime damnum intelligentiae veritatis, sicut iam commemoravi quod dictum est: Dedit illos Deus in reprobum sensum? [20]. Nam ea est caecitas mentis; in eam quisquis datus fuerit, ab interiore Dei luce secluditur, sed nondum penitus cum in hac vita est. Sunt enim tenebrae exteriores [21], quae magis ad diem iudicii pertinere intelliguntur, ut penitus extra Deum sit, quisquis, dum tempus est, corrigi noluerit, penitus enim esse extra Deum quid est, nisi esse in summa caecitate? siquidem Deus inhabitat lucem inaccessibilem [22], quo ingrediuntur quibus dicitur: Intra in gaudium Domini tui [23]. Huius igitur irae inchoatio est quam in hac vita patitur quisque peccator: timens itaque iudicii diem, laborat et plangit, ne ad illud perducatur, cuius initium tam perniciosum nunc experitur; et ideo non dixit: Exstinctus est, sed, Turbatus est ab ira oculus meus » [24].

« Hic occurrit altera quaestio, de qua quidem ut competenter aliquid disputetur, et omnes eius latebrosissimi sinus perscrutentur et excutiantur ut dignum est, nec mearum virium esse arbitror, nec angustiarum temporis, nec vestrae capacitatis. Tamen quia transire ad alia vestra exspectatione non sinimur, nisi aliquid inde dicamus, accipite quod potuerimus... Quid fecerunt Iudaei, vel quae culpa eorum fuit, si necesse erat ut sermo Isaiae prophetae impleretur quem dixit: Domine, quis credidit auditui nostro? et brachium Domini cui revelatum est? Quibus respondemus, Dominum praescium futurorum per Prophetam praedixisse infidelitatem Iu-

---

20 Rom 1, 28.
21 Matth 25, 30.
22 1 Tim 6, 16.
23 Matth 25, 21. 23.
24 Enarr. in Ps 6, 8. 9; ML 36, 94 s.

daeorum; praedixisse tamen, non fecisse... Sed et quae sequuntur Evangelii verba plus urgent, et profundiorem faciunt quaestionem: adiungit enim, et dicit: Propterea non poterant credere, quia iterum dixit Isaias: Excaecavit oculos eorum, et induravit cor eorum, ut non videant oculis, et intelligant corde, et convertantur, et sanem illos. Dicitur enim nobis: Si non potuerunt credere, quod peccatum est hominis non facientis quod non potest facere? si autem non credendo peccaverunt, potuerunt ergo credere et non fecerunt... Audistis, fratres, propositam quaestionem, nempe quam profunda sit cernitis: sed respondemus, ut possumus. Non poterant credere, quia hoc Isaias propheta praedixit: Hoc autem Propheta praedixit, quia Deus hoc futurum esse praescivit. Quare autem non poterant, si a me quaeratur, cito respondeo: quia nolebant. Malam quippe eorum voluntatem praevidit Deus, et per Prophetam praenuntiavit ille cui abscondi futura non possunt. Sed aliam causam, inquis, dicit Propheta, non voluntatis eorum. Quam causam dicit Propheta? Quia dedit illis Deus spiritum compunctionis; oculos, ut non videant, et aures, ut non audiant, et excaecavit oculos eorum, et induravit cor eorum. Etiam hoc eorum voluntatem meruisse respondeo. Sic enim excaecat, sic obdurat Deus, deserendo et non adiuvando, quod occulto iudicio facere potest, iniquo non potest... Non itaque mirum est quia non poterant credere, quorum voluntas sic superba erat, ut ignorantes Dei iustitiam, suam vellent constituere, sicut dicit de illis Apostolus: Iustitiae Dei non sunt subiecti [25]. Quia enim non ex fide, sed tamquam ex operibus tumuerunt; ipso suo tumore caecati, offenderunt in lapidem offensionis. Sic autem dictum est non poterant, ubi intelligendum est quod nolebant; quemadmodum dictum est de Domino Deo nostro: Si non credimus, ille fidelis permanet, negare seipsum non potest [26]. De omnipotente dictum est: non potest. Sicut ergo quod Dominus negare seipsum non potest, laus est voluntatis divinae; ita quod illi non poterant credere, culpa est voluntatis humanae » [27]. Ergo impossibilitas

---

25 Rom 10, 3.
26 2 Tim 2, 13.
27 In Ioannis evangelium tract. 53, 12, nr. 4 ss.; ML 35, 1775 ss

conversionis non tribuitur defectui gratiae, sed malae ipsorum voluntati, quae gratiae resistit.

« Loco alio peccatum fratris ad mortem, de quo dicit Ioannes apostolus: Non pro illo dico ut roget quis [28], ita definivi ut dicerem: Peccatum fratris ad mortem puto esse cum post agnitionem Dei per gratiam Domini nostri Iesu Christi quisque oppugnat fraternitatem, et adversus ipsam gratiam qua reconciliatus est Deo, invidentiae facibus agitatur [29]. Quod quidem non confirmavi, quoniam hoc putare me dixi: sed tamen addendum fuit, si in hac tam scelerata mentis perversitate finierit hanc vitam; quoniam de quocumque pessimo in hac vita constituto non est utique desperandum, nec pro illo imprudenter oratur, de quo non desperatur » [30].

S. Prosper: « Obiectio: Quod omnes illi fideles et sancti, qui ad aeternam mortem praedestinati sunt, postea quam ceciderint, sic a Deo dispensentur, ut nec possint nec velint per poenitentiam liberari. Responsio: Non veraciter, nec sapienter hoc dicitur. Qui enim a fide et sanctitate exciderunt, sicut voluntate prolapsi sunt, ita voluntate non surgunt, et dominatum concupiscentiarum, quibus succubuerunt, sponte patiuntur. Si qui autem captivitatem suam gemunt, et iudicantes semetipsos, ad misericordiam Dei mutato corde confugiunt, non sine spiritu divinae visitationis hoc faciunt. Haec enim mutatio dexterae Excelsi [31]; qui innumeris lapsis dat poenitentiam, ut resipiscant a diaboli laqueis, a quo captivi tenebantur ad ipsius voluntatem [32]. Nemini autem Deus correctionis adimit viam, nec quemquam boni possibilitate dispoliat. Quia qui se a Deo avertit, ipse et velle quod bonum est, et posse sibi sustulit. Non est ergo consequens, sicut putant qui talia obiciunt, ut Deus quibus poenitentiam non dederit, resipiscentiam abstulerit et quos non levarit, alliserit; cum aliud sit insontem in crimen egisse, quod

---

[28] 1 Io 5, 16.
[29] De sermone Domini in monte lib. 1 cap. 22 nr. 75.
[30] Retract. lib. 1, 19 nr. 7; ML 32, 616.
[31] Ps 76, 11.
[32] 1 Tim 2, 26.

alienum est a Deo; aliud criminoso veniam non dedisse quod de peccatoris est merito »[33].

S. Cyrillus Alexandrinus: « Cum ait (Deus) peccatoribus: Adhuc habebis auxilium[34], in spem ac fiduciam erigit, licet multis et inevitabilibus culpis sint impliciti, reservari tamen bonitatis et humanitatis reliquias, nec quidquam obstare quominus et illi quoque serventur, si velint redire ad meliora et decentiora et eius legibus consentanea »[35].

S. Caesarius Arelatensis: « Numquam Deus deserit hominem, nisi prius ab homine deseratur. Cum enim semel et secundo et tertio unusquisque gravia peccata commiserit, exspectat tamen illum Deus, sicut per prophetam dicit ut convertatur et vivat[36]. Cum vero in peccatis suis coeperit permanere, de multitudine peccatorum nascitur desperatio et ex desperatione obduratio gene-

Theologi

Theologi nunc in hac quaestione conveniunt. S. Thomas: Potest quis habere firmitatem in peccato « ita, quod non de facili possit cooperari ad hoc quod exeat de peccato; et haec est obstinatio imperfecta, qua aliquis potest esse obstinatus in statu viae, dum scilicet habet aliquis ita firmatam voluntatem in peccato quod non surgunt motus ad bonum nisi debiles. Quia tamen aliqui surgunt, ex eis datur via ut praeparentur ad gratiam »[37].

Sequitur haec veritas ex iis, quae in tractatu de praedestinatione diximus de seria voluntate Dei salvifica universali; in omni enim signo, in quo haec voluntas seria manet, Deus gratiam saltem remote sufficientem ad conversionem confert.

---

33 Resp. ad obiect. vinc. cap. 15; ML 51, 185. Cfr. De vocatione omnium gentium lib. 1 cap. 21; ML 51, 674; lib. 2 cap. 13; ML 51, 698.

34 Is 44, 2; LXX.

35 In Isaiam comm. 4, 2; MG 70, 920; R 2097.

36 Ez 33, 11.

36bis ML 39, 1786; R 2232.

37 De veritate q. 24 art. 11.

Ad solvendas obiectiones attendendum est, Deum per se non habere specialem benevolentiam erga eos, qui volunt in peccato manere, eum peccatores deserere, postquam ipsi Deum deseruerunt, eis subtractionem gratiae minari et eam etiam eis subtrahere, sed non ita, ut ne remote quidem sufficientem eis interdum conferat[38]. Hinc ad textus, qui opponuntur, solutio generalis est: Ergo non habent gratiam abundantem et proxime sufficientem, transeat; non saltem remote sufficientem, dist. non semper, transeat; numquam, nego. Obiectiones vide apud s. Thomam, De veritate q. 24 art. 11; Beraza nr. 421 ss.

THESIS 21: ***Infidelibus negativis adultis Deus non denegat gratiam sufficientem ad salutem.***

Infideles negativi ii intelliguntur, ad quos numquam pervenit praedicatio evangelii, qui proinde sine propria culpa nihil sciunt de facto revelationis et hinc sine personali culpa non possunt elicere actum fidei. Esse infidelitatem negativam inculpabilem constat. Pius V damnavit Baii prop. 68: «Infidelitas pure negativa in his (in) quibus Christus non est praedicatus, peccatum est»[39]. Similiter Pius IX.: «Pro certo pariter habendum est, qui verae religionis ignorantia laborant, si ea sit invincibilis, nulla ipsos obstringi huiusce rei culpa ante oculos Domini»[40]. De his specialis movetur quaestio, quia ex una parte fides eaque actualis omnibus adultis necessaria est ut perveniant ad salutem[41], ex altera autem parte sine propria culpa in tali statu inveniuntur, ut iis omnino impossibile sit actum fidei elicere; sic ergo videntur non habere auxilium sufficiens ut possint venire ad salutem.

Thesis loquitur de infidelibus adultis, id est de iis qui sunt capaces actuum moralium; quia solum in illis sermo esse potest de collatione gratiae actualis.

---

38 Vide supra Lessii explicationem obcaecationis et explicationem s. Augustini ad verba Io 12, 30.

39 Denz 1068.

40 Denz 1647. — Infideles positivi ii sunt, qui credere quidem potuerunt, propria autem culpa credere noluerunt; quoad eos idem valet, quod praecedenti thesi dictum est de peccatoribus.

41 Cf. thesim 6. pag. 135 ss.; De virtutibus theologicis nr. 357 ss.

Adversantur huic thesi iidem qui praecedentem thesim negant.

Quod infidelibus negativis adultis pro tempore concedatur gratia saltem remote sufficiens, ut possint venire ad salutem nunc est sententia quasi communis et certa.

Sensus huius doctrinae est: Adulti possunt pervenire ad cognitionem Dei et obligationum quas habent, et actus moraliter honestos et malos ponere. Cum Deus serio omnium salutem velit, omnibus concedit possibilitatem vitandi peccatum mortale. Hanc possibilitatem partim habent ipsis suis viribus naturalibus, cum non omnes tentationes et difficultates excedant vires physicas et morales hominum. Si autem occurrunt difficultates, quas superare viribus naturalibus moraliter est impossibile, Deus propter Christum iis concedit auxilium, quo possint eas superare. Hoc auxilium non debet esse entitative supernaturale, sed potest esse entitative naturale, supernaturale quoad modum. Si homo tentationibus succumbit et graviter peccat, simile dicendum videtur, quod dictum est praecedenti thesi de peccatoribus, scl. quod pro tempore habebunt adhuc auxilium saltem remote sufficiens ad vitanda alia peccata mortalia. Si quis autem non mortaliter peccat, sed legem naturalem observat, Deus talem habebit circa eum providentiam, ut possit elicere actum fidei ad salutem necessarium et ita positive se praeparare ad iustificationem; ergo nemo moraliter adultus punitur aeterna poena cum solo peccato originali. Quomodo autem Deus actum fidei in tali casu homini possibilem reddat, determinate dici nequit, quamdiu plures viae Deo possibiles sunt neque Deus nobis revelavit, qualem ex possibilibus eligere velit; immo ex eo, quod nos indicare non possimus, quae via Deo sit possibilis, non sequitur, ut nulla sit Deo possibilis [42]. De numero eorum, qui ita per specialem Dei providentiam perducuntur ad veram fidem, utrum sit magnus, parvus, nihil omnino scimus, quia Deus hoc non revelavit [43]. « Quamdiu vero in terris versamur mortali hac gravati mole, quae hebetat animam, firmissime teneamus ex ca-

---

[42] De virtutibus theologicis nr. 373.
[43] De virtutibus theologicis nr. 375.

tholica doctrina unum Deum esse, unam fidem, unum baptisma[44]; ulterius inquirendo progredi nefas est »[45].

Haec doctrina nihil aliud est, quam applicatio principii: Facienti quod est in se Deus non denegat gratiam. Hoc axioma vario quidem modo intelligi potest et intellectum est[46]; multi theologi intellexerunt illud et intelligunt sensu negativae dispositionis ad recipiendam gratiam actualem supernaturalem[47]. Principium sic intellectum est modus specialis considerandi vel enuntiandi voluntatem Dei salvificam universalem. Ex hac enim seria et operosa voluntate Deus vult conferre auxilia necessaria ad salutem; consequenter Deus gratiam dabit homini, qui non ponit impedimentum contra gratiam per peccatum. Si enim tali homini Deus gratiam denegaret, signum esset non adesse seriam voluntatem salvificam universalem. Non ponere impedimentum gratiae, non peccare fieri potest per actus entitative naturales. Tales actus non sunt dispositio positiva ad gratiam, sed negativa, id est homo, qui non committit peccatum mortale minus indispositus est ad recipiendam gratiam, quam ille qui peccat. Et hoc est quod dicit thesis: Deus infidelem negativum, qui quantum in se est legem naturalem observat, et non peccat, iuvabit, ut actibus supernaturalibus positive se disponere possit ad iustificationem.

Doc. Ecclesiae

Alexander VIII damnavit errores iansenistarum: « 4. Christus dedit semetispum pro nobis oblationem Deo, non pro solis electis, sed pro omnibus et solis fidelibus. — 5. Pagani, Iudaei, haeretici aliique huius generis nullum omnino accipiunt a Iesu Christo influxum: adeoque hinc recte inferes, in illis esse voluntatem nudam et inermem sine omni gratia sufficienti »[48].

---

[44] Eph 4, 5.

[45] Pius IX; Denz 1647.

[46] De variis significationibus huius axiomatis vide Pesch nr. 210-216; Lange 237-246.

[47] Supra pag. 138.

[48] Denz 1294 s.

Clemens XI damnavit errores Quesnel: « 26. Nullae dantur gratiae nisi per fidem. — 27. Fides est prima gratia et fons omnium aliarum. — 29. Extra Ecclesiam nulla conceditur gratia » [49].

Pius IX: « Ceterum prout caritatis ratio postulat, assiduas fundamus preces, ut omnes, quaquaversus gentes ad Christum convertantur, communique hominum saluti pro viribus inserviamus, neque enim abbreviata est manus Domini [50], gratiaeque caelestis dona nequaquam illis defutura sunt, qui hac luce recreari sincero animo velint et postulent » [51]. — « Notum Nobis vobisque est, eos, qui invincibili circa sanctissimam nostram religionem ignorantia laborant, quique naturalem legem eiusque praecepta in omnium cordibus a Deo insculpta sedulo servantes ac Deo obedire parati, honestam rectamque vitam agunt, posse, divinae lucis et gratiae operante virtute, aeternam consequi vitam, cum Deus, qui omnium mentes, animos, cogitationes habitusque plane intuetur, scrutatur et noscit, pro summa sua bonitate et clementia minime patiatur, quempiam aeternis puniri suppliciis, qui voluntariae culpae reatum non habeat » [52].

S. Scriptura

S. Scriptura explicite non agit de nostra quaestione; sed ea, quae thesis dicit, continentur in doctrina de seria voluntate Dei salvifica universali in omni signo antecedente finalem impoenitentiam, et in doctrina de Christo Redemptore omnium hominum [53]. Haec enim universalitas non adesset, si ingens numerus infidelium negativorum exclusus esset ab omni influxu redemptionis Christi.

---

49 Denz 1376 ss.
50 Is 59, 1.
51 Denz 1648.
52 Denz 1677.
53 De Deo uno nr. 436 ss.

PATRES

S. CLEMENS ROMANUS: « Sanguinem Christi intentis oculis intueamur, et cognoscamus quam pretiosus sit Deo et Patri eius, qui propter nostram salutem effusus toti mundo poenitentiae gratiam obtulit. Perveniamus ad omnes mundi aetates, et discamus quod in omni generatione volentibus ad ipsum converti Dominus poenitentiae locum concesserit »[54].

S. IOANNES CHRYSOSTOMUS: « Si illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum[55], quonam pacto tot homines sine lumine manent? Neque enim omnes Christum cognoscunt. Quomodo ergo illuminat omnem hominem? Illuminat profecto, quantum in ipso est. Si qui autem sponte sua mentis oculos claudentes ad huius lucis radios aciem dirigere noluerint, non ex luminis natura in tenebris perstiterunt, sed malitia sua, qui sponte tanto se dono indignos reddiderunt. Nam gratia in omnes diffusa est, non iudaeum, non graecum, non barbarum, non scytham, non liberum, non servum, non virum, non mulierem, non senem, non iuvenem effugit aut dedignatur; omnibus eadem est, omnibus se facilem exhibet, omnes pari honore advocat. Qui autem eius munere frui neglegunt, hanc suam caecitatem sibi ipsis imputent »[56].

S. AMBROSIUS: « Plena est ergo terra misericordiae Domini; quia omnibus est data remissio peccatorum. Super omnes sol oriri iubetur. Et hic quidem sol cotidie super omnes oritur. Mysticus autem sol ille iustitiae omnibus ortus est, omnibus venit, omnibus passus est et omnibus resurrexit; ideo autem passus est, ut tolleret peccatum mundi. Si quis autem non credit in Christum, generali beneficio ipse se fraudat »[57].

S. AUGUSTINUS: « Et non est qui se abscondat a calore eius[58].

---

[54] Epist ad Corinthios 7. 4 s.; R 12.
[55] Io 1, 9.
[56] In Ioannem homil. 8, 1; MG 59, 65; cf. R 1158.
[57] Expos. in Psalm. 118, serm. 8, 57; ML 15, 1318; R 1313.
[58] Ps 18, 7.

Cum autem Verbum etiam caro factum est et habitavit in nobis mortalitatem nostram suscipiens, non permisit ullum mortalium excusare se de umbra mortis; et ipsam enim penetravit Verbi calor »[59].

« Illud autem lumen[60] non irrationabilium avium oculos pascit, sed pura corda eorum, qui Deo credunt, et ab amore visibilium rerum et temporalium se ad eius praecepta implenda convertunt. Quod omnes homines possunt si velint, quia illud lumen omnem hominem illuminat venientem in hunc mundum »[61]. Ad hunc textum postea notat: « Quod vero dixi: Illud autem lumen etc., non putent novi haeretici Pelagiani secundum eos esse dictum. Verum est enim omnino omnes homines hoc posse, si velint; sed praeparatur voluntas a Domino et tantum augetur munere caritatis, ut possint. Quod hic ideo dictum non est, quoniam praesenti necessarium non erat quaestioni »[62].

Paulus Orosius: « Mea semper haec est fidelis atque indubitata sententia, Deum adiutorium suum non solum in corpore suo, quod est Ecclesia, cui specialia ob credentium fidem gratiae suae dona largitur, verum etiam universis in hoc mundo gentibus propter longanimem sui aeternamque clementiam subministrare, non, ut tu (Pelagius) asseris cum discipulo tuo Caelestio, cui iam apud africanam synodum occulta illa impiorum dogmatum natura contusa est, in solo naturali bono et in libero arbitrio generaliter universis unam gratiam contributam, sed speciatim cotidie per tempora, per dies, per momenta, per atomos et cunctis et singulis ministrare »[63].

S. Prosper (?): « Sive igitur novissima contemplemur saecula, seu prima, seu media, rationabiliter et pie creditur omnes homines salvos fieri Deum velle, semperque voluisse, et hoc non aliunde monstratur quam de iis beneficiis, quae providentia Dei universis generationibus communiter atque indifferenter impendit. Fue-

---

59 Enarr. 1 in Ps 18 nr. 7; ML 36, 155; R 1461.

60 Io 1, 9.

61 De genesi contra Manichaeos 1, 3, 6; ML 34, 176; R 1539.

62 Retractat. 1, 9, 2; ML 32, 599; R 1968.

63 Liber apologeticus 19; ML 31, 1188; R 2020.

runt enim ac sunt huiusmodi dona ita generalia, ut ipsorum testimonio ad quaerendum verum Deum possent homines adiuvari: quibus donis auctorem suum per omnia saecula protestantibus, specialis gratiae largitas superfusa est. Quae licet copiosius nunc quam ante praestetur, causa tamen distributionum suarum Dominus apud scientiam suam tenuit, et intra secretum potentissimae voluntatis occuluit; quae si omnibus uniformiter affluerent, non laterent; et quam nulla est ambiguitas de benignitate generali, tam de speciali misericordia nihil quod stupendum esset exsisteret; ac proinde illa esset gratia, ista non esset. Deo autem placuit et hanc multis tribuere, et illam a nemine submovere; ut ex utraque appareat non negatum universitati, quod collatum est portioni, sed in aliis praevaluisse gratiam, in aliis resiluisse naturam »[64].

« Quamvis enim multi amantes tenebras suas, splendorem non recipiant veritatis, et multi qui illuminati fuerant, tenebrescant, verbum tamen Dei manet in aeternum[65], et de promissionis veritate nihil excidit. Intrat quotidie praescita et promissa gentium plenitudo, et in Abrahae semine omnis gens, omnis tribus, omnis lingua benedicitur. Quod enim Pater Filio dedit, Filius non amittit, neque quisquam potest de manu eius rapere quod accepit[66]. Firmum fundamentum Dei stat[67], et mansuri in aeternum templi aedificatio non vacillat, praetenta super omnes veritate et misericordia Dei; a quo quod et nemini negatur, et nulli debetur, in iis quos promisit et efficitur. Ipse enim operatur omnia in omnibus[68], sed omnia proculdubio iusta et bona. Universae enim viae Domini misericordia et veritas[69]. Qui sicut praescivit ante saecula, quanta totius mundi hominum multitudo vel communibus usa donis, vel specialibus adiuta praesidiis, declinans tamen ab itinere veritatis et vitae, ingressura esset latitudinem erroris et mortis: ita semper praecognitum habuit, quantus piorum numerus per

---

64 De vocatione omnium gentium 2, 25; ML 51, 710 s.
65 Is 40, 8.
66 Io 6, 39; 10, 29.
67 2 Tim 2, 19.
68 1 Cor 12, 6.
69 Ps 24, 10.

opem gratiae et per servitutem obedientiae ad aeternam beatitudinem pertineret: ut nullo excidente de plenitudine promissorum, qui nec provectu erat fallendus, nec auxilio defuturus, eos glorificaret prae omnibus quos elegit ex omnibus. Universitati quippe hominum, quod abunde probavimus, ita multiplex atque ineffabilis bonitas Dei consuluit semper et consulit, ut neque ulli pereuntium excusatio suppetat de abnegato sibi lumine veritatis, neque cuiquam sit liberum de sua iustitia gloriari; cum et illos propria nequitia demergat ad poenam, et istos Dei gratia perducat ad gloriam » [70].

---

[70] Ibid. 2, 29.

LIBRI ET ARTICULI

qui pro tractatu de gratia consuli possunt

Recenter maiores de gratia tractatus ediderunt: C. MAZZELLA, *De gratia Christi.* 3. ed. Romae 1892. — D. PALMIERI, *De gratia actuali,* Galopiae 1885. — S. SCHIFFINI, *Tractatus de gratia divina.* Friburgi 1901. — G. LAHOUSSE, *Tractatus de gratia divina.* Brugis 1902. — PESCH, *Praelectiones dogmaticae,* tom. 5. 4. ed. Friburgi 1916. — L. BILLOT, *De gratia Christi.* Prati 1912. — B. BERAZA, *Tractatus de gratia Christi.* Bilbao 1916. — H. LANGE, *De gratia.* Friburgi 1929.

BARTMANN, *St. Paulus und St. Jacobus über die Rechtfertigung.* Freiburg 1897. — ED. TOBAC, *Le problème de la justification dans s. Paul.* Louvain 1908. — R. FRUTSAERT, *La « justice de Dieu » dans s. Paul.* Recherches de science rel. 2 (1911) 167-181. — A. RADEMACHER, *Die übernatürliche Lebensordnung nach der paulinischen und johanneischen Theologie.* Freiburg 1903. — M.-J. LAGRANGE, *La justification d'après s. Paul.* Revue biblique 11 (1914) 321-343; 479-503. — J. WOBBE, *Der Charis-Gedanke bei Paulus.* Münster 1932. — C. M. PERELLA, *De iustificatione secundum ep. ad Hebraeos.* Biblica 14 (1933) 1-21; 150-169. — E. TOBAC, *Le problème de la justification dans saint Paul et dans saint Jacques.* Revue d'Histoire eccl. 22 (1926) 797-805. — ROUSSELOT, *La grâce d'après s. Jean et d'après s. Paul.* Rech. de science rel. 18 (1928) 87-104.

A. STRUCKER, *Die Gottebenbildlichkeit des Menschen in der christlichen Literatur der ersten 2 Jahrhunderte.* Münster 1913. — L. BAUR, *Untersuchungen über die Vergöttlichungslehre in der Theologie der griechischen Väter.* Theol. Quartalschrift 98 (1916) 467-491. — O. FALLER, *Griechische Vergottung und christliche Vergöttlichung.* Gregorianum 6 (1925) 405-435. — FR. STOLL, *Die Lehre des hl. Irenaeus von der Erlösung und Heiligung.* Der Katholik 85 (1905 I) 46-71; 87-109; 181-201; 264-289; 349-353. — C. VERFAILLIE, *La doctrine de la justification dans Origène d'après son commentaire de l'épître aux Romains.* Strasbourg 1926. — L. ATZBERGER,

Die Logoslehre des hl. Athanasius. München 1880. — G. A. PELL, *Die Lehre des hl. Athanasius von der Sünde und Erlösung.* Passau 1888. — H. STRAETER, *Die Erlösungslehre des hl. Athanasius.* Freiburg 1894. — E. SCHOLL, *Die Lehre des hl. Basilius von der Gnade.* Freiburg 1881. — F. K. HÜMMER, *Des hl. Gregor von Nazianz des Theologen Lehre von der Gnade.* Kempten 1890. — F. HILT, *Des hl. Gregor von Nyssa Lehre vom Menschen.* Köln 1890. — J. B. AUFHAUSER, *Die Heilslehre des hl. Gregor von Nyssa.* München 1910.

J. MAUSBACH, *Die Ethik des hl. Augustinus.* 2. ed. Freiburg 1929. — J. ERNST, *Die Werke und Tugenden der Ungläubigen nach St. Augustin.* Freiburg 1871. — SCHANZ, *Augustinus und Rechtfertigung.* Theologische Quartalschrift 83 (1901) 481-528. — O. ROTTMANNER, *Der Augustinismus,* München 1892. — O. PFÜLF, *Zur Prädestinationslehre des hl. Augustinus.* Zeitschrift für kath. Theologie 17 (1893) 483-495. — K. KOLB, *Menschliche Freiheit und göttliches Vorauswissen nach Augustin.* Freiburg 1908. — TR. SALGUEIRO, *La doctrine de s. Augustin sur la grâce d'après le Traité à Simplicien.* Porto 1925. — BOYER, *Le système de saint Augustin sur la grâce, paraphrase du De correptione et gratia.* Recherches de sciences rel. 20 (1930) 481-505. — K. ROMEIS, *Zum Begriff des Uebernatürlichen in der Lehre des hl. Augustin.* Grabmann-Mausbach, Aurelius Augustinus, Köln 1930, 225-241. — KOCH, *Die Autorität des hl. Augustin in der Lehre von der Gnade und der Praedestination.* Theol. Quartalschrift 73 (1891) 95-136; 287-304; 455-487.

FR. WÖRTER, *Der Pelagianismus nach seinem Ursprung und seiner Lehre.* 2. ed. Freiburg 1874. — F. KLASEN, *Die innere Entwicklung des Pelagianismus.* Freiburg 1882. — J. ERNST, *Pelagianische Studien. Kritische Randbemerkungen zu Klasen und Wörter.* Der Katholik 52 (1884 II) 225-259; 53 (1885 I) 241-269. — FR. WÖRTER, *Beiträge zur Dogmengeschichte des Semipelagianismus.* Paderborn 1898. — IDEM, *Zur Dogmengeschichte des Semipelagianismus.* Münster 1899. — A. HOCH, *Die Lehre des Johannes Cassianus von Natur und Gnade.* Freiburg 1895. — LAUGIER, *St. Jean Cassien et sa doctrine sur la grâce.* Lyon 1908. — A. KOCH, *Der hl. Faustus, Bischof von Riez.* Mergentheim 1895. — J. ERNST, *Die dogmatische Geltung der Beschlüsse des 2 Konzils von Orange.* Zeitschr. für kath. Theologie 30 (1906) 650-670. — DE BLIC, *Sur le canon 22 du concile d'Orange.* Gregorianum 7 (1926) 396-402.

E. WEIGL, *Die Heilslehre des hl. Cyrill von Alexandrien.* Mainz 1905. — J. MAHÉ, *La sanctification d'après saint Cyrille d'Alexandrie.* Revue d'Histoire eccl. 10 (1909) 30-40; 469-492.

LANDGRAF, *Die Gnadenökonomie des alten Bundes nach der Lehre der Frühscholastik.* Zeitschr. für kath. Theologie 57 (1933) 215-253. — IDEM, *Studien zur Erkenntnis des Uebernatürlichen in der Frühscholastik.* Scholastik 4 (1929) 1-37; 189-220; 352-389. — IDEM, *Die Erkenntnis der heilig-*

machenden Gnade in der Frühscholastik. Scholastik 3 (1928) 28-64. — IDEM, *Die Erkenntnis der helfenden Gnade in der Frühscholastik.* Zeitschr. für kath. Theologie 55 (1931) 177-238; 403-437; 562-591. — IDEM, *Die Vorbereitung auf die Rechtfertigung und die Eingiessung der heiligmachenden Gnade in der Frühscholastik.* Scholastik 6 (1931) 42-62; 222-247; 354-380; 481-504. — IDEM, *Der Gerechtigkeitsbegriff des hl. Anselm von Canterbury und seine Bedeutung für die Theologie der Frühscholastik.* Divus Thomas (Freiburg) 5 (1927) 155-177. — IDEM, *Die Bestimmung des Verdienstgrades in der Frühscholastik.* Scholastik 8 (1933) 1-40. — J. SCHUPP, *Die Gnadenlehre des Petrus Lombardus.* Freiburg 1932.

H. DOMS, *Die Gnadenlehre des seligen Albertus Magnus.* Breslau 1929. — G. BOZITKOVIC, *S. Bonaventurae doctrina de gratia et libero arbitrio.* Friburgi (Helvet.) 1919. — F. MITZKA, *Die Lehre des hl. Bonaventura von der Vorbereitung auf die heiligmachende Gnade.* Zeitschr. für kathol. Theologie 50 (1926) 27-72; 220-252. — M. SCHULTES, *Circa doctrinam s. Thomae de iustificatione.* Angelicum 3 (1926) 166-175. — WEIJENBERG, *Die Verdienstlichkeit der menschlichen Handlungen nach der Lehre des hl. Thomas von Aquin.* Freiburg 1931. — RIVIÈRE, *Saint Thomas et le mérite « de congruo ».* Revues des sciences religieuses 7 (1927) 641-649. — PARTH. MINGES, *Die Gnadenlehre des Duns Scotus auf ihren angeblichen Pelagianismus und Semipelagianismus geprüft.* Münster 1906. — IDEM, *Der Wert der guten Werke nach Scotus.* Theologische Quartalschrift 89 (1907) 76-93.

H. DENIFLE, *Die abendländischen Schriftausleger bis Luther über Iustitia Dei (Rom 1, 17) und Iustificatio.* Mainz 1905. — K. FECKES, *Die Rechtfertigungslehre des Gabriel Biel und ihre Stellung innerhalb der nominalistischen* Schule. Münster 1925. — IDEM, *Die Stellung der nominalistischen Schule zur aktuellen Gnade.* Röm. Quartalschrift 32 (1924) 157-165. — JEDIN, *Ein Streit um den Augustinismus vor dem Tridentinum 1537-1543.* Römische Quartalschrift 35 (1927) 351-368. — FR. HÜNERMANN, *Die Rechtfertigungslehre des Kardinals G. Contarini.* Theol. Quartalschrift 102 (1921) 1-22. — F. X. LINSENMANN, *Albertus Pighius und sein theologischer Standpunkt.* Theol. Quartalschrift 48 (1866) 571-644. — ST. EHSES, *Johannes Groppers Rechtfertigungslehre auf dem Konzil von Trient.* Röm. Quartalschrift 20 (1906) 175-188. — Alia quae ad concilium tridentinum spectant indicata sunt pag. 49 s.

STEGMÜLLER, *Gratia sanans. Zum Schicksal des Augustinismus in der Salmantizenserschule.* Grabmann-Mausbach, Aurelius Augustinus, Köln 1930, 395-409.

Pro historia « Congregationum de auxiliis » vide: ASTRÁIN, *Historia de la Compañía de Jesùs en la asistencia de España,* IV, Madrid 1913. — L. v. PASTOR, *Geschichte der Päpste seit dem Ausgang des Mittelalters, XI; XII.* Freiburg 1927. — R. DE SCORAILLE, *François Suárez.* Paris 1912; 1913.

G. SCHNEEMANN, *Controversiarum de divinae gratiae liberique arbitrii concordia initia et progressus.* Friburgi 1881. — A. M. DUMMERMUTH, *S. Thomas et doctrina praemotionis physicae, seu Responsio ad R. P. Schneemann S. I. aliosque doctrinae scholae thomisticae impugnatores.* Parisiis 1886. — V. FRINS, *S. Thomae Aquinatis O. P. doctrina de cooperatione Dei cum omni natura creata praesertim libera, seu S. Thomas praedeterminationis physicae ad omnem actionem creatam adversarius. Responsio ad R. P. A. M. Dummermuth O. P.* Parisiis 1893. — A. M. DUMMERMUTH O. P., *Defensio doctrinae S. Thomae Aq. de praemotione physica seu Responsio ad R. P. V. Frins S. I.* Lovanii 1895. — V. FRINS, *Replik auf das von P. F. A. M. Dummermuth O. P. herausgegebene Buch: Defensio doctrinae S. Thomae.* Zeitschrift für kath. Theologie 20 (1896) 626-669. — N. DEL PRADO, *De gratia et libero arbitrio.* 3 tom. Friburgi (Helv.) 1907. — I. STUFLER, *D. Thomae Aquinatis doctrina de Deo operante in omni operatione naturae creatae praesertim liberi arbitrii.* Oeniponte 1923. — FR. ZIGON, *Divus Thomas arbiter controversiae de concursu divino.* Goritiae 1923.

M. LIMBOURG, *Selbstzeichnung der thomistischen Gnadenlehre.* Zeitschrift für kathol. Theologie 1 (1877) 161-221. — IDEM, *Die zureichende Gnade im Thomismus.* Ibid. 1 (1877) 497-525. — IDEM, *Gnade und Freiheit.* Ibid. 3 (1879) 98-130. — IDEM, *Gott und die Sünde.* Ibid. 4 (1880) 34-73. — IDEM, *Kardinal Kajetan.* Ibid. 4 (1880) 239-279. — F. MARIN-SOLA, *El sistema tomista sobra la moción divina.* La Ciencia Tomista 32 (1925) 5-54. — IDEM, *Respuesta a algunas objeciones acerca del sistema tomista sobre la moción divina.* Ibid. 33 (1926) 5-74. — IDEM, *Nuevas objeciones acerca del sistema tomista sobra la moción divina.* Ibid. 33 (1926) 321-397.

STEGMÜLLER, *Zur Gnadenlehre des jungen Suárez.* Freiburg 1933. — X. M. LE BACHELET, *Prédestination et grâce efficace. Controverses dans la Compagnie de Jésus au temps d'Aquaviva (1610-1613).* 2 tom. Louvain 1931. — VANSTEENBERGHE, *Molinisme.* Dict. de Théol. Cath. 10, 2094-2187. — W. LURZ, *Adam Tanner und die Gnadenstreitigkeiten des 17. Jahrhunderts.* Breslau 1932. — A. BONET, *La filosofia de la libertad en las controversias teológicas del siglo XVI y primera mitad del siglo XVII.* Barcelona 1932. — J. B. RAUSS, *La doctrine de s. Alphonse sur la Vocation et la Grâce.* Lyon 1926.

F. X. LINSENMANN, *Michael Baius und die Grundlagen des Jansenismus.* Tübingen 1867. — LE BACHELET, *Baius.* Dict. de Théol. Cath. 2, 38-111. — F. X. JANSEN, *Baius et le Baianisme.* Louvain 1927. — J. PAQUIER, *Le Jansénisme.* Paris 1909. — A. DE MEYER, *Les premières controverses jansénistes en France (1640-1649).* Louvain 1917. — A. DE BECDELIÈVRE, *Jansénisme.* Dict. Apol. 2, 1153-1192. — J. CARREYRE. *Jansénisme.* Dict. de Théol. Cath. 8, 476-529.

VILLADA, *De effectibus formalibus gratiae habitualis.* Vallisoleti 1899. — P. DUMONT, *Le caractère divin de la grâce d'après la théologie scola-*

stique. Revue des sciences religieuses 13 (1933) 517-552; 14 (1934) 62-95. — A. Zychlinski, *De supernaturali vitalitate gratiae sanctificantis virtutumque infusarum quaestio brevis*. Divus Thomas (Freib.) 3 (1925) 445-452.

A. Scholz, *De inhabitatione Spiritus Sancti*. Wirceburgi 1854. — P. Oberdoerfer, *De inhabitatione Spiritus Sancti in animabus iustorum*. Tornaci 1890. — Froget, *De l'inhabitation du Saint-Esprit dans les âmes justes d'après la doctrine de Saint Thomas d'Aquin*. Paris 1900. — Galtier, *L'habitation en nous des trois Personnes*. Paris 1928. — L. v. Rudloff, *Des heiligen Thomas Lehre von der Einwohung Gottes in der Seele der Gerechten*. *Divus Thomas* (Freiburg) 8 (1930) 175-191.

Granderath, *Die Controverse über die Formalursache der Gotteskindschaft in den Gerechten und das Tridentinum*. Zeitschrift für kath. Theologie 5 (1881) 283-319. — Scheeben, *Die Controverse über die Formalursache der Gotteskindschaft in den Gerechten und das Tridentinum*. Der Katholik 49 (1883 I) 142-175. — Granderath, *Zur Controverse über den Formalgrund der Gotteskindschaft*. Zeitschrift für kath. Theologie 7 (1883) 491-540. — Idem, *Philosophisch-theologische Erwägungen über den Formalgrund der Gotteskindschaft*. Ibid. 7 (1883) 593-638. — Scheeben, *Die Controverse über die Formalursache unserer Gotteskindschaft—noch einmal*. Der Katholik 50 (1883 II) 561-603; 51 (1884 I) 18-57. — Granderath, *Die Controverse über den Formalgrund der Gotteskindschaft zum letzten Male*. Zeitschrift für kath. Theologie 8 (1884) 545-579. — Scheeben, *Die Controverse über die Formalursache der Kindschaft Gottes—zum letzten Mal*. Der Katholik 52 (1884 II) 465-494; 610-621. — *Erklärungen über die Controverse bezüglich der Formalursache der Gotteskindschaft*. Der Katholik 53 (1885 I) 107-110. — Bittremieux, *Utrum unio cum Spiritu Sancto sit causa formalis filiationis adoptivae iusti?* Ephem. Theol. Lov. 10 (1933) 427-440.

M. Limbourg, *Zum Begriff der zuvorkommenden Gnade*. Zeitschr. für kath. Theologie 15 (1891) 480-517. — Idem, *Ueber die potentia obedientialis*. Ibid. 16 (1892) 231-272. — Pirotta, *Disputatio de « potentia obedientiali » iuxta thomisticam doctrinam*. Divus Thomas (Piac.) 32 (1929) 374-585; 33 (1930) 129-148; 360-385; 560-575.

J. Joroszewicz, *De dono perseverantiae finalis secundum doctrinam S. Thomae Aquinatis*. Kielciis 1932. — Gummersbach, *Unsündlichkeit und Befestigung in der Gnade*. Frankfurt 1933.

Rivière, *Mérite*. Dict. de Théol. cath. 10, 754-785. — Idem, *Sur l'origine des formules « de condigno, de congruo »*. Bulletin de Littérature Eccl. 1927, 75-88. — Quilliet, *De congruo, de condigno*. Dict. de Théol. Cath. 3, 1138-1152.

J. Müllendorf, *Die Hinordnung der Werke auf Gott nach dem hl. Thomas von Aquin*. Zeitschr. für kath. Theologie 9 (1885) 1-46; 208-240. —

Idem, *Die Verdienstlichkeit der guten Werke der Gerechten nach Thomas von Aquin*. Ibid. 9 (1885) 421-471. — Fr. Schmid, *Die Uebernatürlichkeit der menschlichen Heilsakte*. Ibid. 12 (1888) 263-289; 419-459. — Müllendorf, *Das übernatürliche Motiv als Bedingung der Verdienstlichkeit nach dem hl. Thomas von Aquin*. Ibid. 17 (1893) 42-78. — E. Lingens, *Das Formalobjekt des übernatürlichen Aktes*. Ibid. 18 (1894) 293-335; 593-626. — Ernst, *Ueber die Notwendigkeit der guten Meinung*. Freiburg 1905. — Idem, *Gottesliebe und Sittlichkeit*. Theol. Quartalschrift 90 (1908) 34-88. Idem, *Die Gottesliebe als Prinzip der Sittlichkeit*. Der Katholik 90 (1910 II) 241-256; 329-350. — Idem, *Von der Uebernatürlichkeit der Heilsakte*. Ibid. 96 (1913 II) 255-271..

Valéty, *Le dernier péché du croyant. Essai théologique sur l'impénitence finale*. Revue des sciences rel. 8 (1928) 50-68. — Rivière, *Quelques antecedents patristiques de la formule « Facienti quod in se est »*. Revue des sciences rel. 7 (1927) 93-97.

INDEX

PAG.

Introductio 5
Errores principales in materia de gratia 7
Pelagianismus et Semipelagianismus 7
Novatores saeculi XVI 28
Baius 52
Iansenius 59

PARS PRIMA

De ipsa iustificatione 76

Sectio I. — *De natura iustificationis* 76

Thesis 1: Iustificatio est non sola peccatorum remissio, sed et sanctificatio et renovatio interioris hominis, unde homo ex iniusto fit iustus et ex inimico amicus Dei, ut sit heres secundum spem vitae aeternae 76
Thesis 2: In iustificatione homo naturae divinae consors efficitur et filius Dei adoptivus constituitur 85

Sectio II. — *De Donis in iustificatione collatis* . . 93

Thesis 3: In iustificatione donum creatum physice permanens confertur, quod gratia sanctificans, gratia habitualis vocatur . 93
Thesis 4: Gratia sanctificans a virtute infusa caritatis probabilius realiter distinguitur 100
Thesis 5: In iustificatione peccatoris donum increatum datur, Spiritus Sanctus inhabitans 102

Sectio III. — *De causis iustificationis* 119

PAG.

PARS SECUNDA

De homine adulto ante iustificationem . . 134

SECTIO I. — *Quid peccator adultus cum auxilio gratiae possit ac debeat* 134

Thesis 6: Quamvis nihil eorum, quae iustificationem antecedunt, eam mereatur, homo tamen adultus ad eam disponere se debet actibus fidei et aliarum virtutum; doctrina autem de fide fiduciali reicienda est 135

Utrum actus disponentes sint dispositio physica 147

Utrum actus disponentes de congruo gratiam mereantur . . . 148

Thesis 7: Ad hos actus salutares eliciendos, etiam ad ipsum initium fidei, interna gratia est absolute necessaria 159

Thesis 8: Hi actus ad iustificationem disponentes sunt entitative supernaturales 174

Ergo gratia actualis elevans est donum stricte gratuitum nullo modo debitum 178

SECTIO II. — *Quid peccator adultus sine auxilio gratiae possit et non possit* 181

Thesis 9: Non omnia opera infidelium et peccatorum sunt peccata 188

Thesis 10: Homo lapsus potest viribus mere naturalibus, sine auxilio gratiae, actus naturaliter honestos ponere 203

De sententia P. Vázquez 209

De sententia P. Ripalda 210

Thesis 11: Peccator adultus sine gratia non potest diu observare totam legem naturalem quoad substantiam; tales enim occurrunt tentationes, quas honeste propriis viribus superare nequit 211

Utrum homo lapsus solis viribus naturalibus possit diligere Deum super omnia 231

PARS TERTIA

De homine adulto in statu iustificationis . . 233

SECTIO I. — *De secunda iustificatione* 233

Thesis 12: Homo iustus potest et debet cum divina gratia per observationem mandatorum in accepta iustitia perseverare et crescere 234

PAG.

Thesis 13: Iustus omni et solo peccato mortali iustitiam amittit . 252
Thesis 14: Perseverantia finalis est magnum Dei donum . . . 256
Thesis 15: Iustus sine speciali Dei privilegio non potest in tota sua vita omnia peccata venialia vitare 266

SECTIO II. — *De merito* 270

Thesis 16: Iustificatus bonis operibus, quae ab eo per Dei gratiam et Iesu Christi meritum (cuius vivum membrum est) fiunt, vere meretur augmentum gratiae, vitam aeternam et ipsius vitae aeternae (si tamen in gratia decesserit) consecutionem, atque etiam gloriae augmentum 272
Utrum solum augmentum gloriae, an etiam prima gloria sit obiectum meriti 282
Quo sensu opus meritorium procedere debeat ex fide 283
Utrum actus meritorius procedere debeat ex caritate 286
Utrum augmentum gratiae sanctificantis statim conferatur . . 287
De aliis obiectis meriti 293

PARS QUARTA

De natura gratiae actualis 297

Thesis 17: Auxilia actualia gratiae internae sunt immediatae illustrationes intellectus et inspirationis voluntatis, et quidem actus tum indeliberati tum deliberati 298
Quomodo oriatur actus entitative supernaturalis in homine non instructo habitibus infusis 307
De gratia actuali in homine habitibus supernaturalibus instructo . 315
De divisione gratiae actualis 317

PARS QUINTA

De efficacia gratiae 324

Thesis 18: In statu naturae lapsae datur et gratia vere et mere sufficiens, et gratia efficax, quae in actu primo infallibilem connexionem cum actu salutari habet 327
Thesis 19: Efficacia gratiae neque per praedeterminationem physicam, neque per delectationem victricem explicanda est, sed eo, quod Deus talem homini dat gratiam, qualem scit esse congruam, cui homo consentiat 343

PAG.

Systema Bannezianismi 344
Systema Augustinensium 353
Systema Molinismi 357
De « Congruismo » 365

PARS SEXTA

De distributione gratiae 368

Thesis 20: Nulli peccatori adulto Deus denegat gratiam sufficientem ad salutem 374
Thesis 21: Infidelibus negativis adultis Deus non denegat gratiam sufficientem ad salutem 381

Lennerz, Heinrich, 1880-
De gratia redemptoris.